a

S

20250

THEOLOGIA MORALIS

AUCTORE

ERNESTO MÜLLER,
† EPISCOPO LINCIENSI, SOLIO PONTIFICIO ASSISTENTE, S. THEOLOGIAE DOCTORE ETC.

EDITIO SEXTA RECOGNITA.

LIBER I.

VINDOBONAE.
SUMPTIBUS MAYER ET SOC.
MDCCCLXXXIX.

Typis Rudolphi Brzezowsky & Filiorum, Viennae.

DOMINO MEO ET PATRI MEO,

JESU CHRISTO,

SAPIENTIAE INCREATAE,

DOMINAE MEAE ET MATRI MEAE,

IMMACULATAE VIRGINI MARIAE,

SEDI SAPIENTIAE,

HONOR, LAUS, GLORIA.

Leo PP. XIII.

Dilecte Fili salutem et Apostolicam Benedictionem.

Quamvis omnibus delectemur doctorum virorum studiis, qui optimis disciplinis illustrandis explicandisve operam navant, potiori tamen jure se Nobis probat eorum industria, qui sacras scientias excolentes, in via justitiae homines dirigere adnituntur. Hinc facile intelligis testimonium obsequii tui literis exhibitum, et volumina de Theologia morali, quae misisti, Nobis pergrata extitisse, ac paterno affectu fuisse a Nobis excepta. Non licuit Nobis ob curas, quibus distringimur, nisi pauca quaedam ex tuo opere cursim delibare, at libenter ex iis agnovimus, Te id praestitisse quod in literis significas, ut post sanctos Ecclesiae Patres duos praestantissimos Doctores S. Thomam Aquinatem et S. Alfonsum de Liguori duces praecipuos sequereris. Id Te constanter servasse non dubitamus, idque lectoribus tuis, iisque, qui consiliis ipsorum utentur, frugiferum fore censemus. Nam praeter egregiam rei moralis peritiam et prudentiam uterque hoc sibi vindicat, quod doctrinae, quas probant, medium inter extrema

tenentes iter absint aeque a remissa indulgentia, quae laxat habenas peccantibus, et ab importuno rigore, qui suave jugum Christi in onus intolerabile convertit. Optantes itaque, ut labores tui uberem pariant fructum ad animarum salutem, et pro oblato munere meritas Tibi gratias agentes, Apostolicam Benedictionem, paternae dilectionis testem, Tibi et Seminarii, cui praees, alumnis, veluti postulas, peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 13. Martii 1880. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

Leo P. P. XIII

APPROBATIO.

Cum opus „Theologia moralis“ inscriptum, cujus auctorem Ernestum Müller, Sanctissimi Patris Praelatum domesticum, Canonicum Ecclesiae Metropolitanae Vindobonensis, Seminarii clericalis Rectorem, SS. Theologiae Doctorem necnon Theologiae moralis in Universitate Vindobonensi Professorem emeritum ipse Summus Pontifex Leo XIII. honorificis litteris Romae die 13. Martii 1880 datis justis extollere laudibus dignatus est, Ethicae catholicae principia et leges ad normam Ecclesiae catholicae ejusque insignium magistrorum eximia eruditione in animarum salutem proponat, illud hisce libentissime approbamus atque ad promovendam Scientiam ethicam et in eorum usum, qui Theologiae student aut animarum curae operam navant, editione novissima typis exprimatur dignissimum existimamus.

Viennae in Austria die 25. Martii 1883.

Coelestinus Josephus,
Archiepiscopus Viennensis.

Lectori benevolo.

Concilium Provinciae Viennensis anno Domini 1858. celebratum Tit. VI. cap. 2. sapienter praescripsit: „*In Theologia morali systematis ratio non negligenda et pro temporum conditione allaborandum est, ut resecentur radices errorum, quibus vitae christianae principia pessumdantur. Attamen haec ita pertractentur, ut casuisticae nihil detrahatur.*“ Hac norma spectata opus morale, cujus duo volumina interim in lucem prodeunt, nonnullorum votis et monitis excitatus labore studioque haud exiguo elucubrare sum adnisus. Igitur nec generalem tantum morum doctrinam, neque casuisticam solam, sed utramque intimo nexu copulatam systematis simul ratione habita exponere, nec non tetros errores, quibus vitae christianae principia pessumdantur, opportune notare falsisque eorum suppositionibus manifestatis efficaciter refellere, pensi mihi propositi summam esse duxi. Ideoque iis rebus, quae in aliis disciplinis theologicis pertractari debent et solent, ad easdem ablegatis vel, ubi ipsis insistere necesse erat, perfunctorie tantum consideratis, ad id animum converti, ut nullam doctrinam vel

quaestionem gravioris ponderis ad mores spectantem negligerem, singulis assertis gradum certitudinis aut probabilitatis, qui eis convenit vel convenire videtur, rationibus subnexis designarem, atque recentium magis, quam veterum errorum pravitatem ostenderem; quocirca non paucas in hoc opere deprehendes veritates ordinis naturalis contra philosophorum deliramenta propugnatas, quod mihi minime vitio verteris, quandoquidem luctuosa nostra aetate de ipso fundamento ordinis salutis viriliter tuendo agitur, atque Beatissimus Pater Pius IX. philosophicos errores satis multos censuris confixit. Cumque juventuti ecclesiasticae imprimis prodesse cuperem, materias maxime praxi deservientes exemplis casibusque nonnullis adjectis illustrandas curavi, omniaque mihi discutienda maxima, qua poteram, perspicuitate et simplicitate explicare sategi.

Desiderio actus, Theologiae studiosis opus meum, quoad possem, utile reddendi, doctrinis pertractatis opera subtexui sanctorum Ecclesiae Patrum et Doctorum, quos de illis rebus uberius scripsisse novi, hisque opera adjunxi nonnullorum Theologorum, qui explicate de iisdem materiis disseruerunt, quin tamen semper omnibus omnium, quos indicavi, Theologorum sententiis adhaeream, aliosque non commemoratos despiciam. Hisce non contentus doctrinis consideratis „recollectionem“ vel „fructum considerationis“ vel simile quid Lessium imitatus adjeci, quia hujusmodi additionibus aliquid utilitatis spiritualis lectoribus afferri posse existimavi, eoque magis, quod plerumque sanctos Doctores adduxi loquentes. Utque singula disputata commode reperiri queant, Index alphabeticus cujusvis Libri inserviet locupletissimus.

Ceterum non novam doctrinam vel sententiam tradere, nec proprio judicio subniti volui. Quae ab aliis Deo auxiliante didici, Theologiae studiosis aliisque, quorum interest, ad Dei honorem communico. Scrutari divinos libros sanctorumque Patrum opera pretiosa ad morum doctrinas confirmandas vel illustrandas mihi in deliciis fuit. Quodsi Patrum eloquia a me recitata forte nimis copiosa vel prolixa quandoque appareant, ea tamen inutilia esse non puto. Porro Theologis, qui aetatibus superioribus morum scientia sapientiaque inclaruerunt, ex adspectu probe cognoscendis, iisque in finem meum apte convertendis intendam curam diligentiamque impendi, sed illos etiam, qui recentissima aetate florent, studiose consului, divum Thomam et sanctum Alphonsum omnibus praetuli. Id continuo mihi maxime cordi fuit, ut nihil adstruerem, quod Ecclesiae Decretis vel, Ecclesiae sensu non satis manifestato, manifestis sanctorum Patrum et probatissimorum Theologorum sententiis repugnaret. Si tamen nihilo secius pro mentis meae imbecillitate quaepiam minus recta aut aperte falsa irrepserint, ea non dicta esse volo, omniaque in hoc opere contenta infallibili Apostolicae Sedis judicio sincerrima reverentia et obedientia submitto.

Vindobonae in festo B. M. V. sub titulo: Auxilium Christianorum, anni 1868.

IN EDITIONEM TERTIAM.

Deo optimo favente tertia Librorum duorum operis mei evulgatur editio recognita, in qua nihil essentialiter immutavi, alia vero contraxi, alia ampliavi. Inter cetera historiam Theologiae asceticae ac mysticae accuratius explanavi, historiae et doctrinae Probabilismi nonnulla observatu digna adjeci, Concilia provincialia recentissima e praeclara Collectione Lacensi in usum adhibui, opera et effata ss. Patrum ac virorum doctorum auxi, exempla Sanctorum ex limpidissimis fontibus, potissime ex ipsis Bullis vel Actis Canonizationis desumta, doctrinis pluribus adjunxi.

Id unum in votis mihi est, ut nova haec editio ad majorem Dei gloriam et lectorum utilitatem quoquo modo proficiat.

Vindobonae die 14. Julii festo Doctoris Seraphici s. Bonaventurae 1878.

IN QUARTAM EDITIONEM.

Operis hujus, quod non solum in patria pervulgatum, sed in exteris quoque terris longe lateque diffusum est, nova rursus editio necessaria evasit, quam gratis erga Deum benignissimum animi sensibus plenus ita adornandam curavi, ut recentissimas Apostolicae Sedis declarationes et decisiones, quatenus ad hujus operis materias spectant, studiose adhiberem, praeterea novissima literarum monumenta moralia, et multo magis pretiosissima ss. Ecclesiae Doctorum opera vel etiam effata, quae continuato studio mihi innotuerunt, locis opportunis adjungerem. Id enim jam ab initio curae mihi non mediocris fuit, ut quid splendida haec Ecclesiae lumina in sacra morum doctrina praestiterint, solerti delectu adhibito ad multiplicem lectorum utilitatem panderem.

Dignetur Deus, Pater amantissimus, precor, intercedente gloriosa Virgine Maria, matre amantissima, cum s. Thoma et s. Alphonso, quos praecipuos duces secutus sum, aliisque Sanctis, quorum scripta, effata, exempla his in libris protuli, laboribus meis gratiae suae virtute benedicere, ut ex optato Beatissimi Patris Leonis XIII. in pretiosa epistola mihi significato uberem pariant fructum ad animarum salutem.

Vindobonae die festo s. Joseph 1883.

IN SEXTAM EDITIONEM.

Illustrissimus Auctor cum ad sextam editionem parandam haec volumina de novo perlustrare cogitaret, ex inscrutabili divinae providentiae consilio die 28. Septemb. 1888 praematura morte nobis ereptus est. Ejus memoria semper in benedictione erit. Premente vero novae editionis necessitate mihi commissa est recognitio hujus bene laudati et laudandi operis. Hinc satisfacturus aliorum voto suscepi munus correctionis, et plures typi errores, qui Auctorem ipsum permultis negotiis distractum eflugerant, emendavi. Deo favente et haec editio benevolos lectores inveniat!

Lincii die 11. Februarii 1889.

Adolphus Schmuckenschlaeger,
in Seminario episcopali Theologiae Moralis professor.

CONSPECTUS

RERUM, QUAE IN HOC LIBRO PERTRACTANTUR.

Introductio.

pag.
§. 1. Theologiae moralis definitio et partitio 1
§. 2. De Theologia moralis principio 2
§. 3. I. De formali Theologiae moralis principio 3
§. 4. II. De materiali Theologiae moralis principio 6
§. 5. A. De sacris scripturis . 7
§. 6. B. De Traditione 10
§. 7. III. De usu rationis humanae in Theologia morali, deque diversa eam tractandi methodo 23
§. 8. De praecipuis aetatis nostrae erroribus morum doctrinam deturpantibus 27
§. 9. De comparatione Theologiae moralis ad ethicam philosophicam 38
§. 10. De comparatione Theologiae moralis ad ethicam protestanticam 40
§. 11. Historia Theologiae moralis . 45
§. 12. Continuatio 48
§. 13. Continuatio 53

Liber primus.

De bonitate morali generatim spectata.

§. 14. Conspectus dicendorum 64

Tractatus I.

De fundamento boni moralis.

Ingressio 66

CAPUT I.

De supremo hominis fine.

pag.
§. 15. De supremo hominis fine in genere 66
§. 16. De beatitudine hominis naturali et supernaturali 77
Fructus hujus considerationis 85

CAPUT II.

De ordine morali.

Transitio 87

pag.

§. 17. Notio et divisio ordinis . . . 87
§. 18. De ordine naturali 88
Sancti Ecclesiae Doctores de naturali morum ordine . 92
§. 19. De ordine supernaturali . . 93
Sancti Ecclesiae Patres de ordine supernaturali per Christum reparato . . . 98
§. 20. De comparatione ordinis naturalis ad supernaturalem . 100
S. Bernardus de bonis naturalis et supernaturalis ordinis 103

Tractatus II.

De bono et malo morali.

Ingressio 104

pag.

§. 21. De natura boni in genere, et boni moralis in specie . . . 104
Doctrina ss. Patrum atque Theologorum de boni natura 108
§. 22. De conditione mali in genere, et mali moralis in specie . . 110
Doctrina ss. Patrum et Doctorum de mali conditione 111
§. 23. De varia boni malique moralis distinctione 113
Fructus hujus considerationis 117

Tractatus III.

De causis boni moralis.

Transitio 119

CAPUT I.

De lege.

Sectio I.

De lege in communi.

pag.

§. 24. De natura et varietate legis . 120
§. 25. De fine legis 122
§. 26. De potestate leges ferendi . 124
§. 27. De materia et forma legis . 125
§. 28. De principali legis effectu . 126

Sectio II.

De legis speciebus.

Articulus I.

De lege aeterna.

§. 29. De natura et vi legis aeternae 130

Articulus II.

De legibus temporalibus.

Distinctio I.

De legibus temporalibus quantum ad earum essentiam.

pag.

A. De lege naturali.

§. 30. De existentia et indole legis naturalis 137
§. 31. De materia legis naturalis . 142
§. 32. De cognitione legis naturalis 143
§. 33. De obligatione legis naturalis 147
§. 34. De proprietatibus legis naturalis 154
§. 35. Recollectio, ex scriptis s. Joannis Chrysostomi desumta . . 155

B. De lege positiva divina.

§. 36. Notio et divisio legis divinae positivae 157

I. De lege vetere.

§. 37. De indole et fine veteris legis 157
§. 38. De materia veteris legis . . 159
§. 39. De veteris legis obligatione . 167
§. 40. De cessatione veteris legis . 168
§. 41. Recollectio. Ex scriptis s. Augustini 170

II. De nova lege.

§. 42. De indole et fine novae legis 171
§. 43. De materia novae legis . . 176
§. 44. De consiliis evangelicis . . . 180
§. 45. De legis a Christo revelatae duratione 188
§. 46. De relatione legis novae ad naturalem et veterem legem . 190
§. 47. Recollectio precatoria . . . 195

C. De lege humana.

§. 48. De natura et divisione legis humanae 196
§. 49. De auctore legis humanae . 198
§. 50. Continuatio 203
§. 51. De materia legis humanae . 213
§. 52. S. Bernardus de obedientia divinis ac humanis praeceptis praestanda 215

Distinctio II.

De legibus temporalibus quantum ad earum peculiares determinationes.

pag.

§. 53. De subjecto legis 217
§. 54. De promulgatione legis . . . 222
§. 55. De acceptatione legis . . . 226
§. 56. De vi et obligatione legum generatim 229
§. 57. De vi et obligatione legis mere poenalis 233
§. 58. De obligatione legis mixtae . 235
§. 59. De obligatione legis, quae in praesumptione fundatur . . . 238
§. 60. De obligatione legis irritantis 239
§. 61. De modo satisfaciendi obligationi legis 242
§. 62. De modo agendi in concursu plurium praeceptorum . . . 245
§. 63. De causis legis obligationem solventibus 247
§. 64. De appositione causarum dirimentium et impedientium . . 249
§. 65. De interpretatione legis . . 252
§. 66. De legis dispensatione . . . 253
§. 67. De consuetudine 262
§. 68. De privilegio 265
§. 69. De cessatione legis 267
§. 70. Epilogus. Ex scriptis s. Augustini 268

CAPUT II.

De conscientia.

Transitio 270

pag.

§. 71. De conscientiae natura et obligatione 270
Observatio 274
§. 72. De conscientia recta et erronea 275
§. 73. De conscientia certa et dubia 279
§. 74. De conscientia perplexa et scrupulosa 288
§. 75. De conscientia probabili . . 289
§. 76. Systemata circa probabilitatem versantia 292
§. 77. Historicus probabilitatis conspectus 293
§. 78. Continuatio 297
§. 79. De usu opinionum probabilium 309
§. 80. A. An licitus sit usus opinionis probabilis relicta tutiori, ubi absoluta urget obligatio finis determinati obtinendi 310
§. 81. B. An licitus sit usus opinionis probabilis, relicta tutiori, ubi de sola actionis honestate quaeritur . . . 314
§. 82. S. Alphonsi observatio perutilis, de probabilitatis usu finalis 327

CAPUT III.

De libero hominis arbitrio.

Transitio 329

pag.

§. 83. De multiplici libertatis acceptione 329
§. 84. De libero arbitrio in genere . 330
§. 85. De libero hominis arbitrio . 334
§. 86. Continuatio 338
§. 87. Epilogus. Ex scriptis s. Anselmi 340

Tractatus IV.

De modis generalibus, quibus bonum malumque morale in homine subsistit.

Transitio 342

CAPUT I.

De actibus humanis.

pag.

A. De actibus humanis in communi.

§. 88. De conditione et distinctione actuum humanorum 343
Fructus hujus considerationis 345
§. 89. De voluntario et involuntario 347

B. De morali actuum imputatione.

§. 90. Rei hujus notio et partitio . 349

I. De imputatione actuum, voluntario non diminuto.

§. 91. De imputatione actionis, omissionis et effectus 350

II. De imputatione actuum, voluntario diminuto.

§. 92. De ignorantia 354
§. 93. De passione et concupiscentia 359
§. 94. De metu 366
§. 95. De vi seu violentia 368
§. 96. Cohortatio s. Gregorii M. . 370

C. De moralitate actuum humanorum.

§. 97. De essentia et partitione moralitatis 372
§. 98. De moralitatis elementis . . 374

CAPUT II.

De actibus moraliter bonis, deque virtutibus in genere.

Sectio I.

De actibus moraliter bonis.

pag.

§. 99. De indole et divisione actuum moraliter bonorum 383
§. 100. De eorum objecto et circumstantiis 384
§. 101. De eorum fine 385
§. 102. Admonitio s. Augustini . . 394
§. 103. Recollectio 396

Sectio II.

De virtutibus in genere.

§. 104. Notio et partitio virtutis 398

Articulus I.

De virtutibus ordinis naturalis.

pag.

A. De virtutibus intellectualibus.

§. 105. De indole, numero et connexione virtutum intellectualium 400
§. 106. De earum pretio et duratione 402
Observatio de sapientia . . 405

B. De virtutibus moralibus.

§. 107. De earum indole et causa efficiente 406
§. 108. De earum distinctione . . . 409
§. 109. De virtutibus cardinalibus 412
Comparantur bonis equis currus, quatuor angulis domus, quatuor fluminibus paradisi 416
§. 110. De medio virtutum moralium 418
§. 111. De virtutum moralium connexione 420
§. 112. De augmento, diminutione et amissione virtutum moralium acquisitarum 423
§. 113. De diversa virtutum moralium praestantia 426

Articulus II.

De virtutibus ordinis supernaturalis.

pag.

§. 114. De virtutibus infusis quoad suam essentiam 427
§. 115. De virtutibus theologicis . 431
Praeclara ss. Doctorum eloquia 433
§. 116. De virtutibus moralibus infusis 434
§. 117. De connexione virtutum theologicarum et moralium . . 436
§. 118. De diversa praestantia virtutum supernaturalium . . . 437
§. 119. De earum duratione, incremento et decremento . . . 443
§. 120. De relatione virtutum infusarum ad dona Spiritus sancti 446
§. 121. De earum relatione ad beatitudines 450
§. 122. Recollectio 452

CAPUT III.

De peccatis et vitiis in genere.

Sectio I.

De peccatis.

pag.
§. 123. De natura et turpitudine peccati 455
§. 124. De divisione peccatorum . 459
§. 125. De comparatione peccatorum ad invicem 463
§. 126. De peccato mortali et veniali 467
§. 127. De specifica peccatorum distinctione 474
§. 128. De numerica peccatorum distinctione 476
§. 129. De peccatis internis 480
De causis peccatorum . . 484
§. 130. I. De causa efficiente peccati 484
§. 131. II. De tentatione 487
§. 132. De effectibus peccati . . . 491

Sectio II.

De vitiis.

pag.
§. 133. De notione peccati habitualis et vitii 498
§. 134. De distinctione et connexione vitiorum 500
§. 135. Epilogus. Ex scriptis s. Petri Damiani 503

Introductio.

Antequam sacram morum doctrinam exponendam adgrediamur, ejusdem indolem et conditionem consideremus oportet. Quem in finem primo agemus de notione, partitione et principio Theologiae moralis, ut quid sit, ad quae se extendat, et ex quo fonte hauriatur, accurate innotescat; dein praecipuos aetatis nostrae errores, contra quos catholica morum doctrina potissime tuenda est, exponemus: tum Theologiam moralem ad ethicam philosophicam et haereticam comparabimus, ut ipsius praestantia dignitasque dilucide manifestetur; denique historiam Theologiae moralis percurremus, ut quas vicissitudines per temporis decursum subierit, sufficienter cognoscatur.

§. 1.

Theologiae moralis definitio et partitio.

1. — Ethica (ab ἦθος mos) in genere nihil aliud est, quam morum scientia, seu scientia, qua vita humana ad finem ultimum assequendum convenienter informatur. Unde in specie ethica catholica seu theologia moralis definiri potest scientia, qua juxta sacram ecclesiae catholicae doctrinam vita nostra, interna et externa, dirigitur et ordinatur, ut ad beatificam Dei visionem, in qua finis noster supremus consistit, in pace perveniamus. Haec porro vita est vita supernaturaliter bona seu virtuosa, quam tamquam filii Dei adoptivi in terra agamus necesse est, ut nobis competens sit beatitudo supernaturalis per modum hereditatis conservata in coelis 1. Petr. 1. 4. Bonitas igitur moralis, eaque supernaturalis est principale scientiae nostrae objectum.

2. — Theologia moralis commode in tres partes dividi potest. Versatur quippe haec practica scientia, ut dictum est, circa bonitatem

moralem a filiis Dei requisitam. Ideo congruum videtur agere: 1. de bonitate morali in genere, videlicet de fundamento, natura et distinctione boni moralis, porro de ejusdem principiis atque de modis, quibus universim bonitas moralis prodit, nempe de bonis actibus et habitibus seu virtutibus; 2. de bonitate morali peculiariter spectata in diversis a Christo Domino revelatis virtutibus; 3. de mediis subsidiisque bonitatis, quam habere et exercere debemus ad aeternam in coelo beatitudinem capessendam. Ideoque totum opus tribus libris absolvemus.

§. 2.

De Theologiae moralis principio.

Sub *principio* Theologiae moralis id intelligimus, ex quo christiana morum doctrina derivatur. Duplex distingui debet Theologiae moralis non minus, quam dogmaticae principium, nempe formale et materiale. *Formale* dicitur, a quo proxime sacra morum doctrina accipitur; *materiale*, ex quo remote morum doctrina derivatur, quatenus alio principio, nempe formali, opus est, ut doctrina moralis in illo contenta certo omnino nobis innotescat. [1]) Principium formale Theologiae moralis statuimus esse vivum Ecclesiae magisterium, materiale sacras scripturas et Traditionem. Illud merito dici potest vivum seu animatum, quia vivum Ecclesiae magisterium viva seu publica voce morum dogmata nobis proponit; mortuum autem seu inanimatum hoc potest vocari, quia nec sacrae scripturae nec Traditionis documenta veritates in se inclusas viva voce explicant, sicque veluti mortua seu inanimata jacent, atque ideo a vivo Ecclesiae magisterio quasi vitam i. e. explicationem infallibilem adipisci debent. Unde simul perspicitur, principium materiale formali esse subordinatum.

De utroque nunc principio, formali et materiali, quae ad rem nostram spectant, proferemus, cum reliqua abunde ex dogmatica constent. Quibus dictis, nonnulla scitu necessaria de usu rationis humanae in Theologia morali faciendo, deque diversa disciplinam hanc tractandi methodo adjungemus.

[1]) Principium generatim sumtum juxta d. Thomam significat id, ex quo aliquid quocunque modo procedit 1. q. 33. a. 1. c. Forma, ut idem Doctor Angelicus dicit, illud est, quo primo aliquid est, vel operatur, seu illud, quo aliquid est tale. 1. q. 76. a. 1. c. Materia est id, ex quo aliquid efficitur.

§. 3.

I. De formali Theologiae moralis principio.

1. — *Christus Dominus per magisterium Ecclesiae catholicae docens ac praedicans principium proximum doctrinarum est, quas Theologia moralis exponit.* Etenim Jesus Christus dum in terris degeret, viva voce annunciavit viam salutis Judaeis dicens, (Ego) *principium, qui et loquor vobis* (Joan. 8. 25), atque ipse est, qui continuo adhuc per os Ecclesiae suae loquitur omnibus, tum infidelibus convertendis, tum fidelibus conversis, ut testatus est his verbis ad suos Apostolos eorumque successores dictis: „*Qui vos audit, me audit; et qui vos spernit, me spernit.*“ (Luc. 10. 16.) Et quidem 1. Christus Jesus ea omnia, quae revelavit, Apostolis eorumque successoribus sub Petri ac ejus successorum primatu constitutis conservanda, omnique creaturae praedicanda commisit, et insuper alia circa exteriorem disciplinam opportune sanciendi potestatem eis concessit; atque 2. hunc in finem sese cum eis omnibus diebus usque ad consummationem saeculi futurum esse solemniter promisit. (Matth. 28. 20.) Hinc s. Petrus Chrysologus ait: „*Ecclesia in Christo et in Ecclesia Christus est.*“ [1]) S. Thomas: „*Quae per Ecclesiam statuuntur, ab ipso Christo ordinantur.*“ [2]) Et Concilium Tridentinum Sess. 13. Decr. de Euchar. in proëm. ait, *Ecclesiam eruditam fuisse a Christo Jesu ejusque Apostolis, atque a Spiritu Sancto illi omnem veritatem in dies suggerente edoceri.* Itaque vivum Ecclesiae magisterium, quod Christi personam repraesentat, ejusque vices gerit, seu viva et publica Ecclesiae vox, per quam ipse loquitur Christus, prima, proximaque regula est, quae ad cognoscendas et exponendas morum doctrinas omni humili obsequio assidue attendi debet. Observandum, quod S. Agatho Pontifex monuit, *nihil de iis, quae sunt regulariter definita, minui debere: nihil mutari, nihil adjici, sed ea et verbis et sensibus illibata esse custodienda.* [3])

2. — Authenticum et infallibile Ecclesiae magisterium, ut jam innuimus, divina institutione proprium est Romano Pontifici et episcopis in unione et consensione cum ipso. Attamen *Romanus Pontifex* supremam magisterii potestatem habet, in ipso Apostolico primatu comprehensam; quod sancta Sedes semper tenuit, perpetuus Ecclesiae usus comprobat, ipsaque oecumenica Concilia pridem declara-

[1]) Serm. 62.
[2]) Summa Theol. 3. q. 83. a. 3.
[3]) Epistola ad Imperat. (Mansi. Tom. XI. p. 235.)

verunt, et recentissime rursus Concilium Vaticanum Sess. IV. c. 4. declaravit. Utque Summus Pontifex excelso suo omnium Christianorum Pastoris et Doctoris munere in omnium salutem fungatur, per assistentiam divinam infallibilitatis charismate pollet; quam veritatem ceu fide divina tenendam Concilium Vatic. Sess. IV. cap. 4. solemniter asseruit et definivit his verbis: „*Itaque Nos traditioni a fidei Christianae exordio perceptae fideliter inhaerendo, ad Dei Salvatoris nostri gloriam, religionis Catholicae exaltationem et Christianorum populorum salutem, sacro approbante Concilio, docemus et divinitus revelatum dogma esse definimus: Romanum Pontificem, cum ex Cathedra loquitur, id est, cum omnium Christianorum Pastoris et Doctoris munere fungens, pro suprema sua Apostolica auctoritate doctrinam de fide vel moribus ab universa Ecclesia tenendam definit, per assistentiam divinam, ipsi in beato Petro promissam, ea infallibilitate pollere, qua divinus Redemptor Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide vel moribus instructam esse voluit; ideoque ejusmodi Romani Pontificis definitiones ex sese, non autem ex consensu Ecclesiae irreformabiles esse. Si quis autem huic Nostrae definitioni contradicere, quod Deus avertat, praesumserit, anathema sit.*“ Igitur juxta hanc definitionem dogmaticam Summus Pontifex — per assistentiam divinam — infallibilis est, *cum ex Cathedra loquitur*, nempe a) cum omnium Christianorum Pastoris et Doctoris munere fungens, b) doctrinam de fide vel moribus, ab universa Ecclesia tenendam definit, seu doctrinam sententia definitiva proponit, qua universa Ecclesia adstringitur. Quare Romanus Pontifex infallibilis non est, quando ut doctor privatus loquitur vel circa doctrinam fidei vel morum aliqua suadet, monet, reprehendit, quin intendat definitivam sententiam edicere; quamquam enim haec omnia magno semper in pretio habenda sint, et quatenus continent normas agendi, humili obsequio observanda, nihilominus tamen non constituunt definitionem ex Cathedra. Objectum infallibilitatis quod attinet, Romanus Pontifex juxta Concilii declarationem ea infallibilitate pollet, qua divinus Redemptor Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide vel moribus instructam esse voluit. Hinc 1. fidei divinae doctrina est, Romanum Pontificem infallibilem esse in omnibus explicite vel implicite a Deo revelatis ad quae etiam pertinent veritates ratione cognoscibiles, quia revelatio, praeter veritates superrationales etiam multas hujusmodi continet veritates. Item fide divina tenendum, Romanum Pontificem esse infallibilem in damnatione errorum, veritatibus sive per se rationi

perviis sive superrationalibus adversantium. Ratio est, quia dogmatice constat, haec omnia objectum infallibilitatis, qua Ecclesia a Christo instructa est, constituere. 2. Doctrina, licet nondum dogmatice definita, certa tamen omnino est, Romanum Pontificem infallibilem esse in eis, quae in se revelata non sunt, attamen cum veritatibus revelatis indivulso nexu cohaerent, scilicet in factis dogmaticis,[1]) in decretis ritualibus et disciplinaribus quoad eorum substantiam (ratione boni et mali), nec non in canonizatione et in approbatione ordinum religiosorum. Ratio est, quia certo constat, omnibus theologis consentientibus, Ecclesiae infallibilitatem ad illas quoque res extendi, quatenus Ecclesia nihil, quod revelatae fidei vel morum doctrinae adversetur aut eam quocunque modo adulteret, docere, approbare ac statuere potest; secus enim circa ipsam fidem erraret atque fideles a via salutis aeternae abduceret. Haec de doctrina infallibilitatis (cujus tractatio omni numero absoluta ad theologiam dogmaticam pertinet) summatim perstricta scopo nostro sufficient. — Jam vero ex dogmatibus de suprema Romani Pontificis potestate magisterii, atque ejusdem ex cathedra loquentis infallibilitate pro scientia et vita sequitur stricta subjectionis obligatio, quam s. Cyrillus Alexandrinus his indicat verbis: „*Oportet nos tamquam membra inhaerere capiti nostro, Romano Pontifici, et throno Apostolico, ex quo nostrum est quaerere, quid credendum, quid sentiendum, et quid tenendum sit.*“ Thesaur. Lib. I. cap. 21. n. 4.

3. — Obstringuntur, qui scientiae incumbunt, 1. ut *ecclesiae dogmata* sive solemni oecumenicorum Conciliorum aut Romanorum Pontificum judicio definita sive ordinario totius ecclesiae per orbem dispersae magisterio tradita fideliter recipiant ac venerentur. Verum id non satis est, sed obligantur etiam 2. ut se subjiciant decisionibus, quae ad doctrinam pertinentes a *Pontificiis Congregationibus* proferuntur, atque 3. ut iis quoque doctrinae capitibus consentiant, quae communi et constanti Catholicorum consensu retinentur, tamquam *theologicae veritates* et conclusiones ita certae, ut opiniones eisdem adversae, quamquam haereticae dici nequeant, tamen aliam theologicam mereantur censuram (cf. §. 6. n. 4.) Ita P. M. Pius IX. in literis ad arch. Monac. et Frising. die 21. Decembr. 1863. datis qui insuper Syllabo errorum 8. Dec. 1864. sub n. 22. hoc damnavit

[1]) Nempe in factis, quae cum aliqua veritate fidei intime juncta sunt, et ad ejus custodiam, explicationem, defensionem requiruntur.

commentum: *Obligatio, qua catholici magistri et scriptores omnino adstringuntur, coarctatur in eis tantum, quae ab infallibili ecclesiae judicio veluti fidei dogmata ab omnibus credenda proponuntur.*

In omnibus igitur rebus religionis, sive ad fidem et mores, sive ad disciplinam pertineant, nos Ecclesiae docenti, praeprimis Summo Pontifici fideliter submittere, ipsique consentire et adhaerere necesse est. Ideoque debemus credere, quae Ecclesia credenda proponit, adprobare et laudare, quae adprobat et laudat Ecclesia, rejicere et condemnare, quae Ecclesia rejicit et condemnat.[1]) Verus scientiae progressus et felix eventus in devitandis et refutandis nostrae aetatis erroribus ab intima erga Ecclesiam Christi adhaesione praeprimis pendet.[2]) Verissime s. Augustinus monet: „*Credamus fratres, quantum quisque amat Ecclesiam Christi, tantum habet Spiritum sanctum.*“[3])

§. 4.

II. De materiali Theologiae moralis principio.

1. — Concilium Tridentinum definivit, *salutarem veritatem et morum disciplinam contineri in libris scriptis et sine scripto Traditionibus, quae ipsius Christi ore ab Apostolis acceptae, aut ab ipsis Apostolis, Spiritu Sancto dictante, quasi per manus traditae ad nos usque pervenerunt.* (Sess. IV. Decr. de can. scripturis.) Certe igitur S. Scriptura et Traditio *principium* aliquod constituunt doctrinae moralis, quia juxta Concilii verba morum disciplina in illis continetur, ideoque ex illis etiam deduci potest: attamen non sunt nisi principium *materiale,* quia veritates in divinis libris et in Traditionibus inclusae infallibiliter nobis nonnisi per Ecclesiae magisterium innotescunt, utpote cujus est, tum de veris et genuinis scripturis earumque legitimo sensu, tum de veris ac genuinis traditionibus judicare. Sacrae scripturae et Traditio etiam fontes Theologiae moralis vocantur.

2. — Proinde funestissime nostris diebus errarunt illi *Germaniae Theologi* notissimi, qui licet divinam revelationem ceu factum historicum admitterent, atque sacram scripturam et Traditionem fontes esse divinae revelationis profiterentur: definitivum tamen judicium, an doctrina quaepiam in fontibus revelationis revera

[1]) Legas egregias s. Ignatii Regulas ad sentiendum vere cum Ecclesia, in op. Exercit. spiritual. Notis illustr., ed in Germania prima, Ratisbonae 1855. pag. 422. et seq.

[2]) Ep. Pii IX. ad arch. Monac. et Frising. die 21. Decembr. 1863.

[3]) In Evang. Joan. Tract. XXXII. n. 8.

contineatur, *scientiae* vindicabant; ac subinde dogma de infallibilitate Pontificis ex cathedra loquentis dicebant et dicunt veritatem a Deo revelatam et catholica fide credendam non esse, quia ipsi secundum suam intelligentiam illud in scriptura et Traditione se non reperire affirmant. Hac autem re fundamentale principium fidei et doctrinae subvertunt, quatenus magisterio semper viventi et infallibili Ecclesiae divinitus instituto *semetipsos* singuli per fallibilem et fallacem suam scientiam *substituunt judices dogmatum,* quae in fontibus revelationis contineantur. Sane „dogmatum definitiones necessario sunt et quovis tempore fuerunt incommutabilis norma sicut pro fide ita etiam pro scientia catholica, ad cujus munus nobilissimum pertinet ostendere, quomodo doctrina eo sensu, quo definita est, in fontibus revelationis contineatur.“ Ita P. M. Pius IX. in literis ad Germaniae episcopos datis die 28. Octobris 1870.

§. 5.

A. De sacris scripturis.

1. — Omnes scripturae tam veteris quam novi testamenti pari pietatis affectu venerandae sunt, quia earum omnium ipse Deus est auctor,[1]) a quo dictatae ad nos tamquam literae de patria nostra venerunt.[2]) Quod vero earum usum in Theologia morali faciendum attinet, inter N. et A. T. distinguamus oportet.

2. — Libri divini N. T. etsi non omnia, permulta tamen eorum, quae Christus Dominus proprio ore atque per Apostolos docuit, continent, adeoque eos inprimis scutari oportet ad mysteria et praecepta a Christo tradita probanda. Verum solerter animadvertendum est, non omnia, quae in his divinis libris docentur, praecepta rigorosa esse, sed quaedam per modum consilii proponi, atque alia esse morum dogmata immutabilia, alia vero statuta disciplinaria et mutabilia, ut Matth. 10. 9. 10.[3]) Act. Apost. 15. 28.

3. — Libri divini V. T. praeter moralia praecepta etiam caeremonialia et iudicialia complectuntur. Caeremonialia et judicialia cessarunt, moralia autem a divino Salvatore confirmata, et ad perfectionem evecta sunt. Proinde quoad haec praecepta libri V. T. verum et immediatum fontem Theologiae moralis constituunt. Quam veritatem diserte docet s. Augustinus dicens: „*In his duobus Testamentis, veteri et novo, Deus disciplinae nobis regulam dedit.*“[4]) Imo Christus ipse et Apostoli ad illa praecepta saepe provocant; sancti

[1]) Cf. Concil. Trid. Sess. IV. Decr. de can. scripturis. Conc. Vatic. Sess. III. cap. 2. „*Spiritu sancto inspirante conscripti Deum habent auctorem.*“

[2]) S. August. Enarr. in Ps. 90. Serm. II. n. 1. Enarr. in Ps. 149. n. 5. S. Gregor. M. Lib. IV. epist. 31. Edit. Maur. S. Joan. Chrysost. Hom. 1. in Genesim.

[3]) In quem locum cf. s. Thom. 2. 2. q. 185. a. 6. ad 2., 1. 2. q. 108. a. 2. ad 3.

[4]) De moribus Eccles. cath. Lib. I. n. 56.

Patres omnes nec non Theologi testimonia veteris Testamenti allegant ad probanda morum praecepta. Praeterea nonnulli illorum ex utroque Testamento studiose collegerunt praecepta moralia, quibus conformari debeat vita fidelium, nempe Clemens Alexandr. lib. III. Paedagogi c. 10., s. Cyprianus lib. III. ad Quirinum, s. Augustinus in op. speculum inscripto, quibus accessit s. Bonaventura in op. Biblia pauperum. Porro Concilium Trid. Sess. IV. de can. script. absolute docet, morum disciplinam contineri in libris scriptis, nulla distinctione vel exceptione adjecta. Itaque non recte sentiunt, qui libros V. T. fontem mediatum vel praecipuum subsidium Theologiae moralis appellant. Id autem concedendum, quod praecepta moralia V. T., cum Christus Dominus eadem perfecerit (ut serius ostendetur), sicubi illis aliquid imperfectionis adhaereat, ad spiritum evangelicae perfectionis exigenda sunt.

Caeremonialia et judicialia, quamquam vi obligandi destituta sint, nilominus tamen aliquem usum, sed subsidiarium tantum, in Theologia morali admittunt.[1]) Caeremonialia namque erant figuralia; ideoque hoc obtutu iisdem uti licet ad novae legis praecepta, quibus populi Christiani vita ordinatur, non tam stricte probanda, quam apte pulchreque illustranda, vimque eorum augendam; et secundum hunc modum etiam ss. Patres ac Theologi ascetici iisdem frequenter utuntur.[2]) Sic e. g. per praeceptum veteris legis, vi cujus sacerdotes a

[1]) Bene hac de re Fuchs observat: „Wenn die Ritualgesetze u. die politischen Bestimmungen ausgeschlossen sind, so ist diese Ausschliessung nicht als eine in jedem Sinne geltende zu verstehen. Denn was irgend immer einmal in der Geschichte als göttliche Offenbarungsform dagestanden, verliert nie völlig seine Bedeutung; zerbricht auch auf einem höheren Standpunkt die Form; der Geist, der in derselben sich aussprach, bleibt und dauert fort.“ System der christlichen Sittenlehre. Einl. §. 3. S. 4. Augsb. 1851.

[2]) S. August. ep. 55. (al. 199.) seu ad inquisitiones Januarii Lib. II. cap. 11. n. 21. de allegoriarum utilitate sapienter scribit: *„Ita* (res) *se habet, ut aliquid per allegoricam significationem intimatum plus moveat, plus delectet, plus honoretur, quam si verbis propriis diceretur apertissime. Credo quod ipse animae motus quamdiu rebus adhuc terrenis implicatur, pigrius inflammetur: si vero feratur ad similitudines corporales et inde feratur ad spiritualia, quae illis similitudinibus figurantur, ipso quasi transitu vegetatur, et tamquam in facula ignis accenditur et ardentiore dilectione rapitur ad quietem.“*

„Ex solo autem literali sensu, inquit *S. Thomas* (q. 2. de sacra doctrina art. 10. ad. 1.), potest trahi argumentum, non autem ex iis, quae secundum allegoriam dicuntur, ut dicit Augustinus in ep. cont. Vicentium Donatistam (quae est 48.) Non tamen ex hoc aliquid deperit sacrae scripturae, quia nihil sub spirituali sensu continetur fidei necessarium, quod scriptura per literalem sensum alicubi manifeste non tradat.“

maculis vel defectibus corporalibus debuerunt esse immunes, bene illustratur, quod sacerdotes novae legis vitiis animae debeant carere;[1]) per mandatum sacerdotibus Aronicis injunctum, ut in humeris et in pectore portarent scripta nomina filiorum Israel, pulchre significatur, quod sacerdotes Christi supportent infirmitates populi, eumque habeant in corde per sollicitudinem charitatis;[2]) per praescriptum populo Judaeorum datum, ut ante oculos suos et in manu sua praecepta ligarent, egregie indicatur, quod tum per meditationem tum per operationem arcte inhaereamus legi devinae.[3])

Judicialia quoque figurativa erant, adeoque eodem modo, quo caeremonialia, in Theologia morali adhiberi possunt. Praeterea judicialia statuebant poenas delictis congruentes, ut v. c. supplicium mortis pro maleficio, pro blasphemia, pro percussione parentum etc. unde ad peccati alicujus gravitatem dignoscendam vel probandam poenalia V. T. praecepta in scientia nostra respici possunt atque etiam solent.

Pulcherrima sunt, quae S. Bonaventura exponit de s. scripturae ortu, progressu, statu, latitudine, longitudine, sublimitate, profunditate, procedendi, eamque interpretandi modo, in opere suo: Breviloquium Proëm. p. 1—22. ed. ab Hefele Tubingae 1848.

4. — Sacrae scripturae utriusque Testamenti divinitus revelatas veritates morales non solum verbis asserunt, sed exemplis etiam mire illustrant atque confirmant.

Perfectissimum ac summum omnis sanctitatis, virtutum omnium exemplar in vita divini Salvatoris nostri conspicimus. Christus Dominus et opere et verbo nos erudivit; ipsa facta ejus praecepta sunt, quia dum aliquid tacitus facit, quid agere debeamus, innotescit.[4]) Per tres annos ore suo, per triginta et tres annos vita sua viam salutis praedicare dignatus est. Prius exemplo, quam verbo suos instituit: *coepit* enim *Jesus facere et docere.*[5]) Cathedra ejus jam praesepe, cathedra ejus etiam crux erat. Habent omnia, quae peregit, si intelligantur, linguam suam; nam quia ipse Verbum Dei est, etiam factum Verbi verbum nobis est.[6]) Quemadmodum autem nunquam

[1]) S. Thom.: 1. 2. q. 102. a. 5. ad 10. S. Alphons. Der Priester in der Einsamkeit 3. Cap. n. 12. S. 28. Regensb. 1843.

[2]) S. Thomas: 1. 2. q. 102. a. 5. ad 10. S. Carol. Borrom. Homil. occasione Congreg. general. Oblatorum habita anno 1634.

[3]) S. Thom. 1. 2. q. 102. a. 6. ad 7.

[4]) S. Gregor. M. Homil. 17. in Evangel. n. 1.

[5]) Act. Apost. 1. 1.

[6]) S. August. in Joannis Evang. Tract. 24. n. 2.

sic locutus est homo, sicut Christus: [1]) ita nunquam sic operatus est homo, ut Christus, nam in altiori, quam heroico gradu virtutes omnes exercuit; [2]) quia Redemptor noster etsi humilitate homo inter homines, divinitate tamen super homines fuit. [3])

Deo proxima simillimaque omnium creaturarum jure meritoque B. V. Maria praedicatur. Nihil sublimius, perfectius et sanctius nihil post Christum ipsius matre invenitur. *Nihil inquinatum in eam incurrit, candor est lucis aeternae et speculum sine macula,* [4]) insuper *speculum justitiae,* [5]) in quo nimirum Sol justitiae, Christus Deus noster, forma omnium virtutum lucidissime resplendet, *speculum* denique, *clarissimo* (nempe angelico) *clarius, seraphino tersius et purius, et tantae puritatis, ut purius intelligi non posset, nisi Deus esset.* [6]) Haec est *super omnes speciosa,* omni laude dignissima Virgo et Mater, *cujus vita gloriosa lucem dedit saeculo, cujus vita inclyta cunctas illustrat ecclesias.* [7])

Praeterea etiam multi sancti et justi virtutibus suis in libris divinis commendantur; quibus accedunt, qui postea in Ecclesia virtutibus heroicis inclaruerunt et catalogo Sanctorum adscripti sunt. Hi igitur etiam, ut fideles Dei imitatores, factis et exemplis viam salutis egregie nobis ostendunt, ut (juxta ecclesiae preces) per eorum ad Deum exempla gradiamur. Cum autem sancti pro humana fragilitate errare et labi potuerint, ideo in eorum actionibus rite aestimandis judicio et sensui matris nostrae Ecclesiae inhaereamus oportet.

Egregie s. Ambrosius in opere „de officiis" potissimum ab exemplis Sanctorum virtutes officiaque deducit. *„Nos autem artem fugimus,* ipse inquit, *exempla majorum proponimus, quae neque obscuritatem adferunt ad intelligendum, neque ad tractandum versutias. Sit igitur nobis vita majorum disciplinae speculum etc."* De offic. Lib. I. cap. 25. n. 116. S. Gregorius M. omnes virtutes a Sanctis utriusque Testamenti disci posse praeclare ostendit Lib. II. in Ezech. Homil. 3. n. 18—23.

§. 6.

B. De Traditione.

1. — Duplicem distingui traditionem, divinam et humanam, ex Theologia dogmatica constat. Utramque hic, quantum ad mores per-

[1]) Joa. 7. 46.

[2]) S. Thomas: 3. q. 7. a. 2. S. Francisc. Sal. Theotimus, Lib. VIII. cap. 9. in fine.

[3]) S. Gregor. M. Homil. 25. in Evang. n. 2.

[4]) Sap. 7. 25. 26, qui locus ab Ecclesia ad B. V. M. applicatur.

[5]) In Litan. Lauret.

[6]) S. Thomas P. II. Opusc. 61. De dilectione Dei et proximi, cap. 27. in 10. gradu amoris.

[7]) Responsor. et Antiphona in festo Nativitatis B. M. V.

tinet, considerare debemus. Porro traditio in diversis documentis reposita invenitur, quorum praecipua sunt: Decreta Conciliorum oecumenicorum nec non particularium, Constitutiones Pontificum, Catechismi, Liturgia sacra, scripta ss. Patrum, opera Theologorum posteriorum. Haec itaque nunc percurremus.

2. — I. *Concilia oecumenica* partim doctrinas divinitus revelatas declarant ac definiunt, partim leges disciplinares ad fidelium salutem sanciunt. Hinc considerare necesse est, cujus argumenti sint decreta, et an non disciplinaria legitime immutata vel abrogata sint. *Concilia particularia* tum immutabilia morum dogmata contestantur, tum, quae ad exteriorem disciplinam pertinent, pro peculiaribus regionibus salubriter praescribunt. Unde facile conjicitur, qualis eorum usus in Theologia morali faciendus sit. [1])

3. — II. *Constitutiones et Decreta Summorum Pontificum,* quibus partim propositiones falsae in rebus morum condemnantur, partim, quid tenendum agendumve sit, diserte determinatur, pariterque decisiones, quae ad doctrinam moralem pertinentes a *Pontificiis Congregationibus* emanarunt, in explananda scientia morali gravissimi ponderis sunt atque momenti. Recole dicta §. 3. n. 2. et 3. In disciplinaribus tamen Romanorum Pontificum et Congregationum decretis attendi debet, quos afficiant. Notandum denique, quod propositiones damnatae, generatim loquendo, intelligendae sunt, prouti iacent, et in sensu rigoroso atque ab illarum auctoribus intento. [2])

[1]) Opus valde utile est Collectio Lacensis Conciliorum particularium recentiorum, quae auctoribus presbyteris Societatis Jesu recentissime Friburgi Brisgoviae per 6 Tomos prodiit.

[2]) Ita s. Alphons. Theol. moral. libr. III. n. 760 et alii communiter.

Quaedam haereticorum propositiones primo intuitu verae esse videntur, cum tamen juxta sensum ab eis intentum omnino falsae sint censendae et idcirco ab Apostolica Sede jure meritoque damnatae. Sic Propositio 45. Quesnelliana edicit: *Amore Dei in corde peccatorum non amplius regnante, necesse est, ut in eo carnalis regnet cupiditas omnesque actiones ejus corrumpat;* quae quidem solis verbis spectatis haud dissimilis est sententiae a s. Augustino prolatae: „Regnat enim carnalis cupiditas, ubi non est Dei caritas." Enchirid. cap. 117. At vero s. Ecclesiae Doctor loquitur de Dei caritate generalissime intellecta, quatenus non est nisi quidam justitiae et mandatorum divinorum amor; in quo sensu assertio s. Augustini evidenter recta est, dum e contrario Quesnellius sub charitate intelligit supernaturalem et perfectum Dei amorem, hincque in sua propositione excludit omnem amorem naturaliter bonum; quo quidem sensu ista propositio omnino falsa adeoque a Sede Apostolica jure meritoque diris devota est. (Vide Joan. B. Faure Notae et Assertiones Theologicae in Enchiridion s. Augustini de fide, spe et charitate, pag. 211. 212. Neapoli 1847.) Recte S. Athanasius contra Arianos mo-

4. — Condemnatio propositionum indicari solet per sic dictas censuras theologicas.

Censura theologica dicitur sententia, qua laesio sanae doctrinae sive fidei sive morum notatur. Variae juxta Benedictum XIV. numerantur censurae,[1]) variis enim modis seu gradibus vera fidei morumque doctrina laedi potest.

Et quidem propositio ut *haeretica* damnatur, quae veritati a Deo revelatae et ab Ecclesia propositae directe et immediate opponitur.

Erronea dicitur propositio, quae quidem non opponitur immediate veritati revelatae, opponitur tamen conclusioni theologicae, ex doctrina revelata deductae.

Haeresi proxima est sententia veritati catholicae, quae a plerisque tamquam de fide habetur, repugnans.

De haeresi suspecta est, quae ex terminorum ambiguitate vel ex circumstantiis sive temporis sive personae loquentis adhibetur vel adhiberi potest ad haeresim occulte disseminandam.

Haeresim vel errorem sapiens vocatur, quae ita recedit a doctrina fidei vel certa omnino doctrina, ut nonnisi futili evasione vindicari possit.

Schismatica est, quae paci et unitati Ecclesiae adversatur.

Temeraria dicitur, quae communi Patrum doctrinae adversatur, aut quae constanti Theologorum sententiae repugnat absque gravi rationis vel auctoritatis fundamento.

Scandalosa audit, quae aliis immediate et de se occasionem praebet ruinae spiritualis.

Impia est, quae religioni et pietati repugnat.

Seditiosa est, quae nata est concitare tumultum contra superiores in Ecclesia vel republica.

Simplicium seductrix dicitur, quae sub specie pietatis incautos a sana doctrina retrahere facile potest.

Piarum aurium offensiva est, quae aliquid prae se fert, si non falsum, saltem indecens, quo pius fidelium animus offenditur.

Injuriosa est, quae injuriam contra alios continet.

---

nuit: *„Ne sustinueritis eos, qui novis rebus student, etiamsi dictiones ex sacris literis scribant, ne sustinueritis hoc genus scriptorum, etiamsi voces orthodoxae fidei loquantur; ne ita quidem loquentibus attendite, non enim recto animo loquuntur, sed veluti indumentum ovium haec verba proferunt.“*

[1]) De Beatif. Servorum Dei lieb. II. c. 21. et 28.

Periculosa, quae licet theoretice vera esse possit, in praxi tamen ad errorem vel peccatum fovendum apta est.

Male sonans dicitur, quae abutitur vocibus contra sensum communem, ut primus et obvius ipsius sensus sit haereticus, alter vero latens sit catholicus.[1])

Docentes vel defendentes sive publice sive privatim propositiones, quae ab Apostolica Sede sub excommunicationis poena latae sententiae damnatae sunt, incurrunt excommunicationem latae sententiae Romano Pontifici reservatam. Sic sanxit S. P. Pius IX. in Bulla *Apostolicae Sedis* a 1869 sub n. I.

Qui negat qualitatem censurae, quae propositioni damnatae a Sede Apostolica adjudicatur, licet inferior sit quam nota haereseos (e. g. sententiam esse *erroneam, temerariam),* haeresis culpam adsciscit. Cum enim Summus Pontifex infallibilis sit in rebus fidei et morum decidendis, atque in erroribus contrariis damnandis (§. 3. n. 2.), certo etiam infallibiliter judicat de modo et gradu, quo aliqua propositio doctrinae fidei vel morum refragatur. Hinc qui negat quampiam propositionem dignam esse censura, qua a Romano Pontifice notatur, ejusdem e cathedra loquentis infallibilitatem inficiatur, ideoque haereticus est.[2])

* De censuris theologicis praeter alios inprimis consuli possunt: Viva: Damnatae Theses ad theologicam trutinam revocatae, quaestio prodroma n. 1., Ed. 3. Patavii 1711. Ripalda: De ente supernaturali, adversus Bajum, Proëmium Disp. I. Sect. 7.—9. Ed. noviss. Parisiis 1870. Tom. III. Montagne: De censuris seu notis theologicis, art. 1. §. 1. (In Vol. 1. Cursus completi, Mignes.) Perrone: De virtut. theol. P. I. cap. 9. a. 2. §. II. Ratisb. 1865. Kleutgen: Die Theologie der Vorzeit, I. B. Hauptst. V. S. 132 etc. 2. Aufl. Münster 1867. Scheeben: Die theolog. Censuren, in ephem. rel.: Katholik 1869. I. Hälfte S. 257—278., S. 400—421. Handbuch der kath. Dogmat. B. I. §. 35. Freiburg 1873.

5. — Inter Traditionis documenta III. etiam referri debent Catechismi ab episcopis approbati et ad usum publicum destinati, cum primis autem Catechismus Romanus, utpote qui s. Pii V. pri-

---

[1]) Loquendi usus in Ecclesia consuetus omnino retineri debet. Recentissime M. P. Pius IX. per Breve 15. Junii 1857. quoad Güntheri scripta reprobata etiam hoc animadverit: „Neque silentio praeteribimus, in Güntherianis libris vel maxime *violari sanam loquendi formam,* ac si liceret verborum Apostoli Pauli oblivisci (2. Tim. 1. 13), aut horum, quae gravissime monuit Augustinus: *„„Nobis ad certam regulam loqui fas est, ne verborum licentia etiam de rebus, quae his significantur, impiam gignat opinionem.““* De civit. Dei Libr. X. c. 23.

[2]) S. Alph. Theol. mor. Lib. I. n. 104. v. *Hanc falsissimam.* Scheeben: Die theol. Censuren, in eph. Der Katholik 1869. I. H. S. 401., 402.

mum et deinde Clementis XIII. jussu editus ceteris omnibus praeeminet auctoritate.[1])

6. — IV. *Liturgia sacra* non solum fidei, sed etiam morum doctrinas attestatur. Profecto publicae Ecclesiae preces seu collectae, dum impetranda a Deo exprimunt, ea simul, quae a nobis credenda et observanda sunt, haud dubie designant, prout e. g. si Ecclesia gratiam a Deo petit, ut carne mortificati facilius coelestia capiamus,[2]) bene exinde novimus, etiam ad coelestia facilius capienda carnis mortificationem conducere atque a nobis esse exercendam; ex verbis orationis quam sacerdos in Missae sacrificio post s. Communionem recitat: „— praesta (Domine), ut in me non remaneat scelerum macula", adprime confirmatur, maculam esse aliquem peccati effectum. Deinde ritus et caeremoniae, quibus sacra peraguntur, veritates evangelicas, quibus vita nostra conformanda est, vivide repraesentant ac pulchre illustrant, magnam igitur fidelium eruditionem continent, simul atque pietatis sensum excitant ac probitatis studium accendunt.[3]) Sic e. gr. in caeremoniis Sacramenti Baptismi, ut jam s. Dionysius[4]) notavit, praeclara et perspicua habetur institutio ad vitam coelestem agendam. Et quam pretiosos sapientiae practicae thesauros liturgia Missae complectitur!

7. — V. *Scripta ss. Patrum* uberrimum quendam Traditionis fontem constituunt. Si Deus per Moysen dixerat populo: „*Interroga patrem tuum, et annuntiabit tibi, majores tuos et dicent tibi*":[5]) nos eo magis sanctos Ecclesiae nostrae Patres consulere oportet, qui sacram morum doctrinam a Christo et Apostolis praedicatam, nec non Ecclesiae disciplinam, quae inde ab Apostolorum aetate variis temporibus viguit, fideliter exponunt, simul atque eximie propugnant et illustrant; nam tum testis, tum doctoris seu explanatoris partes ss. Patres agere, ex Dogmatica notum est.[6]) Prae oculis autem haben-

[1]) Clemens XIII. maxime commendat „hunc librum, quem veluti Catholicae fidei et Christianae disciplinae *normam* Romani Pontifices Pastoribus propositum voluerunt." Vid. Catech. Rom. recus. Viennae 1833. p. VII. — De auctoritate Catechismi Conc. Trid. legi meretur accuratissima dissertatio F. Antonini Reginaldi O. P. Neapoli 1765.

[2]) In festo S. Petri de Alcantara (die 19. Octobris)

[3]) Vid. Bullam Sixti V. Immensa aeterni Dei, 22. Jan. 1588. §. 5. Doctor Angelicus dicit: „*Cultus Dei primo ordinatur ad reverentiam Dei, — secundo ad instructionem hominis a Deo, — tertio ad directionem actuum humanorum secundum instituta Dei.*" 2. 2. p. 92. a. 2. c.

[4]) De Eccles. Hierarchia cap. 12.

[5]) 5. Mos. 32, 7.

[6]) Aliquis Jansenistarum, qui false s. Augustinum ut pravae suae doctrinae patronum invocaverant, hanc asseruit propositionem: *Ubi quis invenerit doctrinam in Augustino clare fundatam, illam absolute potest tenere et docere, non respiciendo ad ullam Pontificis Bullam;* quae merito damnata est ab Alexandro VII., nam „*sancta Apostolica sedes et Romanus Pontifex — totius Ecclesiae caput et omnium Christianorum Pater et Doctor existit,*" ut Florent. Concilium definivit. Sapienter dixit S. Thomas: 2. 2. q. 12. a. 10. „*Ipsa doctrina Catholicorum DD. ab Ecclesia auctoritatem habet, unde magis standum est auctoritati Ecclesiae, quam auctoritati vel Augustini vel Hieronymi vel cujuscunque Doctoris.*" Ceterum haeretici eloquia ss. Patrum malesane interpretati sunt ad commenta sua futilia stabilienda.

dum est, multas disciplinares leges, de quibus ss. Patres scripserunt, ut v. c. de jejunio, tractu temporis plurimum esse immutatas, quare in hujusmodi rebus non semper eorum testimoniis insistere possumus. Quantum vero ad divinae legis quaestiones, hic breviter notasse sufficiet: Si ss. Patres in iis *consentiant* saltem moraliter, eorum doctrinae certa et absoluta auctoritate pollent, secus enim Ecclesiam aliquo tempore a veritate defecisse, dicendum foret; quodsi ss. Patres in re aliqua *discrepent,* de qua Ecclesia nihil adhuc definiendum aut pronuntiandum censuit, tunc singulorum auctoritas nec non argumentorum gravitas ponderanda et expendenda est.[1]) Semper autem magna omnibus et singulis sanctis Patribus reverentia exhibenda est, quam profecto haec splendidissima Ecclesiae lumina promerentur et Conciliorum canones praescribunt;[2]) ideoque impium omnino est, eorum effata aut docendi modum traducere, recentissime a Gregorio XVI.[3]) in operibus Georgii Hermes, atque a Pio IX.[4]) in libris Güntherianis merito damnatum.[5])

8. — VI. Non praetereunda sunt in scientia nostra *opera Theo-*

[1]) De auctoritate ss. Patrum in rebus theologicis praeter alios exacte disserit cl. Fessler: Institutiones Patrologiae T. I. cap. 1. §§. 14—23. pag. 31—65. Oeniponti 1850. Qua cautione, quoque delectu tractanda sint Patrum testimonia, egregie ostendit Petavius: De Theolog. Dogmatibus, Prolegom. cap. 2.

[2]) Verba P. M. Pii IX. in Brevi 15. Junii 1857.

[3]) Per Breve 26. Sept. 1835.

[4]) Per Breve 15. Junii 1857.

[5]) Maxime injuriose haeretici in ss. Patres egerunt, si quidem eos tamquam patronos errorum suorum invocare non reveriti sunt. Certe Lutherus lib. de servo arbitrio, ait: „*Augustinus totus meus est.*" Porro Calvinus L. III. de lib. arbit. contra Pighium, „*gloriatus sum,* inquit, *de Augustino, illum prorsus nostrum esse,*" et infra: „*Nos nihil, quam Augustinum sequimur.*" Deinceps Jansenius pariter pro suis quinque haeresibus s. Augustinum inclamavit, ideoque librum, in quo eas docuit, *Augustinum* nuncupavit. Similiter alii haeretici complures s. Augustino aliisque ss. Patribus abusi sunt. Ceterum non raro satis difficile est, mentem ss. Patrum assequi. Plurimum tamen ad eos probe intelligendos confert studium Theologorum scholasticorum, quippe qui fusius accuratiusque solent proponere et evolvere, quae quandoque breviter tantum minusque aperte a ss. Patribus asseruntur.

logorum, quae non sine magno scientiae moralis detrimento a quibusdam recentiorum auctorum neglecta fuisse vidimus.[1]) Theologi siquidem uti Traditionis traduces et interpretes spectari debent. Congregationes Cardinalium in suis Decretis etiam opinionum, quas theologi proferunt, rationem habent, de qua re exemplum adducit Benedictus XIV. de Syn. Dioec. Lib. VIII. c. 10. n. 13. Quandoque Ecclesiae magisterium eorum sententias vel expresse adprobavit, vel easdem tuto teneri posse declaravit. Sic Concilium Viennense, cum nollet definire, an parvulis etiam in baptismo conferantur cum gratia virtutes, opinionem affirmantem tamquam probabiliorem *et dictis sanctorum ac doctorum modernorum theologiae magis consonam et concordem* duxit eligendam.[2]) Benedictus XIV. in operibus suis ad doctrinas theologorum saepissime, imo continuo fere provocat, quin etiam iisdem innixus in multis Christi fideles instruit, ut videre est in ipsius Bullis. Recentissime S. P. Pius IX. declaravit, „sententiam, quae unum in homine ponit vitae principium, animam scilicet rationalem, in Dei Ecclesia esse *communissimam* atque *doctoribus plerisque et probatissimis quidem* cum Ecclesiae dogmate ita videri conjunctam, ut nec sine errore in fide possit negari.“[3]) Quaerentibus decisiones in rebus moralibus Sancta Sedes non raro respondit: Consulantur probati auctores, vel similiter.

9. — Verum speciales vindicias sumamus oportet doctorum Scholasticorum, adversus quos falsa invaluit opinio, non modo inter protestantes, verum etiam inter Catholicos passim, quasi falsis principiis institissent in exponenda Christi doctrina, Laxismum, Mosaismum induxissent etc. At vero quorundam errata omnibus imputari salva justitia et charitate nequeunt. Quis diffiteri velit, permultos eorum tam admirabili sapientia, quam vitae sanctimonia inclytos esse in toto orbe catholico? Reverendum porro judicium Ecclesiae, quae quippe, ut P. M. Pius IX. in epist. ad Arch. Monacensem et Frisingensem 21. Decembr. 1863. ait, non solum per tot continentia

[1]) Mirum non est, quod post novatores Jansenistae Theologos catholicos, imprimis Scholasticos, contempserunt, adversarios quippe sibi illos esse sciverant. Sic Jansenius ipse in suo op. Augustino nominato, Proem. cap. 9. dicit: *Arbitror s. scripturae libris, Conciliis et primorum saeculorum Patribus nos contentos esse debere.* Idem Havermans dicit, et lectionem Theologorum Scholasticorum et moralium reprobat, *quia*, inquit, *antequam prodirent hi Auctores, debuerunt in Ecclesia Confessarii resolvere similes casus, ergo et nunc possunt sine illis.*

[2]) Clement. prim. de fide cathol.

[3]) Epistola ad episcop. Wratislav. die 30. April. 1860.

saecula permisit, ut ex eorumdem Doctorum methodo et ex principiis communi omnium catholicarum scholarum consensu sancitis theologica excoleretur scientia, verum etiam saepissime summis laudibus theologicam eorum doctrinam extulit, illamque veluti fortissimum fidei propugnaculum et formidanda contra suos inimicos arma vehementer commendavit.[1]) Hinc Sedes Apostolica temerarios eorum ausus, qui Scholasticam insectati sunt, aliquoties condemnavit. Nimirum a Pio VI. in Constit. *Auctorem fidei* 28. Aug. 1794 sub n. 76. „*Insectatio, qua Synodus* (Pistoriensis) *scholasticam exagitat, velut eam quae viam aperuit inveniendis novis et inter se discordantibus systematibus quoad veritates majoris pretii, ac demum adduxit ad probabilismum et laxismum;* quatenus in scholasticam rejicit privatorum vitia, qui abuti ea potuerunt, aut abusi sunt“: condemnata est tamquam „*falsa, temeraria, in sanctissimos viros et doctores, qui magno catholicae religionis bono scholasticam excoluere, injuriosa, favens infestis in eam haereticorum conviciis.*“ Rursus P. M. Gregorius XVI. per Breve die 26. Sept. 1835. in operibus Georgii Hermes propositiones in scholas catholicas injuriosas contineri arguit. Deinde P. M. Pius IX. per Breve die 15. Junii 1857. libros Güntherianos ideo etiam prohibitos esse declaravit, quia in his „nec ab iis in scholas catholicas dicteriis abstinetur, quae recolendae memoriae Pius VI. solemniter damnavit.“ Atque per Encyclicam die 8. Decembr. 1864. in Syllabo sub n. 13. hanc sententiam proscripsit: *Methodus et principia, quibus antiqui Doctores scholastici Theologiam excoluerunt, temporum nostrorum necessitatibus scientiarumque progressui minime congruunt.*[2])

10. — Jam vero quod usum attinet sententiarum, quas Theologi morales proferunt, distinguendum est: vel ipsi consentiunt vel dissentiunt. Si *consentiant* saltem moraliter, i. e. si fere omnes aliquid tamquam verum et certum in rebus morum constanter proponunt, quin Ecclesia contradicat: tunc temeritatis arguendus vel jam appropinquare ad haeresim dicendus esset, qui ab eorum sententia

[1]) Apposite Petavius in op. de Theologicis Dogmatibus, Prolegom. cap. 6. n. 8. scribit: „Itaque vel si causae deessent ceterae, propter quas philosophiae dialecticaeque poenitere non debeat scholasticos theologos, haec vel una poterat probabilis videri, quod haereticorum arguta et malitiosa loquacitas per illas convicta et oppressa conticescat.“

[2]) Mira simplicitate et veritate s. Ignatius in suis Exerc. spiritual., Regula 11. ad sentiendum vere cum Ecclesia edicit: „(Debemus) *laudare doctrinam positivam et scholasticam; quia*

discederet;[1]) etenim si talis Theologorum sententia esset falsa propter religionis et morum periculum ab Ecclesia tolerari non posset, quae ergo, cum tacet et non contradicit, eam profecto approbat et confirmat.[2]) Ubi vero Theologi universali ac constanti consensu doctrinam aliquam statuunt revelatam et fide tenendam, Ecclesiae magisterio non reclamante; tunc eadem sine haeresis nota negari nequit; quia in illo Theologorum consensu ipsius Ecclesiae sensus manifestatur.

Quodsi Theologi in re quadam morali *dissentiant:* tunc praeter internas rationes etiam doctorum auctoritas discutienda est. Provide autem advertendum est, ut s. Alphonsus ait, quod auctoritas scriptorum non ex multitudine, sed ex eorum gravitate aestimari debet, ita, ut paucorum, vel etiam unius doctoris speciali scientia ac pietate praediti auctoritas aliis pluribus aliquando praeferenda sit.[3])

---

sicut magis proprium est doctorum positivorum, ut sancti Hieronymi, s. Augustini, et s. Gregorii etc. movere affectus ad amandum in omnibus Deum Dominum nostrum eique serviendum: ita est magis proprium scholasticorum, uti s. Thomae, s. Bonaventurae et Magistri Sententiarum etc. res ad salutem aeternam necessarias definire vel declarare, pro nostris temporibus, et ad magis impugnandum et declarandum omnes errores et omnes fallacias: quia doctores scholastici cum sint recentiores, non solum proficiunt (fructuose utuntur) *vera intelligentia sacrae scripturae et positivorum ac sanctorum doctorum scriptis, sed etiam ipsi illuminati cum sint et illustrati virtute divina, juvantur a Conciliis, canonibus, et Constitutionibus sanctae nostrae matris Ecclesiae.*" Haud immerito Melchior Canus: „*Nec minima,* inquit, *scholae auctoritas, quam parvi facere nemo sine fidei discrimine potest. Connexae quippe sunt ac fuere semper post natam scholam, scholae contemtus et haeresum pestes.*" Loc. Theol. Lib. 8. c. 1. Cf. Petavium: De theol. dogmat., Prolegom. cap. 6. n. 8.

Seite Scholasticam contra ejus calumniatores recentissime defendit clariss. Kleutgen: Die Theologie der Vorzeit, letzter Band, I. Abth. Münster 1860. De eadem Patiss S. J. Das A. B. C. der Scholastik. Wien 1866. Pesch. S. J. Ueber die scholastische Bildungsmethode (Stimmen aus Maria-Laach 1875. B. VIII. S. 125. u. f.)

[1]) Melchior Canus: De locis theolog. lib. 8. c. 1. Scavini: Theol. moralis universa, Tom. I. n. 132. Edit. 12. Kleutgen: Die Theologie der Vorzeit, letzt. Bd. I. Abth. 6. Haupt. n. 52. S. 109—111. Münster 1860.

[2]) S. Augustinus scribit: *Ecclesia Dei multa tolerat, ea tamen, quae sunt contra fidem sanctam vel bonam vitam, nec approbat nec tacet.*" Epist. 119. Vid. etiam s. Thom. Quodl. lib. 9. art. 15.

[3]) Theol. moralis, ed. ab Haringer, p. XIV. Ratisb. 1846. Canus scripsit: „*Plurium auctoritas obruere theologum non debet: sed si paucos viros modo graves secum habeat, poterit sane adversus plurimos stare. Non enim numero haec judicantur, sed pondere.*" Lib. VIII. cap. 4. n. 1.

Itaque illicitum est, quemcunque auctorem sectari, unde ab Alexandro VII. jure damnata est propositio 27: *Si liber sit alicujus junioris et moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constat, rejectam esse a Sede Apostolica tamquam improbabilem.*

Denique super hac re venit adhuc observandum, quod graviter et sapienter cum Innocentio XI. monuit Benedictus XIV.,[1]) „*ne videlicet tamquam definitum ab Ecclesia proponatur, quod nondum definitum est, et ne illiberaliter traducantur propositiones, super quibus sancta Sedes nondum judicium protulit*", qua re, ut idem laudatus Summus Pontifex adjungit, „turbae in Ecclesia excitantur, dissidia inter doctores aut seruntur, aut foventur, et christianae charitatis vincula persaepe abrumpuntur." Quantopere hac moderatione ipsi gravissimi doctores, ut d. Thomas et s. Alphonsus excellunt!

Merito igitur concludimus cum s. Bernardo: „*Distinguendum sane inter manifesta et dubia, nec illa scilicet adduci in dubium, nec ista temere affirmari.*[2])

11. — Cum prae ceteris Theologis s. Thomam Aquinatem et s. Alphonsum de Liguori in explananda morum doctrina simus secuturi: ideo singularem, qua illi praefulgent, auctoritatem hic statim manifestam reddere, opportunum videtur.

S. Thomas Aquinas dum viveret, eruditissimus et sagacissimus veritatis catholicae propugnator erat, et defunctus († 1274.) adhuc loquitur scriptis, summis praeconiis ab Ecclesia jure meritoque celebratis. Etenim Romani Pontifices multis decretis doctrinam ejus non confirmarunt tantum, sed splendidissimis simul laudibus et commendationibus ornaverunt. Sic Joannes XXII. in Bulla Canon. 1323. dicit, quod „non absque speciali Dei infusione (opera) perfecit." Prius jam Innocentius V. „hujus doctoris sapientia, inquit, prae ceteris habet proprietatem verborum, modum dicendorum, veritatem sententiarum: ita, quod qui eam tenuit, nunquam inventus est a virtutis tramite aberrasse, et qui eam impugnavit, semper de veritate suspectus fuit." S. Pius V. in Const. *Mirabilis Deus* 1567. doctrinam divi Thomae „certissimam christianae doctrinae regulam" esse testatur. Clemens VIII. eundem doctorem „divinae voluntatis Angelicum interpretem" dicit, simulque adjungit, „quod sine ullo errore (opera) conscripsit." Benedictus XIII. in Const. *Pretio suo* 1727. ait, quod „angelica doctrina tanti doctoris — solis instar mundum universum illustrans uberrima christianae Ecclesiae bona peperit, paritque in dies singulos multiplici fructu." Clemens XII. in Bulla *Verbo Dei* 1733. juxta magnos Ecclesiae doctores, Gregorium, Ambrosium,

---

[1]) In Constit. *Sollicita et provida* §. 23. die 9. Julii 1753.

[2]) In Cantica Serm. 17. n. 4.

Augustinum et Hieronymum pronunciat Thomam esse ponendum. Recentissime S. P. Leo XIII., qui in Encyl. die 4. Augusti 1879. de philosophia christiana ad mentem Doctoris Angelici in scholis catholicis instauranda in ejus laudes plurima edixerat, eundem episcopis, aliisque permultis petentibus Patronum scholarum catholicarum declaravit per liter. Apost. die 4. Augusti 1880., in quibus praeter alia de ipso praedicat: „*Doctrina* (ejus) *est tanta, ut sapientiam a veteribus defluentem, maris instar, omnem comprehendat. Quidquid est vere dictum aut prudenter disputatum a philosophis ethnicorum, ab Ecclesiae Patribus et Doctoribus, a summis viris, qui ante ipsum floruerunt, non modo ille penitus dignovit, sed auxit, perfecit, digessit tam luculenta perspicuitate formarum, tam accurata disserendi ratione, et tanta proprietate sermonis, ut facultatem imitandi posteris reliquisse, superandi potestatem ademisse videatur. Atque illud est permagnum, quod ejus doctrina, cum instructa sit atque apparata principiis latissime patentibus, non ad unius dumtaxat, sed ad omnium temporum necessitates est apta, et ad pervincendos errores perpetua vice renascentes maxime accomodata. Eadem vero, sua se vi et ratione confirmans, invicta consistit, atque adversarios terret vehementer.*“ [1]) — Etiam Concilia oecumenica opera d. Thomae maximi habuerunt atque illibatae ipsius doctrinae acclamaverunt; et in Concilio Tridentino Doctor Angelicus tanto honore dignus habitus est, ut ejus Summa Theologica praeter ss. Scripturas et Constitutiones Pontificum super altari coram Patribus Concilii collocaretur, atque ab iisdem studiose consuleretur. — Denique aliis in hujus doctoris laudem omissis [2]) Ecclesia in oratione etiam, pro ejus festo (die 7. Martii) praescripta, magna pietate ipsius doctrinam veneratur, siquidem ita precatur: „*Deus, qui Ecclesiam tuam Beati Thomae Confessoris tui mira eruditione clarificas, et sancta operatione foecundas: da nobis quaesumus, et quae docuit intellectu conspicere, et quae egit, imitatione complere.*“ [3]) — Jam vero haec omnia profecto talia sunt, quae praecelsam

[1]) Hujus s. Doctoris principiis et vestigiis insistens pro modulo meo adversarios doctrinarum, de quibus egi, refellere libenter studui. Perniciose Güntheriani assidue errarunt existimantes, s. Thomae principia non amplius apta esse pro nostro tempore.

[2]) Vid. Kleutgen: Die Theologie der Vorzeit, letzt. Bd. 2. Th. 1. Abth. 6. Hauptst. II. n. 54—61. S. 113—130.

[3]) Joannes XXII. aliqua occasione dixisse fertur: „In hujus (s. Thomae) libris plus proficit homo uno anno, quam in aliorum doctrina toto tempore vitae suae.“ Bolland. Tom. I. p. 682. Clariss. Perrone: Prael. Theol. Vol. I. n. 10. recte observat: „Vix theologum dixeris, qui ipsius opera, Summam praesertim et libros contra Gentes non legerit, ac pervolutaverit.“

s. Thomae auctoritatem in iis, quae docuit, ergo etiam in rebus morum, firmissime evincunt.[1])

12. — Sanctus Alphonsus Maria de Liguori († 1787.) vestigia doctoris Angelici pressit, ut ipse asserit verbis: „plurimum studui, ut doctrinas s. Thomae transscriberem et ipsum sequerer: nam ipso duce in rebus theologicis inoffenso pede ambulatur.“ Etenim doctrinis d. Thomae innixus casuistice Theologiam moralem explanavit. Quanta sancti hujus Doctoris in morum doctrina auctoritas sit, ex Ecclesiae judiciis et encomiis certissime perspicitur. Benedictus XIV. opus morale, a s. Alphonso sibi dedicatum, perbenigne suscepit et auctori rescripsit, se non dubitare illud universae communitati utilissimum fore. Pius VII. sub die 18. Maji 1803. per Congregationem Rituum decretum emisit, in quo declaratur, *in operibus s. Alphonsi nihil censura dignum repertum esse.* Quantam vero laudem verba haec importent, ex supra dictis n. 4. conjicere licet. Leo XII. illum nuncupavit „virum sanctissimum atque doctissimum.“ Pius VIII. pronuntiavit eum nedum virtutum splendore, sed et *sana et secundum Deum doctrina praefulsisse.* Rursus Gregorius XVI. die 5. Julii 1831. per S. Poenitentiariam declaravit, Theologiae professorem opiniones beati Alphonsi tuto sequi et profiteri posse, nec Confessarium esse inquietandum, qui in praxi sacrae poenitentiae tribunalis omnes beati Alphonsi opiniones sequitur, quin perpendat rationes, quibus variae ejusdem Sancti nituntur opiniones, hac sola ratione, quod a Sede Apostolica nihil in ejus operibus censura dignum repertum fuit. Idem Pontifex in Bulla canoniz. sub die 26. Maji 1839. praeter alia in hujus sancti episcopi laudem hoc etiam edicit: „*Illud vero inprimis notatu dignum est, quod licet copiosissime scripserit, ejusdem tamen opera inoffenso pede percurri a fidelibus posse, post diligens institutum examen perspectum fuit.*“ Summus Pontifex Pius IX. Petro

[1]) De d. Thoma recentissime scripserunt: Dr. Carol. Werner: Der heilige Thomas v. Aquin, 3 Bde. Regensburg 1858—1859. Dr. Anton. Rietter: Die Moral des hl. Thomas von Aquin. München 1858. Dr. H. Plassmann: Die Schule des heil. Thomas v. Aquin. Zur genaueren Kenntnissnahme und weiteren Fortführung für Deutschland neu eröffnet. 4 B. Soest. 1857—1861. Dr. Stöckl: Geschichte der Philosophie des Mittelalters. II. B. §. 120—199. S. 421—714. Mainz 1864. M. Liberatore S. J. Della conoscenza intellettuale. 2 vol. Roma. 1857—1859. Versionem secundae partis hujus operis in linguam germanicam confecit Dr. Eugen Franz: Die Erkenntniss-Theorie des heil. Thomas v. Aquin, von C. M. Liberatore. Mainz 1861. Praeterea plures opera philosophica ad mentem s. Thomae conscripserunt, inter quos Caj. Sanseverino, Liberatore, Boylesve, Tongiorgi, Stöckl, Egger, Schütz, Pesch, Rosetti.

Scavini, qui opus morale secundum s. Alphonsi doctrinas exaratum ipsi dedicaverat, rescripsit se vehementer ei gratulari, quod in his theologicis institutionibus nihil antiquius habuerit, quam *salutares sanctissimi ac doctissimi viri Alphonsi Mariae de Liguori doctrinas magis magisque propagare, iisque Ecclesiasticae praesertim juventutis animos imbuere.* Porro s. Poenitentiaria cuidam disciplinae moralis Professori, qui in Universitate quadam juramentum emiserat, probabiliorismum pro viribus tuendi, sciscitanti die 19. Dec. 1855. respondit, eum non obstante juramento sancti Alphonsi doctrinam posse in omnibus sequi et publice tradere, nec dispensatione indigere. Quibus accedit, quod etiam in publicis precibus Ecclesia s. Alphonsi doctrinas veneratur, dum in ejus festo (die 2. Augusti) precatur, ut *ejus salutaribus monitis edocti,* et exemplis roborati ad Deum pervenire feliciter valeamus. Id autem potissimum est, quod jam ad S. P. Gregorium XVI. septuaginta et quinque archiepiscopi et episcopi supplices facti sunt, ut s. Alphonsus in album Doctorum Romanae Ecclesiae referretur, et postmodum 39 Cardinales, 10 Patriarchae, 135 archiepiscopi, 544 episcopi, 25 superiores religiosorum Ordinum, 15 Capitula Eccl. Metrop. et Cathetral., 2 Facultates Theologicae (Lovaniensis et Vindobonensis), 2 Collegia theologica (Neapolit. et Bononiense), 3 Sodalitia ss. Missionum, et docti ex omni coetu viri supplices literas eundem in finem ad Sanctissimum Patrem Pium IX. direxerunt, qui hoc negotio a S. R. Congregatione expenso, ejusdem Congregationis Rescriptum de die 11. Martii 1871. pro concessione seu declaratione et extensione ad universam Ecclesiam tituli Doctoris in honorem sancti Alphonsi, per Generale Urbis et Orbis Decretum die 23. Martii 1871. confirmavit, atque rursus per Breve die 7. Julii 1871. titulum Doctoris in honorem s. Alphonsi confirmavit, et Officium ac Missam in die ejus festo juxta S. R. C. praescriptum fieri jussit, haec simul adjungens: „*Praeterea hujus Doctoris Libros, Commentaria, Opuscula, Opera denique omnia, ut aliorum Ecclesiae Doctorum, non modo privatim, sed publice in Gymnasiis, Scholis, Collegiis, Lectionibus, Disputationibus, Interpretationibus, Concionibus, Sermonibus, omnibusque aliis Ecclesiasticis studiis, christianisque exercitationibus, citari, proferri, atque, cum res postulaverit, abhiberi volumus et decernimus.*“ Quod specialiter moralia hujus sancti Doctoris opera attinet, in praelaudato Urbis et Orbis Decreto haec habentur: „— *ipse errorum tenebras ab incredulis et Jansenianis late diffusas doctis operibus maximeque theologiae moralis tractationibus dispulit atque dimovit. Obscura insuper dilucidavit, dubiaque declaravit, cum inter implexas Theologorum sive laxiores sive rigidiores sententias tutam straverit viam, per quam Christifidelium animarum moderatores inoffenso pede incedere possent.*“ Denique S. P. Leo XIII. in literis ad duos presbyteros Congr. S. Red. (qui opera s. Doctoris dogmatica et ascetica in linguam gallicam verterunt) loquitur „*de Morali Theologia ubique terrarum celebratissima, tutamque plane praebente normam, quam conscientiae moderatores sequantur;*“ eundemque s. Doctorem simul cum d. Thoma in epistola gratiosa die 13. Martii 1880. ad me data, quae meo operi pag. V. et VI. praefigitur, magnis laudibus effert.

§. 7.

III. De usu rationis humanae in Theologia morali, atque de diversa hanc tractandi methodo.

1. — Theologiae moralis est, ea apto ordine edisserere, quae Deus revelavit atque per Ecclesiam suam constituit ad morum sanctimoniam ac disciplinam necessaria et utilia; atque ideo ratio humana proprius et adaequatus fons Theologiae moralis dici nequit.[1]) Continentur quidem in hac scientia etiam veritates, ratione cognoscibiles; quae tamen principaliter, prouti sunt divinitus revelatae, considerantur; id enim theologiae indoles, unitasque scientiae poscit.[2]) Utitur vero haec sacra doctrina ratione humana ad morum dogmata rite exponenda, convenienter probanda et illustranda, porro ad eadem contra impugnatores solide munienda, atque particulariter etiam in usus practicos evolvenda et explananda; in quibus tamen omnibus ratio vivum Ecclesiae magisterium ut infallibilem divinae voluntatis interpretem revereri et sequi debet; quamobrem in nostra scientia, prouti in qualibet alia scientia Theologica ancillari, non dominari rationis humanae est.[3]) Insuper doctrinas singulas aptis formulis determinare, atque in ordinem convenientem redigere, seu systema cognitionum moralium efformare, ad rationis humanae munera pertinet.

---

[1]) S. Thomas: Summa Theol. p. 1. a. 8. ad 2. de doctrina sacra dicit: „Argumentari ex auctoritate est maxime proprium hujus doctrinae, eo quod principia hujus doctrinae per revelationem habentur.“

[2]) Cf. d. Thom. 1. q. 1. a. 1. ad 2.; a. 3. ad 2.

[3]) P. M. Pius IX. in Brevi 5. Junii 1857. declaravit, „illud etiam vel maxime improbandum ac damnandum, quod in Güntherianis libris *humanae rationi et philosophiae, quae in religionis rebus non dominari, sed ancillari omnino debent, magisterii jus temere attribuatur.*“

Eandem veritatem nostris praeser-

2. — Pro diverso rationis usu, qui in tradenda christiana morum doctrina fieri solet, scientia nostra diversas induit formas. Dicitur enim *positiva*, si morum dogmata ex fontibus Theologiae propriis probantur et confirmantur, rectoque ordine exponuntur. *Speculativa* seu *scholastica* est, quando morum dogmata ex theologia positiva ceu jam probata desumuntur, ut principiis philosophiae illustrentur, intimi eorum nexus internaeque rationes declarentur, atque per argumentationem legitimam ex eis conclusiones deducantur. [1]) Utraque haec in praxi ab invicem vix penitus separari potest, ut patet.

Praeterea morum disciplina vel casuistice vel magis abstracte exponi potest. *Casuistica* tunc dicitur morum scientia, quando generalia morum principia ad casus particulares in vita occurrere solitos applicantur, quaestiones practicae juxta principia generalia rite discutiuntur et resolvuntur.

3. — *Mystica* Theologia autem methodus quaepiam Theologiam tractandi dici nequit; sed potius disciplina est disserens de viis supernaturalibus et extraordinariis, quibus Deus animam ad intimam et consummatam unionem cum semetipso perducit. Possunt tamen, et passim etiam solent materiae huc spectantes Theologiae morali inseri. [2]) Latius etiam accipi solet Mystica, ita ut sit institutio de omnibus viis mediisque christianae perfectionis usque ad unionem consummatam cum Deo nanciscendae; quo sensu totam Ascesim christianam includit. [3])

---

tim diebus bene notandam Concilium Prov. Viennense ex Ecclesiae traditione his attestatur verbis: „*Post Clementem Alexandrinum et S. Joannem Damascenum b. Albertus Magnus, s. Thomas Aquinas, s. Bonaventura philosophiae eas attribuere partes, ut Theologiae ancillam ageret.*“ Tit. I. cap. IV. Vindob. 1859. pag. 36, 37. Scite hoc de argumento disserit Denzinger: Vier Bücher von der religiösen Erkenntniss. 2. B. S. 564-566 Würzb. 1857: Kleutgen: Die Theologie der Vorzeit III. B. 2. Th. 5. Abh. n. 515. u. f. Münster 1865, et praesertim Clemens: De scholasticorum sententia, philosophiam esse theologiae ancillam, commentatio, Monasterii 1856.

[1]) Cf. s. Thom. q. I. a. 5. ad 2.; q. 1. a. 8. Theologia scholastica erat natura sua Theologia speculativa juxta *nostrum* loquendi modum, nam antiquioribus Theologis speculativum idem est, ac theoreticum. De indole Scholasticae atque ejusdem ad Theologiam positivam relatione egregie pro more suo agit Jos. Kleutgen: Die Theol. der Vorzeit Letzt. Band. II. Theil. 1. Abth. 2. Hauptstück. S. 20—31. Münster 1860.

[2]) Doctor Angelicus plerasque hujus modi res in prima et secundae secunda parte Summae Theologicae considerat. S. Alphonsus de gratiis extraordinariis sermonem instituit in op. Homo Apostol. Append. I.

[3]) Sic eam e. g. spectat Schram: Institutiones Theologiae mysticae, nova Edit. Parisiis 1868. — Plura de notione, principio et scopo Mysticae Theol. habet Card. Bona: Via Compendii ad Deum, cap. 3.

4. — Quod judicium attinet de singulis methodis ferendum, breviter sequentia notamus.

1. *Positiva* methodus ab omnibus catholicis adprobatur et laudatur. Et numquid aliter sentire et judicare catholicus potest? Utinam vero Traditio minus negligeretur, et ipsa s. scriptura non tantum veluti granum salis ad condiendas doctrinas propositas adhiberetur!

2. *Scholastica* methodus non paucos vituperatores inter ipsos catholicos invenit. In Germania nonnullis theologis ea velut in parabolam et proverbium facta erat. Puto illos veram hujus methodi indolem perspectam non habuisse. Vel quid dices, si alii eorum Scholasticis objiciunt, quod rationis vires nimis extulerint, e contrario alii, quod Scholastici rationis vires nimis depresserint? Ceterum laudent, quae Ecclesia laudat; Ecclesia vero Scholasticam laudat, nedum doctrinam, sed etiam methodum. Recole dicta §. 6. n. 9. Non tamen ii sumus, qui diffiteamur, essentialia hujus methodi (coll. n. 2.) ab accidentalibus esse secernenda. Quis enimvero contendere vellet, voces omnes Scholasticis usitatas necessario esse retinendas, eundemque disceptationis ordinem, quo illi uti cōnsueverant, omnino esse adoptandum, formas et argumentationes non nisi Aristotelicas esse usurpandas etc.?

3. *Casuistica* pariter non omnibus arridet, quandoquidem non pauci eam superfluam, imo et perniciosam, nullamque veri nominis scientiam esse praetendunt. Sed immerito. Cur enim Casuistica non systematice exponi posset? Profecto fere omnes, qui opera casuistica scripserunt, non tantum principia practice evolvenda rite colligarunt, verum etiam materias generales pertractandas attento ordine, quo inter se cohaerent, apte disposuerunt. Perniciosa vero Casuistica ideo false judicatur, quia vitia sive plurium sive pauciorum Casuistarum in ipsam Casuisticam rejici nequeunt. Minime denique inutilis et superflua, imo valde necessaria est. Audiatur s. Alphonsus contra illius obtrectatores verissime scribens: „*Asserunt, satis notitiam principiorum, et sufficere ad theologiam moralem comparandam eos tantum libros pervolvere, qui eruditionis specimen prae se ferentes in generalibus principiis totam hujus longae artis seriem consistere putant, necessariis quaestionibus dubiisque praetermissis celebriorum auctorum auctoritates elate et inepte despicientes: sed prorsus falluntur. Principia enim pauca sunt et nota unicuique vel primis rei moralis rudimentis imbuto. Maxima quippe hujus scientiae difficultas*

in hoc consistit, ut principia ad casus particulares bene applicentur et diverso modo, prout diversae occurrunt circumstantiae, ex quibus resolutionum pendet variatio. Hoc utique est, in quo auctores nostri laborant, ut ex principiis particulares resolutiones deducant. Et ideo versantur in pluribus dubiis, enucleandis tot voluminibus, practicas quaestiones fuse pertractantibus, de quibus nec mentionem facere dignantur, undique declamando, futile quiddam esse, hos pueriles casusculos agitare. Sed negare non possunt, quotidie difficiles et novos casus accidere, ac propterea adeundi sunt auctores illi, in quibus hi casus discussi inveniuntur; ipsi vero nihil facientes doctorum auctoritates, et omnino audacterque deferentes soli proprio judicio, istud unicum semetipsorum judicem constituunt etc." [1]) Et jam Angelicus Doctor observavit: „*Sermones morales universales minus sunt utiles, eo quod actiones in particularibus sunt.*" [2]) Hinc s. Carolus Borromaeus in Instr. Confess. ait: „*Omnes Confessarios, quamvis a nobis ut idonei semel admissi fuerint, tamen ob graves et diversos scrupulos, qui poenitentibus in dies occurrunt, et plurimas difficultates sibi cohaerentes habent, praemonitos volumus, ut bonos et classicos Auctores nonnullos, qui casus conscientiae ex professo tractant, manibus continuo terant.*" Eadem persuasione ductus s. Franciscus Salesius in suis Instruct. distincte suadet lectionem casuum, quos digessit Reginaldus; et epist. 39. commendat librum casuum Toleti tamquam brevem, facilem, securum. Aliis omissis in Instructione Pastorali Eystettensi 1854. Tit. XI. cap. 3. §. 6. dicitur: „*Pro haurienda ad Sacramenti Poenitentiae administrationem necessaria scientia libri Theologiam praecipue moralem tractantes vix non continuo sunt evolvendi, praesertim, qui principia generalia pro variis circumstantiis ad casus particulares adaptant.*" Et signanter opera moralia s. Alphonsi de Liguori omnibus Confessariis commendantur. Concil. Prov. Viennens. a. 1858. Tit. VI. cap. 2. de Cursus theologici Quadriennio inter alia praescribit: „*In Theologia morali systematis ratio non negligenda et pro temporum conditione adlaborandum est, ut resecentur radices errorum, quibus vitae christianae principia pessumdantur. Attamen haec ita pertractentur, ut casuisticae nihil detrahatur. Sana ratio et usus ad conscientiae casus probe dijudicandos multum valent: sed in difficilioribus rebus saepe fallunt confessarios, qui in eis nimium confidunt. Temerarium est, ubi de aeterna fratrum salute agitur, negligere auxilia, quae ex laboribus tot virorum pietate, doctrina et experientia insignium hauriri possunt.*"

[1]) In dissert. de usu moderato opin. probabilis.

[2]) In Prologo in 2. 2. Summae Theolog.

§. 8.

Praecipui aetatis nostrae errores, morum doctrinam deturpantes.

1. — Concilium Vaticanum Sess. III. rationalismum seu naturalismum, pantheismum, materialismum, atheismum ceu principales saeculi nostri errores designat. Porro P. M. Pius IX. in encycl. die 8. Decembr. 1864. rationalismum duplicem distinguit: rationalismum absolutum et semirationalismum. Et si rationalismus, et a potiori pantheismus atque materialismus ad vitam socialem applicentur, colluvies exoritur doctrinarum teterrimarum, quae Liberalismi et Socialismi nomine veniunt. Istos errores quoad sua principia fundamentalia et consectaria practica, vitam moresque spectantia, paucis delineabimus, ut habeatur conspectus commentorum, quae serius opportune refellemus.

A. Rationalismus.

2. — Juxta distinctionem supra datam I. *rationalismus absolutus* inspiciendus est. Hic, ut omnibus constat, supernaturalem revelationem possibilem esse negat. Hinc, ut Concilium Vaticanum Sess. III. prosequitur, „religioni christianae utpote supernaturali instituto per omnia adversans, summo studio molitur, ut Christo, qui solus dominus et Salvator noster est, a mentibus humanis, a vita et moribus populorum excluso, merae quod vocant rationis vel naturae regnum stabiliatur." Nimirum projecta divina revelatione naturam et rationem homini sufficere ad finem suum assequendum, rationem porro absoluta vi gaudere, suique ipsius legislatricem esse contendit. Ideo etiam humanitatem propriis viribus suaque sponte continuo progressu sese evolvere comminiscitur, atque progressum generis humani, religione christiana (quam rationi refragari et hominis perfectioni nocere dicit) penitus exclusa, solis naturae viribus efficiendum ut scopum designat, ad quem ab omnibus omni studio eluctandum sit. Funestissimus hic error, qui in Germania potissime per philosophiam Kantianam stabilitus est, [1]) hodiedum sub specioso *Humanismi* et *Progressismi* nomine pestis instar late nimis per orbem grassatur. [2])

[1]) Ipse protestanticus scriptor Adolphus Wuttke vere dicit: „Kant's Werk: Die Religion innerhalb der Grenzen der blossen Vernunft ist der Katechismus des Rationalismus geworden." Handbuch der christlichen Sittenlehre. I. B. §. 262. Berlin 1861.

[2]) Naturam et historiam Rationalismi exacte evolvit Denziger: Vier Bücher von der religiösen Erkenntniss. I. B., §. 159—227. Würzburg 1856.

3. — Non multo melioris frugis II. existit *semirationalismus*, qui quidem supernaturalem Dei revelationem admittit, sed ita eam explicat et pertractat, ut „naturam et gratiam, scientiam humanam et fidem divinam perperam commisceat, genuinum sensum dogmatum, quem tenet et docet sancta Mater Ecclesia, depravet integritatemque et sinceritatem fidei in periculum adducat.“ Concil. Vatic. Sess. III. Prol. Imprimis theologi Germaniae non pauci inde a Baader et Hermes, „scientiae germanicae“ uti vocant, cultores, studio protestantes et philosophos incredulos religioni Ecclesiaeque catholicae conciliandi ducti liberaliori via ac methodo scientiam theologicam tractandam susceperunt, quatenus vinculo debitae subjectionis ad supremam Ecclesiae auctoritatem relaxato in rebus religionis scientifice exponendis principio protestantico liberi examinis non parum indulgebant, et traditionem scientificam ab Ecclesia sancitam proterve abrumpentes scitis philosophiae temporariae insistebant. Et principale quidem axioma, ex quo disquisitiones scientificas ordiebantur, in falsissima deprehenditur suppositione, hominem quoad naturam rationalem ita esse completum et absolutum, ut supernis ac divinis donis possit quidem ad bonum vel meliorem usum virium juvari, at vero ad cognitionem et perfectionem, quae conditionem naturae penitus excedit, divinitus evehi nequeat: adeoque omnia, quae supernaturalia dicuntur, non minus quam naturalia „potentialiter“ in ipsa natura humana contineri.[1]) Ex quo principio non poterant non errores funestissimi, praesertim circa gratiam et fidem, dimanare, etiam morum doctrinam haud leviter inficientes. Praetermitto sententias a doctis illis viris circa gratiam divinam propalatas, cum sint praeter rem nostram; tantum quoad materiam fidei eorum commenta indicabo, eaque non alia, quam quae jam Ecclesiae magisterium reprobavit. Tradebant nonnulli, universa fidei dogmata posse per rationem rite exultam e suis naturalibus principiis intelligi et demonstrari, theologicas disciplinas perinde ac philosophicas esse tractandas; non deerant, qui autumarent, theologum catholicum posse vel debere fidem suam suspendere, nihilque pro certo et concesso supponere,

[1]) Schmid: „Es bildet ein Grundbestreben des neuen Geistes, das Uebernatürliche überall in der Natur der Dinge schon angelegt und in der Vernunft begründet zu finden.“ Richtungen auf dem Gebiete des Katholicismus, S. 221. „Die Natur des Menschen muss nicht bloss das Natürliche potentiell in sich enthalten, sondern auch das Uebernatürliche.“ S. 208. „Die geschöpfliche Natur enthält auch das Uebernatürliche in sich angelegt.“ S. 216.

ut absoluta independentia scientificam instituat disquisitionem de credibilitate et veritate religionis catholicae, et secundum hujusmodi disquisitionis eventum judicium ferat; unde consequenter tradebant, fidem a demonstratione scientifica dependere et argumentis humanae rationis produci. Comperiebantur etiam, qui divinam revelationem progressui scientiarum accommodandam esse putarent, atque fieri posse censerent, ut dogmatibus ab Ecclesia propositis aliquando secundum progressum scientiae sensus tribuendus sit alius ab eo, quem intellexit et intelligit Ecclesia. Ex defectu adhaesionis in magisterium Ecclesiae divinitus institutum nonnulli eo devenerunt, ut licet ss. scripturas et Traditionem ceu fontes revelationis adstruerent, judicium tamen definitivum, an doctrina aliqua ut divinitus revelata in illis fontibus revera contineatur, „scientiae“, id est, sibi vindicarent. Cui principio jansenistico insistentes et semetipsos judices dogmatum facientes aliqui eorum infallibilitatem Summi Pontificis ex cathedra loquentis et cum illa infallibilitatem totius Ecclesiae docentis, imo et Primatum jurisdictionis negabant et pernegant; et quamvis ab Ecclesia ejecti sint, nihilominus tamen more Jansenistarum se ad Ecclesiam pertinere et veterem fidem catholicam profiteri fingunt, indefectibilitatem Ecclesiae per definitiones Concilii Vaticani periisse blasphemantes; et dum odio Papae incensi in Dei Ecclesiam rebelles existunt, simul „opinionem publicam“ ad rebellionem adversus Summum Pontificem et episcopos mendaciis fraudibusque exagitant; denique rursus Jansenistarum exemplum imitantes principium de suprema populi majestate (Volkssouverainität) in sinum Ecclesiae invehere student, jurisdictionis potestatem ad plebem seu, ut ajunt, ad communitatem transferendo; et ne quid insaniae desit, unionem omnium sectarum, confessionali charactere sublato, unitis cleri et laicorum laboribus efficere moliuntur. En fructus non satis deplorandos scientiae superbia inflatae, novitatum supra modum studiosae, ab Ecclesiae auctoritate emancipatae.

B. Pantheismus.

4. — Rationalismus absolutus eo ipso, quod rationem pro absoluta veri rectique norma habet, atque naturam sibi sufficere tenet, prono alveo ad apotheosim creaturae seu ad Pantheismum procurrit. *Pantheismus* siquidem tradit, deum esse omnia, omniaque efficere, et in mundo praesertim in humanitate, continuo sese evolvere atque in eadem ad sui conscientiam pervenire,[1]) cuncta idcirco in perpetuo

[1]) Sic Hegel dicit: „Der Mensch weiss nur von Gott, insoferne Gott im Menschen von sich selbst weiss; diess Wissen ist Selbstbewusstsein Gottes etc.“

et necessario fluxu, transitu et progressu versari insania impudenti fabulatur. Hinc Dei veri existentiam negat, adeoque nulla erga Deum officia agnoscit, ulterius voluntatis libertatem ac imputationem moralem tollit, itemque consequenter doctrinas illas, quae aliquo aevo dominantur, necessarias esse numinis divini manifestationes,[1]) adeoque omnem veritatem, religiosam etiam et moralem, semper variare contendit, proindeque ordinem moralem, legem immutabilem cordibus nostris a Deo inscriptam, nec non discrimen intrinsecum inter bonum et malum morale inficiatur, atque demum progressum indefinitum ope continuae mutationis ut scopum humanitatis praedicat. Pantheismi principes sunt Spinoza, Fichte, Schelling et Hegel, qui diversis formis eum induere studuerunt.[2])

C. Materialismus.

5. — Testante sacra scriptura Dan. 4. rex Nabuchodonosor, qui superbia elatus Deum se fecerat, postea bestiis associatus est et bestiarum more egit, donec Deum coeli recognovit. Pantheismus, qui hominem facit Deum, in Germania brevi transiit in foedum Materialismum, qui bestiis hominem associat et adaequat. Nec mirum, quando quidem divinam essentiam in mundo visibili se evolvere et fieri omnia, hominisque finem terrestre bonum esse fingitur: prona est consecutio, praeter mundum visibilem, naturam, materiam nihil esse.[3]) *Materialismus* quippe praeter materiam nihil existere affirmat. Hinc

Religionsphilosophie. 2. B. S. 496. Berlin 1840. — Schelling: „Das Ich denke, Ich bin, ist seit Cartesius der Grundirrthum aller Philosophie, weil das Denken nicht mein Denken und das Sein nicht mein Sein ist, weil Alles nur Gottes ist, oder des All's.“ Aphorismen zur Einleitung in die Naturphilosophie S. 44. Die Welt im pantheistischen Sinne ist substantielle Selbstverwirklichung Gottes.

[1]) Adolphus Wuttke verissime scribit: „Die pantheistische Sittenlehre macht die gesammte Menschheit zum wirklichen Ausdruck der sittlichen Idee, zu ihrem Christus. Alles Wirkliche ist da vernünftig; aller Widerspruch mit dem Gesetze ist blosser Schein; es ist nichts anders, als was sein muss.“ l. c. S. 7. 8.

[2]) En quaedam pantheisticae definitiones Ethicae: „Die philosophische Ethik ist speculatives Wissen um die Gesammtwirkung der Vernunft auf die Natur,“ und da in höchster Instanz Vernunft und Natur wesentlich identisch sind, so ist „im höchsten Wissen Ethik Physik und Physik Ethik. Ita Schleiermacher: Entwurf eines Systems der Ethik. 1835. S. 37, 41, 46. „Die Ethik ist die Wissenschaft des absoluten Geistes als des rein absoluten Selbstbewusstsein zu einer eben so unendlichen Realität verwirklichenden Willens.“ Sic J. U. Wirth, Speculative Ethik 1841.

[3]) Card. Rauscher: „Hegel erklärte es für eine Forderung der Vernunft, den Blick nie und nirgends über die allein seligmachende Erde hinauszurichten, und sogar das Greifbare musste, insoweit es ausser dem irdischen Dunstkreise liegt, sich eine sehr ungnädige Behandlung gefallen lassen. — Nach

Dei personalis existentiam, animae spiritualitatem nec non voluntatis libertatem negat, ordinem moralem in rationali hominis natura fundatum ac immutabilem inficiatur, existentiam legis divinae naturalis impugnat, discrimen intrinsecum inter bonum et malum morale subsannat, terrenamque beatitatem tamquam summum bonum et finem hominis venditat. Materialismi insaniam saeculo elapso in Gallia Helvetius, Diderot, d'Alembert aliique multi propugnarunt, atque hodiedum in Germania potissimum naturae inquisitores sunt, qui eum tuentur, ut Virchow, Cotta, Vogt, Moleschott, Büchner etc. Moderni materialismi parens Feuerbach, pessimus sodalis Hartmann est dicendus.[1])

6. — Eodem fere tempore, quo Feuerbach et sodales ejus in Germania cultum humanitatis dicebant religionem, Augustus Comte (1798—1857.) et Littré († 1881.) in Gallia materialismum foedissima forma induere, et apotheosim hominum cultui veri Dei sufficere non verebantur. Placuit istis, portentum suum philosophicum, quod subinde in Gallia, Anglia, Hollandia, Italia, America, non paucos cultores ascivit, *positivismum* nuncupare, eo quod objectum philosophiae dicunt solam esse materiam rudem ante sensus veluti positam, cum praeter materiam ejusque phoenomena nihil cognoscibile esse, ipsasque rerum causas ignorari supponant; ideoque etiam Metaphysicam cum Theologia tollendam esse volunt. Tanto impietatis barathro immersi sunt, ut ideam Dei ad anarchiam et regressum societatis ducere blasphement *(L'idée de Dieu est aussi anarchique que rétrograde)*, et plenam spiritus libertatem in eo reponant, quod nomen Dei nec pronuntietur neque cogitetur. Quid mirum, si postulent, ut

manchen Irrsalen kam seine Schule dahin, das Geheimwort der Aufklärung herzhaft herauszusagen. Nur die Sinnlichkeit ist Wahrheit, Wesen und Wirklichkeit. Der blöde, rohe Materialismus war also das Ziel, bei welchem die vorgebliche Philosophie des Geistes schliesslich anlangte. Wiewohl diess nicht in Hegels Absicht lag, so entsprach es doch vollkommen der Richtung, welche er dem forschenden Gedanken gab.“ Der Staat ohne Gott. S. 18.

[1]) Feuerbach scribit: Der Mensch unterscheidet sich nur dadurch von den Thieren, dass er der lebendige Superlativ des Sensualismus, das allersinnlichste und allerempfindlichste Wesen von der Welt ist.“ Sämmtliche Werke B. II. S. 371. Moleschott: „Das Gehirn verändert sich mit den Zeiten, und mit dem Gehirn die Sitte, die des Sittlichen Massstab ist.“ Kreislauf des Lebens. Karl Vogt: „Alle sogenannten Sünden und Verbrechen sind nur Folgen einer fehlerhaften Organisation des Gehirns.“ Büchner: „Der Naturkundige kennt nur Körper und Eigenschaften von Körpern; was darüber ist, nennt er transcendent, und die Transcendenz betrachtet er als eine Verirrung des menschlichen Geistes.“ Kraft und Stoff, 5. Auflage. Frankfurt 1858. S. 247.

omnes, qui Deum credunt, tamquam hostes libertatis et salutis publicae ab omnibus negotiis reipublicae excludantur? Deo vero substituunt humanitatem i. e. universalitatem continuam hominum *(l'ensemble de nos prédécesseurs, de nos contemporains, et de nos successeurs, c'est l'Humanité)*, non tamen omnium, sed eorum solum, qui ad conservationem et perfectionem totius (organismi) cooperati sunt, quos solos vera membra humanitatis dicunt. Humanitatem sic conceptam appellant magnum ens *(le Grand-Être)*, magnos viros vocant deos *(nos dieux sont les grands hommes)*, religionem omnem reponunt in cultu magnorum virorum, in adoratione ingenii *(la religion positive — c'est le culte des grands hommes — nous adorons le Dévouement et le Génie)*. Refugit mens blasphemias virorum istorum longius prosequi; id solum addimus, quod alioquin ex dictis colligere licet, eos libertatem voluntatis negare, virtutem et vitium materialiter accipere, voluptatem sensualem pro supremo bono habere. [1])

D. Liberalismus et Socialismus.

7. — Liberalismi nomine non intelligimus theorema politicum liberiori regiminis formae (absolutismo oppositae) favens, sed systema principiorum ad emancipationem societatis humanae a Deo et Christo ejus tendentium. Liberalismus historice ex Conventu nationali 1789. originem duxit, et Socialismum democraticum procreavit, qui omnis ordinis et vitae socialis ruinam molitur. Hinc expediet Liberalismi et Socialismi placita junctim exponere, ut nativa utriusque connexio facile innotescat.

8. — *Liberalismus* contendit, „optimam societatis publicae rationem progressumque omnino requirere, ut humana societas constituatur et gubernetur, nullo habito ad religionem respectu, ac si ea non existeret, vel saltem nullo facto veram inter falsasque religiones discrimine.“ Pius IX. in encycl. 8. Dec. 1864. Dein rempublicam sine Deo (l'état athèe) secundum ideas subjectivas construere, [2])

[1]) Vid. de Positivismo Card. Rauscher: Die Feinde der Kirche einst und jetzt. Rede, gehalten in der Versammlung der St. Michaelsbruderschaft am 7. März 1869. Ephem. *Katholik*, 1870. S. 19. etc. S. 151. S. 258 etc. L'élection de M. Littré à l'académie française par Msgr. l'Evêque d'Orleans, Paris 1872. Dupanloup: Der Atheismus etc. übers. von Rütjes S. 40. u. f. Essen 1867.

[2]) Audiatur auctor inter politicos liberales non ultimus Bluntschli dicens: „Der Staat ist rein weltlich-menschlich. Die Politik, nicht die Religion ist daher der Geist seiner Wirksamkeit. — Der Staat ist nicht verpflichtet, selbst die christlichen Sittengebote als Staatsgrundgesetze einzuführen. — Die Freiheit des Staates von religiösen Bestimmungen und selbst von religiösem Einfluss ist

religionem omnem, inprimis catholicam e schola et familia eliminare propositum habet, matrimonium nonnisi ut contractum civilem retineri vult, Ecclesiam catholicam ad summum veluti institutum particulare in forma ecclesiae sic dictae nationalis ab arbitrio gubernii civilis prorsus dependens tolerat.[1]) *Socialismus* protervior illo atheismum infrenate profitetur, quapropter omnem religionem tollere, emancipationem mulierum inducere, Ecclesiam evertere intendit. Non sistit gradum in media via, ut Liberalismus. Porro 2. *Liberalismus*, cum nullum ad Deum respectum habeat vel Deum verum neget, auctoritatem legemque divinam non agnoscit,[2]) sed populi majestatem (Volkssouverainität), a qua omnis dimanet imperandi potestas, proclamat, eam tamen ad opulentos et proceres restringit; populique voluntatem „publica opinione“ vel alia ratione manifestatam pro suprema et absoluta lege declarat,[3]) cui renuere summum crimen, hac absurda phrasi utens: Lex est publica conscientia.[4]) *Socialismus* principium de summa populi potestate a Liberalismo proclamatum avide amplectitur, supremam tamen potestatem operariis, utut numero pluribus et solis utilibus societati, strenue vindicat, opulentos tamquam pauperum oppressores et veluti ad consumendas tantum laborum fruges natos vehementer objurgans; ideo rempublicam esse operariorum, operarios debere regimine potiri, leges ferre, atque revolutionem, quam populus vi supremae suae potestatis movet, licitam esse declarat.[5]) Ulterius 3. *Liberalismus* atheus cum sit, a Deo jura repetere nequit, sed „rempublicam omnium jurium originem et fontem esse temere arbitratur“. Pius IX. in Allocut.

sogar eine Grundbedingung seiner Wohlfahrt. — Eine ernste und aufrichtige Religiösität kann vom Staate wegführen, und ein warmes Gottesgefühl kann den Staat verwirren.“ Allgemeines Staatsrecht, 3. Aufl. S. 387. Alt-asiatische Gottes- und Weltideen, S. 9., 167.

[1]) Hoc de argumento eph. relig. *Augsb. Pastoralblatt.* 1871. Nr. 38. „Die Haeresie des modernen Staats- und Nationalkirchenthums“.

[2]) Vid. Riess S. J.: Der Liberalismus und seine Verzweigungen. (Stimmen aus Maria-Laach V.) §. 7. S. 81. u. f.

[3]) Card. Rauscher: „Die rechtliche Grundlage, auf welcher der Staat des Rechtes erbaut werden soll, löst sich, näher besehen, in der Behauptung auf: Was der Mensch will, das darf er: denn der Wille des Volkes ist ja das höchste Gesetz und alle rechtliche Gewalt von ihm abgeleitet.“ Der Staat ohne Gott. S. 31. Wien 1865.

[4]) Ep. Ketteler: Ist das Gesetz das öffentliche Gewissen? (Broschüren-Verein, 2. Jahrgang Nr. 3. Frankfurt 1866.)

[5]) Cathrein S. J. Der Socialismus u. die Revolution (Laach-Stimmen 1880. S. 429. u. f.) Die Aufgaben der Staatsgewalt, Freiburg 1882. S. 11 u. f.

9. Junii 1862.[1]) Quocirca negat Ecclesiae nativum jus bona acquirendi et possidendi competere, nec dominium ejus inviolabile censet, inviolabile autem esse vult dominium aliorum. Sed *Socialismus* logica stricte utens sic argumentatur: Si Ecclesiae dominium non est inviolabile, eo minus aliorum dominium inviolabile habendum; nullumque aliud admittit dominium praeter illud, quod manuum labore est acquisitum, quemadmodum non alios cives quam operarios agnoscit; ideoque alias aliorum proprietates occupari ac dispertiri posse comminiscitur.[2]) Rursus 4. *Liberalismus* salutem reipublicae, eamque materialem, tamquam summum omnium scopum praedicat, atque subditos propter civitatem ad hoc ipsius bonum promovendum existere docet. *Socialismus* applaudit Liberalismi doctrinae de bono materiali tamquam supremo fine ab omnibus assequendo; hinc infert, quod si terrena felicitas sit communis omnium finis, omnibus ejusdem consecutio pari modo possibilis reddi debet; proindeque aequalitatem omnium in bonis fortunae et imperio, abrogationem statuum et praerogativae cujuscunque postulat.

Ex dictis liquide apparet, quod initio posuimus, socialismum democraticum non esse nisi strictam logicamque evolutionem principiorum, quae Liberalismus profitetur.

9. — Liberalismus vero ipse theoretice spectatus ex materialismo aeque ac ex pantheismo consequitur. Audiatur doctissimus Cardinalis *Rauscher* sapienter observans, illos tantum rationum plene conscios rempublicam a Deo et religione avulsam velle, qui hominem sine Deo vel hominem tamquam Deum concipiunt.[3])

---

[1]) Felix: „Der gottlose Staat muss sich als solcher auch alles Recht aneignen, und daher nennen ihn seine Rechtslehrer auch das verkörperte Recht und „den Rechtsstaat", das ist, alles Recht. Darum kann er auch kein anderes Recht mehr anerkennen, — ausser inwiefern er ein Recht festgestellt und gewährt." Ein Wort über den Staat — Gott. S. 16. Regensb. 1871. *Histor.-polit. Blätter*. 1871. B. 68. 9. Heft. S. 672 u. f.

[2]) Pius IX. in encycl. die 8. Dec. 1849. dicit, ex occupatis non raro direptisque, ac palam divenditis temporalibus bonis ad Ecclesiam legitimo proprietatis jure spectantibus contigisse, ut multi — hinc faciliores praeberent aures audacissimis novi Socialismi et Communismi assertoribus, qui alias pariter aliorum proprietates occupari ac dispertiri, aut alia quavis ratione in omnium usum converti posse comminiscuntur.

[3]) Der Staat ohne Gott, S. 5. „Mit vollem Bewusstsein der Tragweite fordern die Losreissung des Staates von der Religion nur jene, welche den Menschen ohne Gott oder den Menschen, der selbst Gott ist, für die grosse Errungenschaft des achtzehnten Jahrhunderts halten. Der Mensch ohne Gott bedarf des Gesetzes ohne Gott."

10. — Nefaria socialismi democratici principia supra relata tenet et igne ferroque exequi pertentat associatio *internationalis*, uti vocant,[1]) quae Londini die 28. Sept. 1864. orta hodiedum fere per totum orbem diffusa est,[2]) et nihil minus attentat, quam democratiam socialem super universum terrae orbem constituere. Sed principia illa plus minusve praepararunt *Socialistae* et *Communistae* Galliae, St. Simon, Carolus Fourier, Stephanus Cabet, Petrus Leroux, Lud. Blanc et Joannes Proudhon; nec non philosophi positivismo addicti, inter quos Littré proterve professus est, se esse socialistam, philosophiam positivam esse socialisticam, formam definitam socialismi etc.[3]) In Germania praeprimis Lassalle per principia sua socialia democratica associationi internationali viam munivit.

Saint Simon (1760—1825.), ejusque discipuli Bazard et Enfantin reconstruere volebant societatem humanam malis infectam, sed absque religionis praesidio. Finxerunt, humanitatem esse ipsum Deum, hominis finem in terrena felicitate consistere; Christi religio juxta eorum sententiam bona fuit prisca aetate, qua necesse erat abnegationem hominibus praedicari, coelumque promitti; nunc autem genus humanum altius provectum (datur enim continuus progressus) abstinentia non indiget, sed caro emancipanda est, terrestribus bonis fruendum. Ad quem finem obtinendum St. Simon totum genus humanum vult in unam familiam colligi associationem universalem („association universelle") dictam, in qua tantum tres status sint, artificum, doctorum et opificum; et pueros ad triplicem hunc statum simul et aequaliter esse informandos dicit. Ex ipsius mente summa potestas (pontificatus) hujus societatis residebit in viro et muliere simul, matrimonium abrogandum est, jus haereditarium tollendum, nullumque dominium, nisi manuum labore acquisitum, admittendum, et introducenda est justa bonorum divisio pro rata laboris; porro leges et poenas nunc quidem necessarias esse concedit, sed illas mox superfluas fore putat propter continuum hominum progressum, qui per istam organisationem mirifice promovebitur.

Carolus Fourier (1772—1837.) in omnimoda libidinum expletione beatitudinem hominis reponit, ad quam possibilem reddendam opulentia opus esse dicit. Quapropter ut omnes habeant ad libidines satiandas „societatem harmonicam", ut eam appellat, erigere intendit, ita quidem, ut regionum incolae congregentur in sodalitates seu cohortes, quas phalanges („phalange") nominat, plures phalanges constituant seriem („série"), porro quaevis phalanx habeat superiorem, qui ab ipso „unarque" vocatur, totique societati praesit unus superior, „omniarque" appellatus, qui Constantinopoli residebit. Vult, ut operarii vitam communem agant in domibus, quas phalansteria („phalanstère") appellat, unitisque viribus laborent

---

[1]) Pachtler S. J.: Die internationale Arbeiterverbindung. Essen. 1871. *Historisch-politische Blätter* 1872. 69. B. 4. Heft. (Die Internationale.) S. 281. u. f.

[2]) Pachtler: Die geograph. Ausbreitung der Internationale. (Stimmen aus Maria-Laach. 1871. 1. B. 4. Heft. S. 304—319.)

[3]) Dupanloup: L'élection de M. Littré à l'académie française. Paris 1872. P. Benno Kühne: Der Zusammenhang der atheistischen Wissenschaft mit dem Socialismus. Einsiedeln. 1872.

(laboribus juxta naturalem singulorum propensionem divisis), atque lucrum per labores acquisitum singulis distribuatur, nullumque aliud dominium habeatur, quam merces pro laboribus soluta. Ne quid carnalibus desideriis explendis desit, matrimonium abrogandum esse docet. Sic paradisum in terra futurum somniatur, quia (ut putat) paupertas exulabit, omnesque appetitus absque legis tyrannide satiabuntur.

Stephanus Cabet (1788—1856.) rempublicam communisticam effinxit, cujus cives cuncti erunt operarii et in officinis publicis fraternitatis vinculo juncti communiter laborabunt, atque omnia communia habebunt, porro proles post quintum annum in institutis nationalibus communem, eamque mere industrialem culturam accipient. Matrimonium retineri vult. Religionem omnem dicit originis humanae, coelum et infernum esse negat.

Petrus Leroux (n. 1798.) religioni christinae philosophiam pantheisticam substituit ad medendum miseriis societatis humanae. Ipsius postulatum est: Aequalitas omnium in omnibus formis possibilibus. Hinc vult, ut omnes in societate viventes de omnibus bonis terrenis participent, ut homines omnium statuum in omnibus negotiis nationalibus cooperentur, et ut remuneratio operationum aequa lance fiat. Porro trias statuum ab ipso determinatur, scientificorum, artificum et operariorum. Trias pariter assignatur personarum, quae libere a populo electae labores et mercedem distribuere, atque operariis invigilare debeant; in qua re summam regiminis reponit.

Ludovicus Blanc (1813—1882.) affirmat, unicuique competere jus ad laborem, atque reipublicae esse, associationes operariorum constituere, officinas publicas et nationales erigere, labores assignare, mercedem distribuere; ita ut respublica sola teneat monopolium omnis productionis industrialis. Hunc vero rerum statum nonnisi in democratia possibilem censet, et haud dubie „systema democratiae socialis“ initiavit. Compertum denique est, eundem anno 1871. Parisiis associationi nationali patrocinatum esse.

Proudhon (1809—1865.), qui e schola Hegeliana prodiit, affirmat primam formam societatis fuisse communionem bonorum, secundam dominium privatum, tertiam, quam ipse vult, dominium labore acquisitum („labor tantum tribuit jus et habet jus“), aliud dominium esse furtum. Fabulatur, quod per justam possessionum ordinationem ratio universalis fiet legislatrix et populus ejusdem leges sponte sua adimplebit. Addit, auctoritatem et obedientiam fuisse necessariam, antequam inventa esset idea democratiae, in praesentiarum vero per democratiam esse abolendam omnem potestatem, revolutionem, quae a populi multitudine movetur, approbationem mereri etc. Deum esse malum dicit. (Dieu c'est le mal.)

Non desunt in Germania, qui ad sortem operariorum sublevandam ideas sociales-democraticas tuentur et fovent. Inter hos eminet Lasalle, qui (ab anno 1863.) miseriam et insufficientiam liberalismi ad mala societatis sananda acutissime ostendit, simul vero vi acerrima propugnavit, quod respublica „via legislationis“ subvenire debeat operariis, ita quidem, ut per legem ex opulentorum bonis determinet subventionem operariis erogandam, qua sic dictas „associationes productivas“ constituere possint. Cum autem in praesenti reipublicae statu id non effectum iri videret, vehementer institit, ut operarii („quartus status“) ope suffragii universalis et directi per suos deputatos potestatem in republica assequerentur. Paucis, voluit, ut operarii republica, et per rempublicam bonis divitum potirentur.[1]) Hac

[1]) Theoriam suam revolutionis operariis clare aperuit his verbis: „Im Namen der Freiheit und Gleichheit verlanget allgemeines Stimm- und Wahlrecht; das allgemeine Stimm- und Wahlrecht sichert euch eine immense Mehrheit in der Volksvertretung; der Wille der Mehrheit ist aber das künftige Recht — das öffentliche Gewissen; der Wille dieser Mehrheit wird dann aus dem Staatssäckel oder, wenn dieser leer ist, durch ein zu erlassendes neues Steuergesetz aus dem Säckel der Besitzenden so viele Millionen herausdekretiren, als nothwendig sind, um euch Arbeitern in alle Zukunft eine ganz behäbige Existenz zu verschaffen. Wer sich diesem neuen Rechtszustande widersetzt, macht sich des Hochverrathes schuldig.“

„societatis organizatione“ novam culturae periodum inaugurare intendit.[1]) Sed experientia quid veraciter testatur? Associatio operariorum socialis-democratica Germaniae die 12. Augusti 1871. praedictis principiis insistens internationali associationi se adjunxit. Exinde cultura et salus societatis humanae?

* De liberalismo in se et in relatione ad Socialismum democraticum spectato: Card. Rauscher: Der Staat ohne Gott. Wien, 1865. Donoso Cortes: Essai sur le catholicisme, le libéralisme et le socialisme. Paris 1851, Deutsch, Tübingen 1853. Nicolas: Der Staat ohne Gott, übers. Mainz 1876. Riess S. J.: Die moderne Irrlehre oder der Liberalismus und seine Verzweigungen (Stimmen aus Maria-Laach. V.) Pachtler S. J.: Die Katastrophe von Paris als äusserste Folge des Liberalismus. (Stimmen aus Maria-Laach. Kath. Monatsschrift, I. B. S. 31—44) Ep. Ketteler: Liberalismus, Socialismus und Christenthum. Mainz 1871. G. Felix: Ein Wort über den Staat — Gott, Regensburg 1871. Drei Worte an das deutsche Volk, Regensburg 1871. Stöckl: Der Materialismus geprüft in seinen Lehrsätzen und deren Consequenzen S. 81—109. Mainz 1877. Cathrein S. J.: Der Socialismus und Liberalismus im Kampf um das Eigenthumsrecht (Stimmen aus Maria-Laach 1881, S. 109—122.)

** De Socialistis Galliae: Louis Raybaud: Etudes sur les reformateurs contemporains. Paris 1841. Alfred Ludre: Histoire du communisme ou refutation historique des utopies socialistes. 4. Ed. Paris 1850. Carové: Der Saint-Simonismus. Leipz. 1831. L. Stein: Der Socialismus und Communismus des heutigen Frankreichs, ein Beitrag zur Zeitgeschichte. 2. Aufl. Leipzig 1847. Périn: Ueber den Reichthum in der christlichen Gesellschaft, übers. von Weizenhofer: I. B. Th. I., S. 513 u. f. (Communismus, Socialismus und Socialdemocratie) Regensburg 1866. Christliche Politik Buch III. S. 326—356. Deutsch Freib. 1877. Ferd. Walter: Naturrecht und Politik. Bonn 1871. n. 201—210. (S. 141—148.) — De Socialistis Germaniae: Ep. Ketteler: Die Arbeiterfrage und das Christenthum, 3. Aufl. Mainz 1864. Jörg: Geschichte der social-politischen Parteien in Deutschland, Freiburg 1867. Bern. de Mayer: Die sociale Gefahr der Arbeiterfrage und die Möglichkeit deren Abwendung. Wien 1868. Franz Hitze: Die sociale Frage und die Bestrebungen zu ihrer Lösung. Mit besonderer Berücksichtigung der verschiedenen socialen Parteien in Deutschland. Paderborn 1877. Ephem.: Christlich-sociale Blätter. (Der gegenwärtige Stand der social-politischen Parteien Deutschlands) 1872. Nr. 2. u. 3.

*** De associatione internationali dicta: Pachtler S. J.: Die internationale Arbeiterverbindung, Essen 1871. Die Freimaurerei und die Inter-

[1]) Lassalle enim ridicula insania dixit: „Die Herrschaft des vierten Standes über den Staat muss eine Blüthe der Sittlichkeit, der Cultur und Wissenschaft herbeiführen, wie sie in der Geschichte noch nicht dagewesen.“ Apud Jörg: Geschichte der social-politischen Parteien in Deutschland. S. 146.

nationale (Stimmen aus Maria-Laach, Monatsschrift, 1872. S. 114 u. f.) Christlich-sociale Blätter, 1872. (Die Geschichte des „Internationalen Arbeiterbundes" in Frankreich bis zum Ausbruch des franz. Krieges (Nr. 3 u. 5. Historisch-politische Blätter 1872. B. 69. Hft. 4. (Die Internationale) S. 101. u. f., 7. Hft. S. 419. u. f. Periodische Blätter zur wissenschaftlichen Besprechung der grossen religiösen Fragen der Gegenwart von Scheeben 1872. Hft. 6. u. 9., Jahrgang 1877. Heft 2, 3, 5 u. 9. (Carl Marx, Zur Kritik des modernen Socialismus.)

§. 9.

De comparatione Theologiae moralis ad ethicam philosophicam.

1. — Theologia moralis longe praestantior est, quam ethica philosophica tum propter auctoritatem principii tum propter dignitatem materiae.

I. *Principium* seu fons principalis et immediatus, ex quo philosophia moralis sua placita depromit, est naturale lumen rationis, quae facile potest errare; principium vero theologiae moralis est magisterium Ecclesiae, quod speciali Spiritus sancti assistentia munitum decipi et decipere nequit. Profecto igitur ethica catholica praecellit philosophicae propter summam vereque divinam auctoritatem principii sui, unde consequenter illa absolute majorem quam haec certitudinem [1]) vimque [2]) habet. Praeclare s. Augustinus dissensiones philosophorum antiquorum „in rebus, quibus aut misere vivitur aut beate", ex defectu auctoritatis derivandas esse dicit, haec deinceps verba subjungens: „*Quidquid philosophi quidam inter falsa, quae opinati sunt, verum videre potuerunt et laboriosis disputationibus persuadere moliti sunt, — — de honestate virtutum, de amore patriae, de fide amicitiae, de bonis operibus atque omnibus ad mores probos pertinentibus rebus, quamvis nescientes ad quem finem, et quonam modo essent ista omnia referenda: propheticis, id est, divinis vocibus per homines in illa civitate (Dei) populo commendata sunt, non argumentorum concertationibus inculcata, ut non hominis ingenium, sed Dei eloquium contemnere formidaret, qui illa cognosceret.*" [3])

2. — II. Propter *dignitatem materiae* quoque Theologia moralis nobilior est, quam philosophia moralis.

---

[1]) Cf. Thom. 1. q. 1. a. n. 5. C.

[2]) De saluberrima doctrinae christianae efficacia s. Alphonsus scribit: „Gewiss wurde seit der Herabkunft Jesu Christi auf Erden, Gott in einem Jahrhundert mehr geliebt, als in all' den viertausend Jahren, die vor seiner Ankunft vorübergegangen waren." Jesus Christus betrachtet im Geheimnisse der Menschwerdung. Regensb. 1842. S. 171.

[3]) De civitate Dei lib. XVIII. cap. 41 n. 2. et 3.

Nam 1) ethica catholica permultas veritates complectitur, de quibus in ethica philosophica sermo esse nequit, quia ratio suis relicta viribus eas investigare et attingere non valet. Sane philosophia ignorat peccatum originale, per quod homo secundum animam et corpus in deterius commutatus est, ignorat gratiam Salvatoris, per quam natura humana reparata est, et tamen utraque haec veritas vitae christianae et sacrae scientiae moralis suppositum aliquod necessarium constituit. Et numquid philosophia de beatifica Dei visione, in qua ultimus vitae nostrae finis consistit, de virtutibus theologicis, de donis Spiritus sancti, de altioribus sic dictis supernaturalibus agendi motivis, numquid de Missae sacrificio, de Sacramentis aliisque ejusdem ordinis mediis ac subsidiis vitam agendi honestam disserere potest? Jam vero haec et alia, quae philosophiae non subduntur, in ambitu Theologiae moralis continentur. [1]) Hinc praeclare Angelicus Doctor infert, quod „sacra doctrina revelata (practica non minus, quam theoretica) est velut quaedam impressio divinae scientiae." [2])

Accedit 2), quod ethica catholica praeter veritates, quae sua altitudine rationem transcendunt, continet simul veritates, quae rationi subduntur, in omni quidem plenitudine et perfectione, utpote Ecclesiam sequens infallibilem ducem; dum e contra philosophica ethica, historia et experientia testantibus, in iis etiam rebus, quae rationis limites per se non transcendunt, ab erroribus non invenitur immunis. Nec mirum, quandoquidem ratio naturalis multas profecto detegere potest ejusdem ordinis veritates, integrum autem systema moralium doctrinarum omnibusque carens erroribus ratio humana sibi relicta efformare non valet. De qua re Concilium Provinciae Viennensis a. 1858. dicit: „*Ea Dei et mandatorum ipsius cognitio, quae intra naturae rationalis litimes continetur, menti humanae impervia haud est, ita tamen, ut revelationis lumine destituta, ad eam difficillime,*

---

[1]) Pulchre et vere S. Bonaventura de dignitate Theologiae dicit: „Philosophia quidem agit de rebus, ut sunt in natura, seu in anima secundum notionem naturaliter inditam vel etiam acquisitam: sed theologia tamquam scientia super fidem fundata et per Spiritum sanctum revelata agit et de iis, quae spectant ad gratiam et gloriam, et etiam ad sapientiam aeternam. Unde ipsa substernens sibi philosophicam cognitionem et assumens de naturis rerum, quantum sibi opus est ad fabricandum speculum, per quod fiat repraesentatio divinorum, quasi scalam erigit, quae in sui infimo tangit terram et in suo cacumine tangit coelum." Breviloquium, edit. ab Hefele p. 11—12. Tubingae 1848.

[2]) Summa Theol. q. 1. de sacra doctr. a. 3. ad 2.

neque sine errorum admixtione eluctetur." [1]) Et hoc omnium saeculorum experientia confirmat.

Nam a) philosophi Graeci et Romani ex una parte quidem non paucas tradidere earum veritatum, quae inter limites rationis naturalis continentur, quapropter Ecclesiae Patres et Theologi Scholastici philosophiam gentilem non omnino repudiarunt, sed quae vera et christianae religioni consona in ea deprehenderant, in usum doctrinae sacrae laudabiliter converterunt. [2]) At vero ex altera parte gentilium philosophos, sapientissimis eorum non exceptis, in multos, eosque moribus valde perniciosos delapsos esse errores invenimus. [3])

b) An gentilium philosophis anteponendi sunt, qui post Christum lumine revelationis spreto systemata moralia condere adlaboraverunt? — Pro veritate dicendum est, istos philosophos, Galliae praesertim et Germaniae, Christo rejecto pejus ipsis paganis delirasse, tamque absurda et impia placita abunde confinxisse, ut si vitam humanam eis superstruere possibile foret, omnis morum honestas, societas omnis, religiosa et civilis everteretur. Ecquidem principales et late diffusi errores, qui nostra aetate disciplinam moralem turpiter inficiunt, sunt Rationalismus, Pantheismus, Materialismus, Liberalismus et Socialismus, supra §. 8. expositi.

§. 10.

De comparatione Theologiae moralis ad ethicam protestanticam.

1. — Permulti indifferentismo addicti sibi in assertione complacent, sectas protestanticas, licet in rebus fidei ab Ecclesia catholica discrepent, in doctrinis tamen moralibus cum eadem apprime convenire. Sed hujus assertionis falsitas jam ex eo colligitur, quod

[1]) Tit. I. cap. II. Vindob. 1859. p. 31.

[2]) De modo, quo ss. Patres Theologi Scholastici philosophia usi sunt. praeprimis legi meretur Jos. Kleutgen: Die Theologie der Vorzeit. Letzt. Band. II. Abth. S. 139.

[3]) Errores illos jam antiquatos exponere, superfluum putamus. Legi desuper possunt praeter s. Augustinum: De civitate Dei, lib. VIII. c. 8—12, lib. XIX. c. 1—4. auctores multi recentiores, ut Sailer: Handbuch der christl. Moral, 1. Band. §. 4. S. 78—83. Sulzbach 1834. Werner: Grundriss einer Geschichte der Moralphilosophie. Wien 1859. Döllinger: Heidenthum und Judenthum. Regensburg 1857. Hettinger: Apologie des Christenthums. 1. Band. 11. Vortrag. S. 457. u. f. Freiburg 1863.

De relatione ethicae gentilium ad christianam disserit F. Hasler in opusc.: Ueber das Verhältniss der heidnischen und christlichen Ethik auf Grund einer Vergleichung des Ciceronischen Buches „De Officiis" mit dem gleichnamigen des hl. Ambrosius. München 1866.

doctrinae morales veritatibus fidei innituntur, ideoque discrepantia in rebus fidei diversitatem in rebus morum non potest non inducere; sole clarius autem ex comparatione ethicae catholicae ad ethicam protestanticam tum quoad principium tum quoad materiam instituta patebit.

2. — I. *Principium,* a quo theologus catholicus immediate accipit morum doctrinam, est infallibile Ecclesiae magisterium; dum e contra Protestantes infallibile Ecclesiae auctoritate rejecta suum arbitrium et spiritum privatum sequuntur. [1]) Quantum proinde discrimen certitudinis et efficaciae inter catholicam et protestanticam obtineat ethicam, per se plane patescit.

3. — II. Intuitu *materiae* praestantia scientiae nostrae ex eo perspicua redditur, quod doctrinam edisserit vere sanctam, doctrinam pariter, quae totum hominem afficit, diversisque singulorum indigentiis adprime satisfacit.

4. — 1) Doctrina, quam ethica catholica pertractat, *sancta* est, nam sanctitati morum non adversatur, imo vero eximie eam promovet. Praeter praecepta ad salutem consequendam necessaria etiam consilia proponit ad salutem cum perfectione adipiscendam. Quae doctrinae sanctitas ex ejusdem principio constituitur; cum enim Ecclesiae magisterium continua assistentia Spiritus sancti muniatur, nil quod ad sanctimoniam homines non informet, proponere potest.

An vero sanctitas doctrinae moralis apud sectas protestanticas invenitur? — Rejectis permultis ad sanctitatem attingendam sub-

[1]) Schleiermacher dicit: „Ausser der freien Wirksamkeit des hl. Geistes durch die Schrift darf nichts als absolut feststehend, sondern Alles nur als provisorische Annahme und so angesehen werden, dass es einer beständigen Revision unterworfen bleibt. Alle symbolischen Festsetzungen sind katholisirend und müssen revocabel gemacht werden." Conqueritur de hac assertione scriptor protestanticus Adolf Wuttke; sed quo jure? nonne Schleiermacher principio protestantismi arcte inhaeret? Dicit ille: „Es ist nicht einzusehen, warum nun gerade die Wirksamkeit des hl. Geistes als absolut feststehend betrachtet und nicht auch einer beständigen Revision unterworfen werden, und nicht „„revocabel"" sein soll?" Handbuch der christlichen Sittenlehre. 1. B. S. 293. Berlin 1861. Verum hoc est, sed consequenter ex protestantico principio liberi examinis profluit. Quo igitur jure hoc protestans unus in altero cavillari potest? — Recte dicit Möhler: „Oft haben wir in unseren Tagen die sogenannten orthodoxen protestantischen Theologen bewundert, wenn gerade sie sich neueren philosophischen und theologischen Systemen entgegensetzten, welche nur eine consequente Durchführung der Principien der Reformatoren enthielten. So wenig kannte die protestantische Orthodoxie sich selbst! Bei allen Abweichungen in Einzelnheiten ist mir Schleiermacher der einzige echte Jünger der Reformatoren!" Symbolik. 1. B. S. 253. Aufl. 6. Mainz 1843.

sidiis efficacissimis, ut sunt Missae sacrificium, Sacramentum Poenitentiae, Indulgentiae, cultus B. M. V. et Sanctorum etc. talia placita profitentur compluria, quae omnem morum probitatem radicitus evertunt, scientiamque moralem prorsus impossibilem reddunt.[1]) Hujusmodi sunt, hominem suam rationem in credendis et agendis libere sequi posse, per peccatum originale penitus extinctum esse liberum arbitrium, itemque intellectum, ita ut homo „nullam habeat capacitatem et aptitudinem in rebus spiritualibus“,[2]) fidem solam salvare, decalogum fideles non obstringere, bona opera ad salutem inutilia esse, imo peccata,[3]) etc. Nec difficile est, ostendere, funestissimos errores illos, quos hodiedum late disseminatos esse diximus (§. 8. n. 5—9), ex placitis Protestantismi consecutione necessaria processisse.

5. — Et quidem a) cum reformatores principium rationis individualis seu liberi examinis in negotio religionis proclamarent, atque „res ad religionem spectantes privati cujusvis judicio permitterent“, absque dubio *Rationalismo* originem dederunt. Vid. Conc. Vatic. Sess. III. Prol.

b) Principium liberi examinis, vi cujus unicuique licet autumare, quod secundum rationem sibi videtur, conjunctum cum illa doctrina, hominem „in rebis spiritualibus nullam habere capacitatem“, et tantum „in externis et hujus mundi rebus homini aliquid intellectus esse relictum“,[4]) consequenter ad negandam exi-

[1]) Hoc sincere fatetur scriptor protestanticus Stäudlin: „Wenn man auf die Principien seiner (Luthers) Moral zurückgeht, so verschwindet einem eigentlich die Moral unter den Händen. Da gibt es keine moralische Freiheit, kein eigenes Verdienst, keine durch eigene Kraft erworbene, gute, Gott wohlgefällige Gesinnung, kein natürliches Vermögen das Sittengesetz zu beobachten, keine menschliche Tugend. Die menschliche Tugend ist nie ohne Sünde, und die Moral ist für den Menschen nur ein Spiegel seiner Sündhaftigkeit: sie schreckt und verdammt ihn nur.“ Geschichte der christlichen Moral mit dem Wiederaufleben der Wissenschaften. Göttingen 1808. S. 202.

[2]) Vid. Möhler: Symb. S. 66. Apposite A. Nicolas observat: „Der Protestantismus vernichtete den freien Willen einerseits und proklamirte die freie Forschung andererseits: was kann es Contradiktorischeres geben, als dieses?“ Das Verhältniss des Protestantismus u. s. w. S. 281. Paderborn 1853.

[3]) Lutherus: „Opus bonum optime factum est veniale peccatum, — non natura sua, sed misericordia Dei. — Omne opus justi damnabile est et peccatum mortale si judicio Dei judicatur.“ (!) Apud Möhler: Symbolik. I. B. 203.

[4]) Solid. Declar. I. de peccato origin. §. 60. Vid. Möhler: Symbolik. I. Bd. §. 69. 6. Aufl. 1843.

stentiam spiritualium seu eorum, quae non sub sensus cadunt, i. e. ad *Materialismum* perducit.

c) Commentum reformatorum, „vim liberi arbitrii nihil esse“,[1]) ac „Deum ipsum omnia bona, imo etiam mala in homine operari“,[2]) ad individualitatis extinctionem et ad confusionem Dei cum homine i. e. ad *Pantheismum* viam sternit, quem ceteroquin Zwinglius etiam expressis verbis asseruit.[3])

d) Denique Liberalismus et ipsi cognatus Socialismus ex protestantismi principiis proxime et remote descendunt.

Proxime, quatenus reformatores rejecerunt Ecclesiae auctoritatem, qua rejecta auctoritas civilis vix amplius salva consistere potest; quocirca adversus Ecclesiae auctoritatem exurgendo seditiosis de republica civili ideis, quas Liberalismus profitetur, ansam dederunt,[4]) quod ipsi protestantici scriptores passim concedunt.[5]) Imo, Lutherus ipse docere non dubitavit, inter christianos non amplius magistratus esse debere,[6]) et seditionem Anabaptistarum saltem initio adprobavit.[7]) Praeterea reformatores primi erant, qui principium de

[1]) Verba Lutheri; vid. Möhler op. c. S. 250.

[2]) Vid. Möhler S. 38—53.

[3]) Zwinglius dicit: „Nec quidquam est, quod non *ex illo* (numine divino), in illo et per illud, imo *illud* sit.“ De providentia Tom. I. fol. 35. „Cum igitur unum ac solum infinitum sit necesse est, praeter hoc nihil esse.“ I. c. fol. 356. Haec et alia apud Möhler op. c. S. 249—253.

[4]) Pius IX. in encycl. ad arch. et ep. Italiae die 8. Dec. 1849. conqueritur „ex depressa sacrorum antistitum auctoritate et ex crescente in dies multorum in divinis et eccles. legibus impune violandis factum fuisse, ut minueretur pariter populi obsequium erga civilem potestatem, ut hodiernis publicae tranquillitatis inimicis planior inde pateret via ad seditiones contra principem commovendas.“

[5]) E. g. Henr. Leo scribit: „Man kann mit einem gewissen Recht aussprechen, die Entwicklung revolutionärer Staatsrechtstheorien war die ganz nothwendige, die unausbleibliche Folge der Reformation.“ Lehrb. der Universalgesch., IV. B. §. 153. Halle 1840. Auctor socialisticus L. Blanc dicit: „Das 16. Jahrhundert war das Jahrhundert der Wissenschaft in der Revolution; indem es bei der Kirche den Anfang machte, bereitete es den Sturz aller alten Gewalten vor: das ist sein eigenthümlicher Charakter. Die Erstlinge der neuen Zeit brachte der Protestantismus hervor. Seine weiteren Consequenzen sind leicht vorauszusehen. Dieser Papst, den er stürzen will, ist ein König auf geistigem Gebiete, aber immerhin doch ein König. Ist dieser erst gefallen, so werden die andern bald folgen. So bringt es das Princip der Autorität mit sich, wenn man auch nur leise an der geachtetsten Form derselben rüttelt, sich nur von fern an den erhabensten Repräsentanten derselben vergreift; auf jeden religiösen Luther folgt unabweislich ein politischer Luther.“ Geschichte der französischen Revolution. I. Band. S. 17, 19.

[6]) Alzog: Handb. der Univers. Kircheng. S. 282. Note 2. Aufl. 8.

[7]) Idem pag. 285.

absoluta populi auctoritate seu majestate (Volkssouverainität) proclamarunt in societate religiosa, docentes, vi baptismi omnes esse sacerdotes, aequales ac liberos, „ministros verbi“ a communitate ablegari et constitui ad „verbum Dei epuratum“ praedicandum et functiones religiosas peragendas.[1]) At vero principio hoc in societate religiosa statuto consequens erat inferre in societate quoque civili, imo potius in hac quam in illa, populum gaudere absoluta auctoritate; quare mirum non est, quod passim ipsi reformatores claris verbis enuntiarunt, principem a populo accipere imperium, atque sine populi consensu principem nihil praescribere posse.[2]) Jam vero principium de absoluta populi potestate, omnium libertate et aequalitate consequenter evolutum ad theoriam de republica athea Liberalismo et Socialismo propriam ducere debebat, praesertim irreligiositate crescente, de qua jam Lutherus amare conquestus est.

Remote Liberalismus cum Socialismo ex protestantismo sequitur, quatenus hic ad Pantheismum et Materialismum manu ducit, ex quibus, ut §. 8. n. 8. et 9. vidimus, illa systemata perniciosa derivantur.[3])

An vero sancta dici meretur doctrina, quae tam impios tamque funestos fructus progignit? — Nec mirum, deficit enim principium illud, ex quo solo sanctitas doctrinae haberi et custodiri potest.

6. — 2) Catholica morum doctrina totum hominem saluberrime adgreditur, eum nimirum perficiendo et sanctificando. Etenim

[1]) Stöckl: Das christl. Autoritätsprincip und das Princip der Volkssouveränität. (Katholik, 1871. Sept. S. 293.)

[2]) Lutherus dicit: *„Christianis nihil ullo jure posse imponi legum, sive ab hominibus, sive ab angelis, nisi quantum volunt, liberi enim sunt ab omnibus. — — Dico itaque: neque papa, neque episcopus, neque ullus hominum jus habet unius syllabae constituendae super Christianum hominem, nisi id fiat ejusdem consensu, quidquid aliter fit, tyrannico spiritu fit.“* De captiv. Babyl. Melanchton scripsit: *„Principi nullum licet suscipere bellum, nisi consentiente populo, a quo accepit imperium.“* Ep. ad Joan. Fried. Saxon. 8. Febr. 1523.

[3]) Historia testante protestantismus jam tempore reformatorum protulit Radicalismum politicum, et Communismum seu *Socialismum* et quidem per Anabaptistas; Protestantismus in Anglia procreavit Rationalismum seu potius *Deismum* (per Herbert, Toland, Shaftesbury, Woolston, Tindal etc.), Empirismum pariter et *Materialismum* (per Hobbes, Locke, Hume); dein Materialismus ex Anglia (per Condillac) in Galliam invectus, ibique foedissime evolutus (per Voltaire, Helvetium, Diderot etc.) *Socialismum* produxit. Rursus in Germania protestantismus peperit *Rationalismum* (praesertim per Kant), qui subinde in *Pantheismum* et *Materialismum* degeneravit; unde non immerito Hegel cum a theologis protestantibus impugnaretur, conquestus est dicens, se nonnisi reformatorum principia evolvisse.

perficit et sanctificat corpus, animae illud subjiciendo, perficit et sanctificat animam, eam Deo subdendo. Mentem illuminat, voluntatem inflammat, cor seu animum aedificat. Omnes humanae naturae vires exercet sancteque excolit, ad Dei servitium et honorem trahit. — Non idem de doctrinis sectariorum dici potest, utpote quae vel intellectum, vel phantasiam et sensionem supra modum adgrediuntur, nec rationem Deo, nec inferiores vires rationi subdere, ideoque nec ad veram perfectionem et salutem ducere hominem natae sunt. Hinc partim Rationalismus, partim Mysticismus penes sectas protestanticas deprehenditur.[1]) Lutherus ad gnosticismum, Zwinglius ad mysticismum pantheisticum declinavit.[2]) Mysticismus Quaekerorum, Methodistarum, aliorumque Pietistarum absque dubio ex placitis reformatorum dimanavit.[3])

7. — Praeterea 3) catholica morum doctrina diversis hominum indigentiis sese accomodat, ut omnes Christo lucrifiant. Imbecilliores praeceptis ad salutem dirigit, fortiores per consilia ad excellentiorem perfectionem allicit.[4]) Sceleratos de somno excitat, incipientes corroborat, proficientes impellit, perfectos sustentat.[5]) Vitam contemplativam, vitam activam, vitam mixtam, diversis regulis convenienter moderatur. — E contrario doctrinae sectariorum sublimioribus omnium indigentiis et votis satisfacere non valent; quia in illis desiderantur certitudinis character, sanctitatis nota, necessaria inter praecepta rigida et consilia facienda distinctio, illaque omnia, quae nostra exhibet sacra doctrina, perfectionis media ac subsidia diversa et praestantissima.

§. 11.

Historia Theologiae moralis.

1. — Historia ethicae catholicae respectu habito ad diversum modum, quo per temporis decursum christiana morum disciplina

[1]) Imo quandoque in uno homine duplex hic error reperitur. Sic Schleiermacher qua Theologus Mysticismo addictus erat, ut philosophus Rationalismum pantheisticum fovebat.

[2]) Möhler: Symb. 1. Bd. cap. 3. §. 27.

[3]) Stöckl: Der Einfluss der reformatorischen Systeme des 16. Jahrhunderts auf die Mystik. (Katholik, 1871. März, S. 274—300.)

[4]) Cf. s. August.: De moribus Ecclesiae cathol. I. 1. n. 79. De gestis Pelagii n. 29.

[5]) Pulchre s. Augustinus Ecclesiam ita alloquitur: *„Tu pueriliter pueros, fortiter juvenes, quiete senes, prout cujusque non corporis tantum, sed et animi aetas est, exerces et doces.“* De moribus Eccl. cath. I. 1. n. 63. Ecclesia *„omnibus gratiae Dei participandae dat potestatem, sive illi formandi sint adhuc, sive reformandi, sive recolligendi, sive admittendi.“* De vera religione n. 10.

tradebatur, convenienter in tres periodes dividi potest, quarum primam statuimus ab initio Ecclesiae usque ad tempus, qua Theologia Scholastica florere coepit, alteram ab initio Scholasticae usque ad tempus Reformationis, tertiam denique a tempore Reformationis ad nostros usque dies definimus.

A.

2. — Quod primam periodum attinet, Theologia moralis secundum modum, quo ab Ecclesiae Patribus et scriptoribus tradebatur, potissime characterem *positivum* prae se fert. Et quidem I. tribus prioribus saeculis in exponendis morum dogmatibus partim infideles, partim fideles respiciebantur. Cum enim gentiles sacram morum doctrinam a Christo Domino revelatam conviciis acriter incesserent injurioseque deformarent, necesse erat, illam sincere exponere et argumentis positivis probare ac tueri; quod multa cum laude praestiterunt s. Justinus, Athenagoras, Clemens Alexandrinus, Tertullianus et s. Cyprianus in apologiis a se publicatis. Fideles autem admonebantur ad vitae sanctimoniam omnibus viribus amplectendam, imprimis ad fidem fortiter tenendam et confitendam, ad inimicos et persecutores sincere diligendos, ad obedientiam potestati ecclesiasticae et civili exacte exhibendam, ad abnegationis et orationis studium sollicite fovendum etc.; quem in finem multa opera praeclara sunt conscripta. Et quidem Hermas exaravit opusculum, cui titulus „Pastor" inscriptus est; Clemens Alexandrinus tria opera argumenti praesertim moralis confecit, quae sunt: παιδαγωγός, brevis quidam doctrinae moralis complexus, στρωματεῖς, profundior quaedam principiorum moralium expositio pro eruditis Christianis, τὶς ὁ σωζόμενος πλούσιος, libellus egregius, in quo de recto divitiarum usu agitur; etiam Tertullianus, quamdiu catholicus erat, operibus moralibus excelluit; multo tamen illustriori laude conspicuus evasit s. Cyprianus, qui praeter alia scripsit *de lapsis, de oratione Dominica, de habitu Virginum, de opere et eleemosynis, de zelo et livore, de bono patientiae.*

3. — II. Postquam cruentae christianorum persecutiones in imperio Romano saeculo IV. cessaverant, aliud malum ex sentiendi agendique perversitate eorum, qui idolis relictis ad sacra christiana transierant, et nomen quidem, principia tamen et mores non mutaverant, Ecclesiae catholicae accidit. Quam ob rem Ecclesiae praesules non verbis tantum, sed etiam scriptis morum corruptioni mederi,

atque virtutum christianarum studium fovere adlaboraverunt. Inter Graecos praesertim s. Joannes Chrysostomus,[1]) s. Basilius,[2]) s. Gregorius Nazianzenus,[3]) s. Gregorius Nyssenus[4]) in operibus suis christanos de praeceptis divinis recte instituere, eosque ad vitia exstirpanda ac virtutes exercendas permovere sapientia vere coelesti adnisi sunt. Quibus accessit s. Ephraem Syrus[5]) cujus scripta copiosa scientia sanctorum sunt referta. — Verum pari laude digni sunt habendi, qui inter Latinos christianam morum doctrinam operibus elucubratis tradiderunt, inter quos prae ceteris celebrari merentur s. Ambrosius,[6]) s. Augustinus,[7]) et s. Gregorius Magnus.[8]) Cumque non deessent philosophi et haeretici, inprimis Manichaei et Pelagiani, qui placita christianae morum doctrinae repugnantia proferrent, eorum errores refellere necesse erat, quod mirando ingenii acumine profundissimaque scientiarum eruditione magnus s. Augustinus praestitit.

Ut sacerdotes de nobilissima status sui dignitate simul atque de gravibus officiis sibi incumbentibus salubriter admonerentur, qui-

---

[1]) Praeter opuscula quaedam moralia scripsit permultas Homilias doctrinis morum repletas, de quibus videatur cl. Fessler, Institutiones Patrologiae, II. p. 95—99. p. 104—116. *Plane nullum est vitium, nullaque virtus, de quibus non ageret mira perspicacitate et eloquentia.*

[2]) Homilias morales et opera ascetica praeter dogmatica et exegetica opera reliquit, de quibus Fessler agit in op. c. I. p. 514—521.

[3]) Reliquit praeter alia orationes morales (de pauperum amore, de pace) et epistolas morales, nec non poëmata moralia (in quibus vel regulas vitae spiritualis proponit, vel virtutes commendat). Vid. Fessler op. c. I. p. 565. p. 576—578.

[4]) Homil. *de Oratione, de Beatitudinibus, in Ecclesiasten, in Cant. Cant., lib. de virginitate* etc. Fessler I. p. 609.

[5]) Tractatus morales inter ejus opera antecellunt. De his agit Fessler II. p. 31.

[6]) Pracipua opera, in quibus de rebus moralibus agit, sunt: *Libri II de Cain et Abel, libri II de Abraham, liber de Isaac et anima, libri II de Jacob et vita beata, liber de bono mortis, liber de Elia et jejunio*, opera ad commendationem et institutionem virginitatis et continentiae. Vid. clariss. Fessler op. c. I. p. 695.

[7]) Dogmata fidei et praecepta morum in ipsius operibus connexa inveniuntur. Scripsit tamen etiam opera, quae ex potiori, vel etiam omni ex parte sunt moralia, quo spectant, *liber de patientia, liber de continentia, de bono conjugali, de virginitate, liber de mendacio, liber contra mendacium, liber de agone Christiano, liber de moribus Ecclesiae catholicae* etc. Praeprimis hic commendari meretur *Enchiridion ad Laurentium* seu *liber de fide, spe et charitate*, quod Jansenistae inique sibi vindicaverant, sed notis et assertionibus theologicis illustratum istis eripuit J. Faure S. J. ed. Romae 1755., recus. Neapoli 1847.

[8]) Ejus opera praecipue moribus inserviunt, videlicet *Moralia in Job*, quae 35 libris absolvuntur, *Homiliae XXII in Ezechielem, Homiliae XL in Evangelia, Dialogorum libri IV.* Vid. clar. Fessler p. c. II. p. 1006.

dam ss. Patrum opera inaestimabilis ac perpetui valoris exararunt, nimirum s. Joannes Chrysostomus libros 6 de sacerdotio, s. Ephraem Syrus libellum de sacerdotio, s. Gregorius Nazianz. tractatum de sacerdotio (Apologeticam de fuga sua), s. Ambrosius libros tres de officiis,[1]) s. Hieronymus epistolam ad Nepotianum, s. Gregorius M. librum regulae pastoralis in quatuor partes divisum. In finem administrandi Poenitentiae Sacramenti *libri poenitentiales* sunt confecti, in quibus pro gravioribus peccatis poenae ecclesiasticae assignatae inveniuntur.

4. — Qui post saeculum sextum morum doctrinam libris editis exposuerunt, sapientiae christianae thesauris, quibus opera antiquiorum ss. Patrum abundant, uti potuerunt et reapse quoque usi sunt. Inter eos, qui inde a saeculo septimo usque ad initium Scholasticae de rebus moralibus tractarunt, imprimis s. Isidorus Hispalensis († 636.), s. Joannes Damascenus († 780.), Beda Venerabilis († 735.), s. Petrus Damiani († 1072) nominari merentur.

§. 12.

Continuatio.

B.

1. — Inde a saeculo undecimo sacra scientia in Occidente nova forma seu methodo in *scholis* tradebatur, unde vox Theologiae *Scholasticae* enata est. Congruum igitur est, novam hic periodum historiae, de qua agimus, statuere.

2. — Theologia *Scholastica* vi indolis suae est Theologia *speculativa* sensu supra (§. 7. n. 2.) exposito;[2]) etenim ex doctrinis moralibus in s. scriptura sive Traditione contentis, ab Ecclesia diserte propositis vel saltem universaliter in Ecclesia receptis proce-

[1]) S. Ambrosius respiciens libros de officiis a Cicerone exaratos in praelaudato opere palam facit, quantopere christiana morum doctrina excellat ethnicam. Cf. Fr. Bittner: Commentatio de Ciceronianis et Ambrosianis officiorum libris. Braunsberg 1849. F. Hasler: Ueber das Verhältniss der heidnischen und christlichen Ethik auf Grund einer Vergleichung des Ciceron. Buches: „De officiis" mit dem gleichnamigen des h. Ambrosius. München 1866.

[2]) Vid. s. Thom. q. 1. a. 5. ad 2., q. 1. a. 8. S. Bonaventura: Proëm. in Lib. I. Sentent. q. 1. ait: *„Subjectum universale* (Theologiae) — *est credibile, prout tamen credibile transit in rationem intelligibilis et hoc per additionem rationis."* Et quaest. 2. dicit: *„Modus perscrutatorius sive inquisitivus procedendi* (in his Libris) *valet ad confundendum haereticos, — ad fovendum infirmos, — et ad delectandum perfectos."*

dens easdem ope philosophiae illustrare, et contra impugnatores solide obfirmare, nec non conclusiones ex illis legitime argumentando deducere, Scholastica sategit.

Non tamen existimandum, abstracte tantum sacram morum doctrinam hac periodo fuisse expositam, quinimo Scholastica ipsa, cujus quidem (ut diximus) munus erat, ex veritatibus generalioribus conclusiones derivare, in expositione rerum moralium consequenter ad discutiendas quaestiones particulares et practicas descendebat, quocirca videbimus, Casuisticam et Mysticam a Theologis Scholasticis maximopere cultam fuisse.

Igitur speculativam rerum moralium tractationem, Casuisticam et Mysticam hujus aetatis nunc accuratius considerabimus.

3. — 1. *Speculativa* rerum moralium tractatio nequaquam per Scholasticos primum in Ecclesia coepit, sed invenitur jam in scriptis ss. Patrum, inprimis s. Augustini, „quo major in rerum divinarum scientia post Apostolos vix fuit," ut Conc. Prov. Viennense merito dicit,[1]) nunc tamen multum amplificata, magnaque solertia exculta est; dumque ss. Patres in philosophia Eclecticismo addicti essent,[2]) ex diversis scilicet philosophiae gentilis systematibus colligentes, quae ad usum suum satis apta ipsis videbantur, Theologi Scholastici fere unice philosophiam Aristotelicam in subsidium Theologiae adhibuerunt.[3])

[1]) Tit. I. cap. 3. Viennae 1859. p. 34.

[2]) *S. Augustinus* Platonem ceteris praefert. De Civitate Dei lib. VIII. cap. 4—8. Aristotelem tamen magni habet, dicens „Aristoteles, Platonis discipulus, vir excellentis ingenii, et eloquio Platoni quidem impar, sed multos facile superans." Ibid. lib. VIII. cap. 12. *S. Hieronymus* eundem dicit principem philosophorum. Dialog. contra Pelag. n. 14.

[3]) Jam inde ab exeunte saeculo sexto in scholis Occidentalibus potissimum Aristotelica seu peripatetica philosophia tradebatur, deinceps a saeculo 12. incipiendo Scholastici fere solam hanc philosophiam in usum Theologiae vocarunt, posthabita Platonica, quae antiquitus erat frequentius usurpata. Ratio erat 1) quia tunc pugna exarsit cum Saracenis, qui philosophia peripatetica abutebantur ad veritates religionis christianae impugnandas; 2) quia opera Aristotelis multo magis quam Platonis perspicuitate idearum, argumentationis robore, stylique simplicitate in usum scholarum se commendabant; atque 3) quia minus periculum involvebat studium Aristotelis quam Platonis, cum ille de iis tantum agat, quorum veritas aut falsitas per lumen rationis facile patescit, hic vero sublimiora etiam proferat, veritatibus christianis haud dissimilia, non paucis tamen erroribus commixta, et quidem dictione fere poëtica et valde amoena, qua re timendum erat, ne cum veris falsa simul ex ejus scriptis imbiberentur. Vide Kleutgen: Die Theologie der Vorzeit, letzt. Bd. 2. Thl. 2. Abth. S. 189. Münster 1860.

De magno pretio philosophiae peripateticae, deque ejusdem ad scientiam catholicam habitu scite agitur in ephem. *Der Katholik* 1862. XV. S. 257—276.

4. — Theologiae scholasticae parens s. Anselmus († 1100.) communiter dicitur, quia in Ecclesia occidentali primus erat, qui doctrinas revelatas ope rationis illustrandas suscepit. Ipsi Ecclesia laudem tribuit, quod „doctrinam ad defensionem Christianae religionis, animarum profectum, et omnium theologorum, qui sacras litteras scholastica methodo tradiderunt, normam coelitus hausit.“ [1]) Petrus Lombardus († 1164.) in opere *lib. IV sententiarum* anno 1160. edito integrum ferme systema veritatum fidei et morum composuit, praecipuis fere sacrae scripturae sanctorumque Patrum sententiis in unum corpus collectis. Alexander de Hales († 1245.) ad veritates solide probandas formam syllogisticam induxit, quae demum communis et propria evasit omnibus Scholasticis, unde forma seu methodus scholastica dici consuevit. Deinceps Albertus M. († 1280.), prodigium aetatis suae, Doctor universalis nuncupatus, auctoritate sua plurimum effecit, ut philosophia Aristotelica studiose tractaretur atque in Theologiae subsidium magis magisque adhiberetur.

5. — Auctoritate omnibus praeeminet s. Thomas Aquinas († 1274), Doctor Angelicus dictus, angelico ferme intellectu ditatus.[2]) Cf. §. 6. n. 11. Hic in opere „Summa Theologica“, et quidem in II^da^ ejusdem parte nec non in aliis operibus omnes materias ad ethicam pertinentes summa eruditione tam sacra quam philosophica, acerrimo ingenii acumine, ineluctabili argumentorum vi et efficacia, mira loquendi simplicitate et claritate pertractat.[3]) Tempore et amicitiae vinculo ei junctus erat s. Bonaventura († 1274.), Doctor Seraphicus dictus, qui multis in operibus morum doctrinas non minori eruditione ac profunditate, quam pietate et unctione explanavit, magnis laudibus merito ab Ecclesia celebratus. „Multa scripsit,“ sic habetur in Officio ipsius festi (die 14. Julii), „in quibus summam eruditionem cum pari pietatis ardore conjungens, lectorem docendo movet.“ Adversarium doctor Angelicus nactus est *Duns Scotum* († 1308.), qui propter eximiam mentis sagacitatem

Historiam philosophiae, quae medio aevo floruit, magna eruditione et perspicacitate explanavit Dr. Alb. Stöckel: Geschichte der Philosophie des Mittelalters, 3. Bd. Mainz 1864—1867.

[1]) In Off. div. diei festi 21. Aprilis Lect. VII.

[2]) Pius IX. in lit. ad Arch. Neapol. 3. Maji 1875.

[3]) S. P. Leo XIII. per lit. die 18. Januar. 1880. ordinavit, ut omnia s. Thomae opera ex integro Romae ederentur additis Cardinalis Cajetani in Summam Theologicam, et Francisci de Sylvestris in Summam contra Gentiles Commentariis; editioni curandae tres Cardinales destinavit.

Doctor subtilis est nuncupatus; hic enim in omnibus fere quaestionibus, de quibus salva fide disputare illicitum non est, sententias a divo Thoma traditas impugnavit.[1]) A quo tempore, cum Theologi partim hunc partim illum ut magistrum sequerentur ac ducem, duae celeberrimae scholae enatae sunt, Thomistica et Scotistica, quae de disciplina theologica excolenda et perficienda immortalia sibi merita compararunt.

6. — II. *Casuistica*, non nomine quidem sed re, tam antiqua est quam Ecclesia, et prouti quaelibet scientia pedetentim excolebatur. Ut namque nil dicamus de divinis scripturis, in quibus, prout in epistolis s. Pauli, jam nonnullae praescriptiones vere casuisticae deprehenduntur, certe s. Ecclesiae Patres quaestiones particulares et practicas non paucas, de quibus vel consulebantur vel dubia et judicia diversa circumferri experiebantur, magno studio perpenderunt, prout e. g. an licitum sit in exercitu imperatorum gentilium militare, in persecutione fugere, injustum aggressorem occidere, in aliquo casu mentiri etc., quin imo s. Augustinus in duobus integris operibus „de mendacio“ et „contra mendacium“ inscriptis plane more Casuistarum expendit, quid sit mendacium, utrum joci, an figurae, tropi et symbolicae dictiones sint mendacia, utrum bona intentione mendacium sit admittendum, an mentiendum, ne prodatur homicida vel innocens ad mortem quaesitus, num mentiri liceat ad evitandum stuprum, ad aedificandam religionem, ad succurrendum aegroto gravem morbum patienti, ad quempiam baptizandum etc., an veritatem occultare licitum sit, num quis levius peccatum committere possit ad gravius alterius impediendum etc.

Elementa Casuisticae etiam in multis decretis inveniuntur Conciliorum, quae primis saeculis sunt celebrata, ut Concilii Carthaginensis (251.), Elvirensis (306.), Ancyrani (314.), Arelatensis (314.), nec non in *canonibus poenitentialibus* et in *libris poenitentialibus*.

7. — Saeculo *XIII.* materiae ad Casuisticam pertinentes simul cum doctrinis generalibus ordine cohaerente tradi coeperunt, praeprimis a d. Thoma et a s. Bonaventura, quorum principia dehinc a Casuistis magis magisque evolvebantur. Eodem tempore s. Raymundus de Pennafort († 1275.), Poenitentiae Sacramenti insignis minister ab Ecclesia (in oratione festi 23. Jan.) appel-

[1]) Werner: Geschichte des Thomismus (III. B. Der heil. Thomas von Aq.) Regensb. 1859. Stöckl: Geschichte der Philos. d. Mittelalters II. B. S. 778. u. f.

latus, scripsit *Summam de casibus poenitentialibus* libris IV comprehensam, „quam, ut ipse ait, ex diversis auctoritatibus et majorum dictis diligenti studio compilavit, ut sacerdotes in foro poenitentiali quaestiones multas et casus varios et difficiles ac perplexos valeant enodare.“ Saeculo XV. operibus animarum directionem spectantibus inclaruerunt Gerson et s. Antoninus episcopus Florentinus, qui posterior praeter *Summam Theologicam,* eximia eruditione et pietate fulgentem, *Summam confessionalem* in lucem edidit.

8. — III. *Theologia Mystica* in divinis scripturis et in operibus ss. Patrum radices habet. Inter hos s. Basilius,[1]) s. Gregorius Nyssenus,[2]) s. Ephraem Syrus,[3]) s. Ambrosius,[4]) s. Hieronymus,[5]) s. Augustinus,[6]) s. Joannes Climacus,[7]) s. Gregorius M.,[8]) Cassianus,[9]) de vita interna in Deo cum Christo abscondita, tum ad instructionem tum ad aedificationem fidelium doctrinas praeclaras tradiderunt. Praecipue opera s. Dionysio adscripta, in quibus de viis animam cum Deo intime uniendi (seu ut ipse ait, vitam nostram ad statum divinum elevandi, et quasi deificandi) mira sapientia agitur, in Occidente post saeculum 8. multos ad studium Mysticae sacrae accenderunt. Opera ascetica (Meditationes et Orationes) s. Anselmi († 1100.), magisterio pietatis praestant; quibus adhuc praestantiora puto opuscula s. Petri Damiani († 1072.), instructionibus asceticis referta. S. Bernardinus Senens. († 1443.), et s. Laurentius Justin. († 1455.) libros „coelestem doctrinam ac pietatem spirantes“ scripserunt. Pulcherrimo flore Mystica sacra in scriptis s. Bernardi († 1153.), doctoris melliflui, laetatur; praeter quem Joan. Ruysbroeck († 1380.), Joan. Tauler († 1361.), Henricus Suso (1365.), inter scriptores mysticos jure praedicantur. Insuper etiam Scholastici fere omnes de rebus ad Mysticam spectantibus scripserunt, easque pro more suo solerter et acute discusserunt

[1]) *Tractatus 3 ascetici. Praevia institutio ascetica. Sermo asceticus. Sermo de ascetica disciplina etc.*

[2]) *Tractatus tres de perfectione christiana, liber de virginitate etc.*

[3]) Plures sermones eius sunt ascetici, prout *de directione virtutis, de luctamine spirituali etc.*

[4]) In libris 7 de Patriarchis, Exposit. Psalmorum etc.

[5]) In plurimis epistolis.

[6]) *In Confessionibus, Soliloquiis etc.*

[7]) *Scala paradisi,* unde nomen Climaci accepit.

[8]) In *libris Moralium, Homil. in Ezech.*

[9]) *Collationes,* sed collatio 13. et 17. errores continent.

ac dilucidarunt,[1]) ut Hugo a s. Victore (1140.), Richard. a s. Victore († 1173.), Albertus M. (1280.), Gerson (1429.), Dionysius Carthusianus († 1471.), quibus tamen omnibus s. Thomas et s. Bonaventura palmam eripuerunt.

§. 13.

Continuatio.

C.

1. — Tertiam periodum historiae Theologiae moralis a tempore Reformationis ad nostros usque dies definimus, quia a Reformatoribus plurimi valdeque perniciosi errores in rebus moralibus propositi ac provocati sunt, qui in modum Theologiam moralem tradendi magnum influxum exercuerunt et adhucdum exercent.

Hoc aevo ethica *positiva* et *speculativa, Casuistica* pariter et *Mystica* magno studio ac fervore pertractata est, quod nunc particulariter considerare volumus.

2. — I. Haeresiarchae saeculi XVI. fundamenta doctrinae moralis labefactare ac disjicere conati sunt, ad quae proinde fortiter tuenda praesertim ex s. scriptura et ex Traditione arma desumere necesse erat, quam ob rem ab illo tempore magis positive Theologia moralis, ut et dogmatica tradebatur, quin tamen speculativa ejusdem tractatio neglecta jaceret; plerique siquidem Scholastici hac adhuc aetate florentes, Suarez, Vasquez, Lessius, Lugo, Gregorius de Valentia, Becanus et positive et speculative sacram morum disciplinam exposuere.[2])

[1]) Non verum est, quod nonnulli contendunt: Scholasticam et Mysticam sibi oppositam et adversam esse; prout ex utriusque indole nec non exinde patet, quod celebratissimi Scholastici simul versatissimi in Mystica fuerunt. Praeclare dicit Ferd. Probst: „In der Kirche hatte der Scholastiker ebenso sein Centrum wie der Mystiker. Und je mehr ein Theologe den in der Kirche lebenden Geist in sich Gestalt gewinnen lässt, desto mehr ist er Scholastiker, Mystiker und Casuist zugleich. Den Beweis dafür liefern Bernhard, Thomas, Bonaventura etc.“ Kath. Moraltheol. I. B. S. 37. Tübing. 1848. Neque iis assentimur, qui de litibus Scholasticos inter et Mysticos agitatis sermocinantur, frustra enim illae in historia quaeruntur, ut clarissime ostendit doctiss. Jos. Kleutgen: Die Theol. der Vorzeit, letzter B. 1. Abth. 4. Hauptstück. S. 55—77.

[2]) Werner: Franz Suarez und die Scholastik der letzten Jahrhunderte 2. B. Regensburg 1861. H. Hurter Nomenclator literarius recentioris theologiae catholicae. Tom. I. Oeniponti 1872.

3. — II. *Casuistica* saeculo XVI. et XVII. plurimum exculta est. Quo minus namque novatores bona opera ut necessaria ad salutem admittebant, eo plus Theologi catholici cum sancta matre Ecclesia eadem urgebant, eoque studiosius regulas bene operandi explanare satagebant.[1]) Permultis hujus modi Theologis silentio praetermissis[2]) jure meritoque magnis laudibus celebrantur sequentes: Franc. Toletus († 1596.), encomiis ab ipsis RR. Pontificibus cumulatus,[3]) Reginaldus († 1623.), a sancto Alphonso auctoribus classicis adnumeratus,[4]) prioris opera s. Franciscus Salesius, Reginaldi etiam s. Carolus Borrom. clero suo commendavit. Emmanuel Sa († 1596.), a s. Pio V. magni habitus,[5]) Joan. Azor († 1603.), ingenio et scientia inter Theologos maxime commendatus[6]) Franc. Suarez (1617.), quem Benedictus XIV. Theologiae luminare appellavit,[7]) Leon. Lessius († 1623.), a Paulo V., Sixto V. et Urbano VIII. magni aestimatus et a s. Francisco Salesio ob „utilissimum opus" de justitia et jure laudibus donatus,[8]) Thomas Sanchez (1610.), a Clemente VIII. maximi habitus et a s. Alphonso vir piissimus vocatus,[9]) Laymann († 1635.) doctrina et ingenio insignis, tamquam oraculum ex remotissimis locis consultus, Mart. Bonacina († 1631.), qui a s. Alphonso inter auctores classicos merito refertur, Card. de Lugo († 1660.), quem post s. Thomam inter Theologos morales facile principem esse s. Alphonsus dicit. Salmanticenses (Theologi collegii Salmanticae in Hispania),

[1]) Veritatem sincere profitetur auctor protestanticus Adolfus Wuttke, dum dicit: „Die römische Theologie hat eine weit reichhaltigere ethische Literatur erzeugt, als die evangelische, weil dort nicht blos das wissenschaftliche, sondern auch das practische Bedürfniss nach ethischen Anweisungen und Regulativen viel grösser ist als im Bereiche des evangelischen Bewusstseins, welches nicht mehr „„unter dem Gesetze"" steht, welches also an der Ethik weniger ein practisches (!) als ein wissenschaftliches Interesse hat." Handbuch der christlichen Sittenlehre. I. B. S. 298. Berlin 1861. Imo rejiciendo legum obligationem et necessitatem bonorum operum protestantes, si sibi vellent esse consequentes, nullam prorsus ethicam adstruere possent.

[2]) Hos videre est apud s. Alphonsum: Theol. moral. tom. I. Introd. p. XV. Ed. ab Haringer. Ratisb. 1846. cum notitiis vitae et operum apud Hurter op. supra cit., sparsim.

[3]) Multa de tanto viro lectu dignissima refert cl. Hurter: Nomenclator literarius, Tom. I. pag. 176—184. Oenip. 1872.

[4]) De quo Hurter op. c. Tom. I. pag. 687. 688.

[5]) Vid. Hurter op. c. pag. 152. usque 154.

[6]) Hurter: ibid. pag. 411—413.

[7]) De cujus laudibus Werner op. superius citato pag. 90. et al. Hurter op. c. pag. 255—264.

[8]) De quo plura Hurter op. c. pag. 482—496.

[9]) Idem pag. 414—417.

qui pariter a s. Alphonso doctores classici reputantur. Compendium Theologiae moralis, quod (ab anno 1645. ad annum 1770.) plus quam ducenties repetita editione ubique divulgatum erat, confecit Hermanus Busenbaum († 1668.), apiculas, ut ipse ait, imitatus. quae ex optimis floribus utilissima colligunt et in alveari disponunt in ordinem.[1])

4. — Cum saeculo XVII. Jansenistae assertiones sanae Christi doctrinae repugnantes effutirent, scientia moralis fata valde tristia experta est. Etenim Jansenius praeter alia falsa et moribus formandis perniciosa placita etiam hanc ut haereticam ab Ecclesia damnatam propositionem docuit: *Aliqua Dei praecepta sunt impossibilia; deest quoque gratia, qua possibilia fiant;* ad quam obfirmandam obstinaces Jansenii sequaces subinde nimiam et mortalium vires superantem severitatem sub specie pietatis in rebus morum praetenderunt. Inter eos, qui serpentes quotidie Jansenistarum errores impugnabant, Theologi Societatis Jesu praecipuas tenuerunt partes. Contra hos igitur sectariorum rabies potissimum exarsit, et inprimis Arnaldus, Paschalis et Nicolius fuerunt, qui libellis editis eosdem praesertim Laxismi in morum doctrina verbis contumeliosis arguebant.[2]) At vero, quam injuste Jansenistae Societatem Jesu laxitatis in morum doctrina arguerint, exinde jam conspicere licet, quod ejusdem Societatis praepositi generales iteratis vicibus suos sodales de cavenda nimia opinionum benignitate monuerunt.[3]) Et si unus et alter Societatis theologus in rebus difficilioribus ab Ecclesia non-

[1]) Titulus Compendii est: Medulla Theologiae moralis. Hoc opusculum, quod brevitate, concinnitate et ordine rerum excellit, recentissime iterum editum est Romae a s. Congregatione de Propaganda fide, et juxta hanc editionem denuo impressum est Tornaci sine anni assignatione. Haec editio continet quoque adnotationes breves, quas s. Alphonsus inseruit medullae, propositiones a Sede Apostolica (ab anno 1418—1794.) damnatas, Praxin Confessarii auctore s. Alphonso, et dissertationem de recidivis.

[2]) Qualis animi isti viri fuerint, colligi potest ex voto ab examinatoribus (4 episcopis et 5 doctoribus Sorbonicis) librorum ab iisdem editorum emisso a. 1860., in quo haec habentur: *Scriptoribus his* (nimirum Arnaldo, Paschali et Nicolio) *adeo insitum natura esse maledicere et cuique obtrectare, ut, Jansenianis suis exceptis, nulli hominum parcant non Pontificibus, non Episcopis, non regibus eorumque ministris, nulli sacrae facultati, ne Parisiensi quidem, nulli religiosorum hominum ordini aut familiae."*

[3]) Gosvinus Nikel generalis X. scripsit 29. Maji 1657. Epistolam ad totam Societatem Jesu de sententiis laxioribus aliisque exoticis et novis in docendo vitandis; et similem scripsit etiam Joannes Paulus Oliva generalis XI. 2. Decembr. 1662., iterumque 30. Aprilis 1667. de cavendis opinionibus moralibus nimis laxis.

dum definitis bona fide a veritate declinaverint, an ideo carpendi? [1]) Nonne alii quoque diversorum statuum theologi ante et post illos errarunt? Solum Ecclesiae magisterium dono infallibilitatis gaudet. Ceterum Jansenistae opiniones traduxerunt tamquam laxas, quae tales nequaquam censeri possunt; nimium enim et ab Ecclesia ipsa reprobatum rigorem in rebus moralibus tuendum susceperunt. Denique non praetermittendum, quod sententias ex operibus Jesuitarum neutiquam excerpserunt fideliter, sed perfide eas adulterarunt vel mutilarunt et in sensum pravum malitiose detorserunt ad ignominiam laxitatis toti Societati inurendam. [2]) Cum autem haeretici isti pietatem dolose simularent ac scientiae moralis tuendae fervorem, multos viros doctos in Gallia, Italia aliisque in provinciis in suas partes adduxerunt, inter quos etiam Petrus Collet (celeber Honorati Tournely continuator), Ludov. Habert et Alexander Natalis fuerunt, qui licet alios Jansenistarum errores rejecerint, immoderato tamen eorum rigori in multis se accomodarunt. Non quidem defuerunt, qui benigniores propugnarent sententias, uti Ludov. Abelly, [3]) Eusebius, Amort, [4]) Reiffenstuel, [5]) Reuter, [6]) Voit, [7]) Holzmann, [8]) Elbel, [9]) quin tamen intumescentem doctrinae rigorem penitus reprimere valuerint.

5. — Quae cum agerentur, s. Alphonsus Maria de Liguori non sine providentissimo Dei consilio Theologicam mo-

[1]) Audiamus, quomodo sanctissimus vir Alphonsus de Liguori de iis theologis judicaverit, qui justo benigniores sententias docuerunt: *„Immerito et non sine charitatis defectu aliqui dixerunt, quod auctores, qui in quasdam laxas opiniones inciderunt, plausus ambitione ducti id fecerunt. Cur non dicimus aequius, ipsos desiderio salutis animarum impulsos in eas devenisse, ut illas a periculo peccatorum averterent tutiusque ducerent ad portum salutis?“* Theol. mor. Introd. editoris (Haringer) p. XLIII. Ratisb. 1846.

[2]) Praeter alios praecipue duo a Jansenistis vexati sunt, H. Busenbaum et Claud. Lacroix, qui commentarios Medullae Busenbaum adjecit; hi in uno opere: „Extraits des assertions“ dicto modo 195 vicibus citantur. Vide Dissertationem prolegomenam in Medullam H. Busenbaum p. VIII.

[3]) Medulla theologica, quae recentissime nova editione divulgata est Ratisbonae 1839.

[4]) Theologia eclectica, moralis, scholastica etc. 4 vol. Bononiae 1753.

[5]) Theologia moralis. Additionibus Kresslinger et Kickh aucta. Pedeponti 1756. 8 tom.

[6]) Theologia moralis 4 vol. Col. 1756.

[7]) Theologia moralis 2 vol. recentissime denuo edita Wirceburgi 1860.

[8]) Theologia moralis usitato in scholis ordine ac methodo concinnata. 2 Tom. Campid. 1737.

[9]) Theologia moralis Decalogalis et Sacramentalis per modum conferentiarum etc. 3 Tom. Augustae Vindel. 1747.

ralem exarare adgressus est, ut morum doctrinam vere catholicam, medium tenentem inter nimiam severitatem et nimiam benignitatem, accurate et solide ostenderet. Primo quidem (a. 1748.) Medullam H. Busenbaum notis casibusque adjectis edidit; cum vero hoc fini suo non penitus satisfacere videret, aliud opus valde prolixum elucubrare suscepit, in quo singulari perspicacitate, eruditione profundissima, rara disserendi facilitate et claritate, de cunctis rebus moralibus agit, „quae magis ad praxim deserviunt.“ Qua ratione in hoc opere concinnando sapientissimus vir versatus sit, ipse his memoratu dignis exprimit verbis: *„Protestor coram Deo, quod Theologiam moralem certo non ideo typis mandavi, ut nomen docti ab hominibus reciperem. Sed finis hujus operis non alius fuit, quam gloria Dei et salus animarum.“* [1]) *„Ego spatio triginta fere annorum innummeros auctores tam rigidos, quam benignos legi, et hoc tempore continuo Deum precatus sum, ut me illuminare dignetur.* [2]) *Tandem systema morale non meae rationi superstruxi, sed doctrinis Theologorum, et imprimis principis Theologorum s. Thomae Aquinatis; si igitur erro, cum hoc sancto Doctore erro. — Textus ex jure canonico depromptos cum summo studio in fontibus perlustravi et adnotavi. Si textum cujusdam Patris spectantem ad materiam, de qua est controversia, citatum inveni, notavi illum cum propriis verbis et cum omni studio, quod debetur tali auctoritati, sensum investigavi. — Insuper etiam in controversiis intricatioribus, ubi dubia ex auctoribus resolvere non potui, diversos viros doctos consului, multa vero experientia triginta annorum confessionum et missionum didici.“* [3]) Quod methodum in hoc opere observatam attinet, s. Alphonsus eundem sequitur ordinem, quem H. Busenbaum in sua „Medulla Theologiae moralis“ tenuit, imo totum illius auctoris textum praemittit, cui deinde ea adjungere solet, quibus sententiae ex Medulla allegatae solerter discutiuntur, aut confirmantur aut repudiantur aut modificantur; attamen permultas insuper res fuse pertractat, quae in medulla commemorata non continentur. In controversia quacunque solet omnes doctorum sententias cum ipsorum rationibus adducere, suumque de iis judicium rationibus adjectis interponere. Hoc opus, quod anno 1753. prodiit, et anno 1785. editione nona, ultimaque a s. Doctore ipso instituta comparuit, ab eodem in compendium redactum

[1]) Apolog. I.

[2]) In *quatuor* fere *millibus Quaestionum*, quas complectitur Theologia moralis, *octingentorum* circiter *Auctorum* sententias allegat et perpendit (Acta S. R. C. de concessione tituli Doctoris in honorem s. Alphonsi. Summarium Additionale Proëm. Romae 1870).

[3]) Apolog. IV.

est, cui titulus: *Homo Apostolicus* instructus in sua vocatione ad audiendas confessiones; et huic postea in eundem finem adjecit duo alia opuscula: *Praxis confessarii* et *Il Confessore diretto per le confessioni etc.*, ac praeter Dissertationes et Apologias morales adhuc exaravit opusculum practicum, quod *Institutio catechistica in praecepta Decalogi et Sacramenta*, inscribitur. [1])

Theologia moralis s. Alphonsi statim ac in lucem edita erat, laudatores plurimos, at vero impugnatores quoque non paucos invenit, quorum alii rigorismi, alii et plures quidem laxitatis sanctum Doctorem arguebant, contra quos tamen dissertationibus et apologiis victricibus sese defendit. Et sane injustae illorum accusationes fuerunt, cum s. Alphonsus non novam morum doctrinam, sed in Ecclesia catholica semper traditam nullo praejudicio occupatus exhibeat. [2]) Qua re probius perspecta communior etiam in dies aestimatio hujus operis evasit, eoque maxime aucta est, quod Sedes Apostolica omnia s. Alphonsi scripta venerando ab omnibus judicio approbaverat; atque nunc temporis nulla in orbe catholico provincia invenitur, in qua laudatum opus cum ceteris ipsius scriptis non summa divulgatione et existimatione gauderet cum ingenti animarum lucro. [3])

[1]) Opera s. Alphonsi etiam in linguam Germanicam versa sunt: Werke des hl. Alphons Maria v. Liguori. Neu aus dem Ital. übers. u. herausg. v. P. M. A. Hugues. Regensb. 1842—47. (38 Bände); Theologia moralis, Homo Apostolicus, et Praxis confessarii tantum in lingua latina ibidem habentur. Opus: Homo Apostolicus postmodum etiam in versione Germanica comparuit: *Des h. Alfons M. v. Liguori practische Unterweisungen für Beichtväter* etc. Regensb. 1854. Theol. moralis recentissime edita est a M. Heilig Mechlinae (et Mogunti) 1845—1846., et ab M. Haringer Ratisb. 1846—1847., rursus 1879—1881.

[2]) Bene animadvertit Emin. Card. Gousset: „— dico, Theologiam hujus s. doctoris non solum cum uno et altero s. theologo provinciae, sed cum theologis omnium ecclesiarum et doctrina omnium saeculorum esse comparandam. Est enim doctrina morum sicut et dogmatum immutabilis in principiis, nec possumus juxta Vincentium Lirinensem pro doctrina catholica agnoscere, nisi quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est. Legite s. Alphonsum sine praejudicio, et non invenietis ullam propositionem aut principium, quod doctrinae catholicae adversetur. Quod illa damnat, hic damnat, quod illa docet, ipse docet, nec admittit sententiam, quae communiter a theologis rejicitur.“

[3]) In Actis S. R. C. de concessione tituli Doctoris in honorem s. Alphonsi (Romae 1870., Concl. pag. 532. et seq.) permulta adferuntur testimonia praesulum Ecclesiae comprobantia, moralia et alia hujus Sancti opera etiam extra Europam cognita esse, maximique aestimari, nempe in *Africa* (Aegypti), in *Asia* (Syria, Mesopotamia, Chaldaea, Armenia, et Cilicia, apud Sinenses et Indos), in *America* (Statibus unitis Americae, regno Mexicano, republica Boliviana, imperio Brasiliano), in *Australia* (insulis Sandwick, Oceania orientali).

6. — Antequam ad alia transeamus, singularem adhuc recordationem doctissimi Card. Prosp. Lambertini, postea P. M. Benedicti XIV. injiciamus oportet, cujus quippe opera aurea *Institutiones ecclesiasticae*, et *libri 13 de Synodo Dioecesana* pro Casuistica summi valoris sunt.

7. — III. Dum Casuistica summo studio colebatur, *Mystica sacra* nequaquum neglecta jacebat. Floruerunt hac quoque aetate multi vitae spiritualis doctores, inter quos prae ceteris commemorari merentur Lud. Blosius († 1566.) O. B., rerum spiritualium peritissimus a Card. Bona dictus, a s. Franc. Sal. (Philoth.) pietatis christianae studiosis commendatus, [1]) Joan. d'Avila († 1568.), a s. Franc. Sal. et s. Alph. laudatus, [2]) s. Theresia († 1582.) Ord. Carm., quae Ecclesia in Officio testante „multa coelestis sapientiae documenta conscripsit, quibus fidelium mentes ad supernae patriae desiderium maxime excitantur,“ [3]) Lud. de Granada († 1588.), O. P., a s. Franc. Sal. (Philoth. et Theot.) atque a s. Alphonso (in op. sponsa Christi) commendatus, [4]) s. Joannes de Cruce († 1591.) O. Carm., qui juxta elogium Ecclesiae in Breviario expressum „in divinis explicandis arcanis divinitus instructus libros de Mystica Theologia coelesti sapientia refertos conscripsit.“ [5]) Laurentius Scupoli († 1610.) Theat., quem s. Franc. Sal. maximi habuit, omnibusque commendavit, [6]) Alphons. Rodriguez († 1616.) S. J., cujus opus: „Exercitium perfectionis christianae“ (Uebung der christl. Vollkommenheit) s. Alphonsus (in vitae regulis pro sacerdote saeculari) plenum spiritu et unctione appellat, Bellarmin († 1621.) S. J., de cujus opere „Ascensio mentis ad Deum“ s. Franc. Sal. (Theot.) dicit, quod non potest non esse apud omnes in magna aestimatione et admiratione, [7]) Nicolaus Lancicius

[1]) *Instructio spiritualis, Instructio vitae asceticae* etc. Omnia opera Campeduni 1672. in 2 Tom. Ausgewählte Schriften übers. von Jocham 4 B Sulzbach 1835.

[2]) Epistolae praesertim excellunt. Sämmtl. Schriften deutsch v. Schermer 3 B. Regensb. 1856.

[3]) *Via perfectionis, Castellum animae, epistolae* etc. Alle Schriften deutsch von Schwab. Sulzb. 1830.

[4]) *Dux peccatorum, Memoriale vitae christianae, de oratione et meditatione* etc. hispanice 6 Vol. 1788—1800. Deutsch von Silbert 1823 etc.

[5]) *Ascensus montis Carmeli, Nox obscura, Flamma amoris* etc. Alle Werke deutsch von Schwab, Sulzb. 1830.

[6]) *Combattimento spirituale*, der geistl. Kampf. Wien, 1822. et al. S. Franc. Sal., ut Camus (Geist des hl. Fr. v. Sal. Buch 3. n. 7.) refert, per 18 annos singulis diebus aliquid in hoc libro sibi praedilecto legebat.

[7]) Alia opera: *Gemitus columbae, de arte bene moriendi;* primum germanice edidit Moshammer, Wien 1836. alterum Euperg, München 1822., et Waizmann, Augsb. 1837.

(† 1652.) S. J., qui pie et docte copiosis Sanctorum verbis et exemplis „spiritualis medicinae institutionem“ (ut ipse ait) suppeditat,[1]) Card. Joannes Bona († 1674.) O. Cist., ab Alexandro VII. magni habitus, eruditione et sanctitatis opinione clarus,[2]) Segneri († 1694.) S. J., cujus opusculum „de concordia inter laborem et quietem in oratione“ (contra Mich. Molinos) a s. Alphonso (Praxis confess. cap. 9. n. 127.) aureum appellatur,[3]) Scaramelli († 1752.), quem s. Alphonsus (in op. sponsa Christi) auctorem valde eruditum et devotum vocat.[4])

Praeterea Didacus Alvarez de Paz († 1620.) S. J.,[5]) Jeremias Drexelius († 1638.) S. J.,[6]) Joan. Saint Jure († 1657.) S. J.,[7]) Eusebius Nieremberg († 1658.) S. J.,[8]) communi doctorum sensu insignes vitae spiritualis magistri praedicantur. Deinde Scholastici plerique hujus aetatis praecipua Mysticae capita systemati suo inseruerunt; nec defuerunt, qui separatim eandem scholastice pertractarunt, inter quos Ignatius de la Reguera S. J.,[9]) et Josephus a Spiritu O. Carm.[10]) nominari merentur.

His tamen omnibus supereminent s. Ignatius de Loyola († 1556.), qui divinitus instructus in libro admirabili Exercitiorum spiritualium quoad omnia et singula in eis contenta a Paulo III. approbato magisterium exactum pietatis solidae et consummatae lineamentis egregiis exhibet[11]) — s. Franciscus Salesius († 1622.), novissimus Ecclesiae Doctor, „praecipuus vitae dux ac magister“

[1]) Opuscula spiritualia 2 Tom., Ingolstadii 1724.

[2]) Optima editio operum omnium Taurini 1747—53., etiam separatim edita sunt. Vid. Hurter: Nomenclator Tom. II. pag. 262—265.

[3]) *Concordia tra la Fatica e la quiete nell' orazione*, Florentiae 1680, Vid. alia ejus opera apud cl. Hurter: Nomencl. Tom. II. pag. 546—547.

[4]) *Directorium asceticum* 4 Part. August. Vind. 1770. Anleitung zur Ascese 4. B., Regensb. 1853.

[5]) De vita spirituali lib. 5. Ed. noviss. Paris. 1875.

[6]) *Considerationes de aeternitate; Palaestra christiana; Rosa virtutum Mariae; gazophylacium Christi* etc. Opera omnia Coloniae 1715 et seq. et al.

[7]) Scripsit lingua gallica: de cognitione et amore Jesu Christi, de homine spirituali, de homine religioso, de virtutibus theologicis. Von der Erkenntniss u. Liebe Gottes. Deutsch von P. Lechner Landshut 1834.

[8]) *De pretio inaestimabili divinae gratiae; Doctor Evangelicus; Theopoliticus* etc. Die Herrlichkeiten der göttlichen Gnade nach Eus. Nieremb. von Scheeben 1862.

[9]) *Praxis Theologiae mysticae* a Mich. Godinez S. J. edita, ab ipso est commentariis illustrata, Romae 1740.

[10]) *Theologia scholastico-mystica*, Madriti 1678.

[11]) Opusculum hoc P. Roothaan praeclaris Adnotationibus illustravit.

a Clemente IX., „sapientissimus animarum rector“ a Benedicto XIV. appellatus, qui in suis scriptis coelesti doctrina refertis iter ad christianam perfectionem tutum et planum mirabili discretione et suavitate demonstrat,[1]) — s. Alphonsus († 1787.), inter cujus libros plurimos etiam habentur asceticae lucubrationes, coelesti sapientia et suavitate refertae, ad clerum informandum et fidelium animos ad pietatem excitandos.[2])

Denique P. M. Benedictus XIV. in opere: De Servorum Dei Beatificatione etc. multa, quae ad vitam mysticam spectant, profundissime explanat.

8. — Restat ostendendum, quam faciem recentiori et recentissima aetate in Germania praesertim induerit nostra disciplina.

Protestantismus scaturigo est diversorum philosophiae systematum, quae inde a medio saeculi elapsi in Germania adparuisse et mox defluxisse novimus. Speciosis philosophiae falsae principiis decepti sunt non pauci catholici auctores, qui fontibus theologiae propriis posthabitis in illis morum scientiam fundarunt; quo factum est, ut doctrinam Ecclesiae catholicae in multis infensam nec non philosophicis erroribus abundantem exararent. Hujusmodi scriptores sunt Lauber, Schwarzhueber, Isenbiehl, Geishüttner, Reyberger; quibus pejus adhuc errarunt Danzer, Mutschelle et Schreiber. Meliorem viam Schenkl[3]) et Riegler[4]) ingressi sunt, quin tamen commendari mereantur. Opus morale, quod M. Sailer concinnavit,[5]) praeclara quidem continet, theologicae tamen disciplinae conditionibus non satisfacit. Braun et Vogelsang principiis Hermesianis morum scientiam superstruxerunt. Opus ab

[1]) *Philothea* continet instructionem ad perfectionem pro iis, qui in mundo sunt: *Theotimus* convenit iis, qui in pietate profectus fecerunt, progrediens ultra ea, quae in opere priori tractantur, est opus dogmatico-asceticum. „incomparabilis tractatus“ in Decr. S. R. Cong. die 7. Julii 1877. et in Brevi Apost. die 16. Nov. 1877. appellatur: *epistolae spirituales* „uberrimam etiam rei asceticae segetem suppeditant, in quibus illud plane mirabile, quod Spiritu Dei plenus, cultus erga ss. Cor Jesu semina miserit.“ Vid. Decret. S. R. Cong. et Breve Pii IX. supra cit. Omnia opera germanice Sintzel, Schaffhausen 1846 et seq. Singula etiam ab aliis germanice edita sunt, praesertim Philothea saepissime. In laudem hujus s. Doctoris scripsi in ephem. theol. *Linzer theol. practische Quartalschrift.* 1878. S. 353—371.

[2]) Vid. Decretum S. R. C. die 11 Martii 1871. Breve Pii IX. die 7. Julii 1871.

[3]) Ethica christiana. Ingolst. 1800. 3 vol. Compendium sive Institut. ethicae christ. Ingolst. 1805.

[4]) Christl. Moral nach der Grundlehre der Ethik des Maurus v. Schenkl. Augsb. 1825. 4. Thl. 3. Aufl. Ausg. 1834.

[5]) Handbuch der christlichen Moral. München 1818. 3 B.

Hirscher editum[1]) ingenio et styli elegantia nitet; cum vero Traditionis documenta non satis fuerint consulta,[2]) hinc non miraberis, illud vitiis non paucis esse foedatum. Opera moralia, quae auctore Ambrosio Stapf in lucem prodierunt,[3]) doctrina catholica et pietatis indice praestant, attamen ad usus practicos non sufficiunt.

Recentissime rerum moralium expositioni systematicae et juxta Ecclesiae mentem laudabiliter studuerunt Probst,[4]) Martin,[5]) Werner,[6]) Fuchs,[7]) Jocham,[8]) Elger,[9]) Dieckhoff,[10]) Bittner,[11]) Palasthy,[12]) Friedhoff,[13]) Rietter,[14]) Simar,[15]) Schmied,[16]) Vestigia s. Alphonsi arcte presserunt Waibel,[17]) Gousset,[18]) Panzutti,[19]) Neyraguet,[20]) Scavini,[21]) Bouvier,[22]) Gury,[23]) Kenrick,[24]) Haehnlein,[25]) Martinet,[26]) Sala,[27])

[1]) Die christl. Moral als Lehre von der Verwirklichung des göttl. Reiches in der Menschheit. Tübingen 1851. 5. Aufl.

[2]) Ipse in suo op. cit. p. XVIII. scribit: „Ich habe mein Buch allerdings nicht auf theologische Auctoritäten und Ueberlieferungen gestellt u. s. w.

[3]) Theologia moralis in Compendium redacta 4 Tom. Ed. 4. Oenip. 1855. Epitome Theologiae moralis 2 Tom. Ed. 2. Oenip. 1842. Die christl. Moral als Antwort auf die Frage: „Was wir thun müssen, um in das Reich Gottes einzugehen?" Innsbruck 1841—1842. Epitome Theol. moral. recentissime recusum est addition. auctum ab Hofmann et Aichner 1863—65.

[4]) Katholische Moraltheologie. Tübingen 1848. 2. B.

[5]) Lehrb. d. kath. Moral. 5. Aufl. 1865.

[6]) System der christlichen Ethik. 2 Theile. Regensb. 1850—52. Enchiridion. Theologiae moral. Vindob. 1863.

[7]) Institutiones Theol. moral. Vol. 1. P. 1. 1848. System der christl. Sittenlehre. Augsb. 1851.

[8]) Moraltheologie. 1852—54.

[9]) Lehrbuch der kath. Moralth. 3. B. Regensb. 1852.

[10]) Compendium ethicae christ. 1852 bis 1864.

[11]) Lehrbuch der kath. Moraltheologie 1855.

[12]) Theologia morum catholica. 2 Vol. Ratisb. 1861.

[13]) Allgemeine Moraltheologie 1860. Specielle Moraltheol. 1865.

[14]) Brevarium der christl. Ethik 1866.

[15]) Lehrbuch der kath. Moraltheol. Freiburg 1867. 2. Aufl. 1877.

[16]) Grundriss der kathol. Moraltheologie. Passau 1868.

[17]) Moraltheol. nach dem Geiste des heiligen Alphons. 8. B. Regensb. 1839.

[18]) Théologie morale a l'usage des Curés et des Confesseurs. Paris 1845 et saepius. Uebers. von Oischinger. Schaffhausen 1851. et ab anonymo. Aachen 1851.

[19]) Theologia moralis s. Alphonsi in Institutiones redacta. Neapoli 1840.

[20]) Compendium Theologiae moralis s. Alphonsi di Liguori. Ratisbonae 1851.

[21]) Theologia moralis universa P. M. Pio IX. dedicata. Ed. 12. Mediolani 1874.

[22]) Institutiones theologicae in usum Seminariorum. Parisiis 1853.

[23]) Compendium Theol. moralis saepissime editum. Ballerini S. J. illud Adnotationibus (sancto Alphonso tamen non raro offensis) locupletavit. Romae 1866. et al.

[24]) Theologia moralis. Vol. 2. Edit. 2. Mechlinae 1860.

[25]) Principia Theologiae moralis. Wirceburgi 1855.

[26]) Theologia moral. Vol. 4. Paris. 1867.

[27]) La Theologia Moral en noventa conferencias. Vich. 1868.

Sarra,[1]) Frassinetti,[2]) Grassi,[3]) de Varceno Ord. Cap.,[4]) Rohling,[5]) Konings O. S. R.,[6]) Ninzatti.[7]) Theoretica et practica scientiae moralis Pruner[8]) praeclare conjunxit optimis adhibitis fontibus. Lehmkuhl S. J. praecipue s. Thomam et s. Alphonsum secutus opus egregium ad usum practicum composuit.[9]) Missionariis suppetias opere morali obtulit Gallo S. J.[10]) De Theologia mystica Gerbert,[11]) Schramm,[12]) Waibel,[13]) Görres[14]) scripserunt.

[1]) Memoriale Theologiae mor., Ed. 2. Romae 1869.

[2]) Compendio della Theol. mor. di S. Alf., 3. Ed. Genova 1867.

[3]) Universa Theol. mor. juxta doctrinam s. Alphonsi 3 Tom. Aesii 1852.

[4]) Compend. Theol. moral. ex opere morali Scavini, Gury et Charmes concinnatum, Augustae Taurinor. 1873. Ed. 3.

[5]) Medulla Theol. moral., St. Ludovici 1875.

[6]) Theol. mor. novissimi Eccl. Doctoris s. Alphonsi, Neo-Eboraci (Einsidlae) 1876. Ed. 2.

[7]) Theol. moral. s. Alph., Ed. 2. Venetiis 1882.

[8]) Lehrbuch der kath. Moralth. Freiburg 1875—77.

[9]) Theol. mor. Vol. 2. Friburgi 1883. Ed. 2. 1885.

[10]) Suppetiae Evangelii praeconibus, qui Madurensem Missionem excolunt, oblatae Vol. 4. Romae 1872.

[11]) Principia theol. myst. 1758.

[12]) Institutiones Theol. myst., 2 Tom. Aug. Vind. 1774, nova ed. Parisiis 1868.

[13]) Die Mystik. Augsb. 1843.

[14]) Die christl. Mystik. 4 B. Regensb. 1836. Praecipuum hujus operis eruditissimi pretium in eo consistit, quod plurima facta mystica e fontibus fide dignis referuntur optime facientia ad doctrinas Theologorum confirmandas; explicationes enim factorum non semper omni exceptione sunt majores.

LIBER PRIMUS.

De bonitate morali generatim spectata.

---

§. 14.

Conspectus dicendorum.

1. — Omnia a Deo et ad Deum creata sunt; ipse omnium rerum principium et finis. Deus omnia pariter disponit et movet ad finem ordine sapientiae suae. „*Deus enim ordine agit omnia, quae sunt.*“ Ita s. Augustinus.[1]) Porro in congruentia rerum ad ordinem a Deo stabilitum, eoque ipso ad finem ultimum, bonitas earum principaliter consistit, ut inferius demonstrabitur. Itaque cum nobis propositum sit, de morali agere bonitate, ejusque determinare naturam, necessario praemitti debet consideratio finis, ad quem creati sumus, atque ordinis, qui ad hunc finem perducit, ut fundamentum solidum expositioni boni moralis substernatur.

Tum pertractanda veniunt principia, ex quibus bonitas moralis hominis exurgit. Haec principia seu causae sunt Deus et homo. Enimvero Deus benignissimus ad ordinem suum servandum, proindeque ad bonum faciendum et malum vitandum, nos instruit et dirigit per legem et conscientiam, simul atque juvat per gratiam. Imo et gratiam sanctificantem virtutesque nobis infundit. Homo vero ipse Deo suo operanti cooperari debet, utpote liberum arbitrium et suorum operum potestatem habens, ut d. Thomas loquitur.[2])

---

[1]) De ordine Lib. I. cap. 7. n. 17. S. Thomas dicit: „Ea quae ex divina sapientia procedunt, oportet esse ordinata, ut Apostolus dicit ad Rom.“ 1. 2. q. 102. a. 1. c.

[2]) Summa Theolog. 1. 2. q. 1. Prologus. De Deo boni principio alibi dicit: „*Principium exterius movens ad bonum est Deus, qui et nos instruit per legem et juvat per gratiam.*“ 1. 2. q. 90 Proëm.

Hinc doctrina de gratia, quae ad dogmaticam pertinet, praetermissa, de lege, conscientia et libero hominis arbitrio disserendum erit.

Porro cum bonum morale dupliciter tum per modum actus, tum per modum habitus prodeat, de his quoque ejus subsistendi modis, et quidem sicut materiae gravitas et systematis ratio exposcit, hic in genere agendum erit.

Denique quum bono morali malum morale opponatur, iisdemque modis ac bonum se exserat, tamquam actus nimirum et tamquam habitus: ideo etiam de conditione mali atque duobus ejus apparendi modis ad generalem de vita morali doctrinam complendam in congrua cum theoria de bono morali connexione tractemus oportet.

2. — Hinc ut seriem dicendorum paucis designemus: 1. sermonem instituemus de fundamento bonitatis moralis, nempe de supremo hominis fine et ordine morali; 2. loquemur de natura boni, deque conditione mali moralis nec non de utriusque distinctione; 3. tractabimus de principiis, ex quibus bonitas hominis moralis exsurgit, videlicet (gratia praetermissa) de lege, conscientia et libero hominis arbitrio; 4. denique de generalibus subsistendi modis boni et mali moralis seu de actibus et habitibus bonis et malis.

TRACTATUS I.

De fundamento bonitatis moralis.

Ingressio.

Primum, quod cuivis aedificio praemittitur, est fundamentum. Cumque finis, ad quem nos Deus destinavit, et ordo, quo ad eum nos perducit, constituant basim, in qua ratio et vis boni moralis, totaque moles virtutum et vitae spiritualis nititur: hinc est, quod de utroque prima fronte tractabimus; proxime de supremo hominis fine, et deinceps de ordine morali.

CAPUT I.

De supremo hominis fine.

Disseremus 1. de fine hominis in genere, et 2. de fine hominis naturali et supernaturali in specie.

§. 15.

De supremo hominis fine in genere.

1. — Secundum d. Thomam aliosque Theologos probatissimos duplicem hac in re distinguimus finem, videlicet finem operantis et finem operis.[1])

Finis operantis, qui et motivum appellatur, ratio est, quae Deum movit, ut hominem crearet. *Finis operis* est scopus seu terminus, quem homo vi divinae dispositionis attingere debet.

---

[1]) Quam distinctionem adoptavit Concilium Prov. Coloniense 1860. Tit. III. cap. 13. de mundi creati fine.

PROPOSITIO I.

Finis operantis seu motivum Dei in hominis creatione est amor infinitus suae bonitatis.

2. — Constat haec veritas inter ss. Patres,[1]) pariterque a Scholae magistris unanimo suffragio docetur.[2]) Sic autem ex ratione probatur: Cum Deus sanctissimus sit, principaliter velle et diligere nequit, nisi quod perfectissimum est. Atqui Deus ipse ens perfectissimum est. Ergo Deus principaliter velle et diligere nequit, nisi semetipsum, seu infinitam suam perfectionem. Unde sequitur, quod omnia alia, quae vult et amat, tantum ex hoc, quod summam perfectionem seu bonitatem suam vult et amat, velle et diligere potest. Atque ideo, cum hominem et mundum creavit, tantum ex summo suae bonitatis amore eum creavit, seu quia bonus ac perfectissimus est, ut videlicet in illo bonitas ipsius secundum aliquam similitudinem manifestaretur.[3])

---

[1]) S. Ambrosius tradit: *„Mundum propter bonitatem suam condidit.“* Libr. de Noë et arca cap. 13. n. 44. S. Augustinus ait: *„Quia Deus bonus est: nos sumus.“* De doctr. Christiana Lib. I. n. 32. Quod dictum refertur ad causam finalem, ut explicat s. Thomas: 1. q. 5. a. 4. ad 3., itemque s. Bonaventura dicens: „quia bonus est Deus, vult se diffundere, et quia vult se diffundere, vult creaturam producere; et quia vult creaturam producere, vult creaturam esse: et ita, quia bonus est, sumus.“ In Lib. II. Sent. Dist. I. Par. 2. Dub. 1. — Idem s. August. docet: De Civitate Dei Lib. X. cap. 21. De Genesi ad liter. Lib. I. n. 13. et 14. S. Bernardus scribit: *„Omnia fecit propter semetipsum* (Prov. 16. 4.) *gratuita videlicet bonitate.“* Serm. 3. Pentec. n. 4.

[2]) Petrus Lombardus haec habet: *„Conditio ergo rationalis creaturae primam causam habuit Dei bonitatem. Ideoque, si quaeratur, quare creatus sit homo vel Angelus, brevi sermone responderi potest, propter bonitatem ejus.“* Lib. II. Sent. Dist. I. Par. 2. Et sic omnes Sententiarii h. l. S. Thomas docet: *„Deus vult suum esse et suam bonitatem ut principale objectum, quod est sibi ratio volendi alia: in omni igitur volito suum esse et suam bonitatem vult.“* Contr. Gent. Lib. I. cap. 80. *„Vult Deus rerum multitudinem ex hoc, quod suam essentiam et perfectionem vult et amat.“* Op. c. Lib. I. cap. 75. n. 2. *„Deus volendo bonitatem suam, vult etiam alia a se, prout bonitatem ejus participant.“* Op. c. Lib. I. cap. 83. n. 3. Vide etiam Lib. II. cap. 35. ad 7.; cap. 38. ad 6. De potentia Dei q. 3 a. 15. ad 14. et al. — Franciscus de Sylvestris observat: „Divina bonitas amata est ratio et causa finalis, propter quam vult creaturas producere etc.“ Comm. in Summ. contra Gentes Lib. II. c. 38. Sic et ceteri.

[3]) Nequaquam autem Deus *ex necessitate* mundum creavit, nam „cum divina bonitas sine aliis esse possit, quinimo nec per alia ei aliquid accrescat: nulla inest ei necessitas, ut alia velit ex hoc, quod vult suam bonitatem.“ Ita Doctor Angelicus: Contr. Gent. Lib. I. cap. 81. n. 1. Conc. Vatic. Sess. 3. can. 5. de Deo definivit: *„Si quis Deum dixerit*

PROPOSITIO II.

Finis operis seu finis, ad quem Deus hominem creavit, duplex est: primarius externa Dei gloria, secundarius hominis beatitudo.

3. – Probabimus 1. finem hominis esse externam Dei gloriam, 2. finem hominis esse ipsius beatitudinem, et 3. primarium finem esse Dei gloriam, secundarium hominis beatitudinem.

1. *Finis hominis est externa Dei gloria,* sub qua intelligitur manifestatio seu repraesentatio bonitatis (perfectionis) divinae. Assertio haec pertinet ad doctrinam catholicam definitam a Conc. Vatic. Sess. 3. can. 5. de Deo: „*Si quis mundum ad Dei gloriam conditum esse negaverit, anathema sit.*“ Et cap. 1. declaratur, Deum *ad manifestandam perfectionem suam per bona, quae creaturis impertitur,* de nihilo condidisse creaturam. Et haec veritas a ss. Patribus et Theologis unanimi concensu traditur, et expresse in s. scriptura (Prov. 16, 4. Isai. 43, 7.) continetur. Confirmatur etiam ratione theologica. Etenim si Deus, ut in antecedentibus est demonstratum, ex amore suae bonitatis infinitae hominem ceteraque omnia entia creavit, ut videlicet in eis perfectionem suam aliquapiam similitudine repraesentaret; profecto scopus, ad quem homo a Deo destinatus est, alius esse nequit, quam manifestatio divinae perfectionis, — ergo externa Dei gloria. Et revera, dum res a Deo creatas spectamus, easdem jam secundum suam entitatem seu naturam manifestare divinam perfectionem invenimus, si quidem entia alia solum esse, alia esse et vivere, alia esse, vivere et sentire, alia insuper intelligere habeant, quocirca divinam perfectionem diversis modis participant,[1]) eoque ipso divinam perfectionem diversis modis manifestant. Multo tamen perfectius homo, utpote creatura rationalis, divinam bonitatem repraesentat, quam creaturae ratione carentes; ipse namque est *imago* divinitatis (Gen. 1, 26. 27.), dum reliqua

non voluntate ab omni necessitate libera, sed tam necessario creasse, quam necessario amat seipsum, anathema sit.“ Voluit tamen Deus entia creare, „in quantum *condecet* divinam bonitatem, etiam alia ipsam participare;“ ut praelaudatus s. Ecclesiae Doctor observat: Sum. Theol. 1. q. 19. a. 2. c., qui et subjungit, quod „cum perfectam Dei similitudinem non possunt consequi res creatae secundum unam solum speciem creaturae, — — oportuit esse *multiplicitatem et varietatem in rebus creatis* ad hoc, ut inveniretur in eis Dei similitudo perfecta secundum modum suum.“ Contra Gent. Lib. II. cap. 45. n. I. — Summa Theolog. 1. q. 47. a. 1.

[1]) S. August.: Quaest. 83. q. 51. n. 2. S. Thomas: 1. q. 4. a. 3.; q. 93. a. 2. et alias saepissime.

entia instar *vestigiorum* divinitatis (Job 11, 7.) se habent.[1]) Insuper autem homo et libera operatione Deum glorificare debet, nimirum omnimoda erga ipsum submissione, imprimis perfectionum divinarum agnitione et amore, ut mox explicabitur.

2. *Finis hominis est ipsius beatitudo,* nempe plena et consummata perfectio.[2]) Quae veritas probatur a) ex conditione naturae humanae. Quodlibet ens naturaliter appetit suam perfectionem, quod sane compertum est de creaturis irrationabilibus, quas quidem ex vi quadam interna se evolvere, crescere, corruptioni resistere novimus; porro hominem quoque perfectum suum bonum necessario velle, cuilibet ex sensu intimo innotescit.[3]) Quidquid autem enti alicui naturale est, a Deo ipso repeti debet. Si vero, ut sequitur, Deus ipse homini desiderium beatitudinis indidit, absque dubio etiam vult, ut illud impleatur. Ergo Deus vult, ut homo beatitudinem assequatur; itaque hominis finis in ipsius beatitudine consistit. — Probatur b) ex natura bonitatis divinae. Etenim bonitati divinae proprium est, non suum, sed aliorum commodum quaerere. Et quid commodi Deus quaerere sibi posset, cum commodum pertineat ad bona interna, Deus autem sibi sufficientissimus sit?[4]) Itaque Deus creando hominem intendit hominis commodum, inprimis plenam ejusdem perfectionem seu beatitudinem, quae quippe est summum

[1]) Ita sapienter distinguunt s. Augustinus: De Trinitate Lib. IV. cap. 10., s. Gregorius M.: Lib. XXVI. Moral. in Job. cap. 12. n. 17., qui explicans, quo sensu creaturae sint Dei vestigia scribit: „*Dei ergo vestigia creaturam dicimus, quia per haec, quae ab ipso sunt, sequendo imus ad ipsum;*“ praeterea s. Thomas: Summa contra Gent. Lib. IV. cap. 26. n. 3. S. Bonaventura: In II. Lib. Sent. Dist. XVI. a. 1. q. 1., ubi dicit: „*Illa creatura, quae assimilatur magis de longinquo, habet rationem vestigii: illa vero, quae de proximo, habet rationem imaginis; talis autem est creatura rationalis, utpote homo;*“ item Lessius: De perfectionibus moribusque divinis Lib. XIV, cap. 5. n. 74. et alii.

[2]) Jam s. Ambrosius ait: „Est *beata* vita in hominibus, sed in iis scilicet, in quibus fuerit *perfecta* vita.“ De Jacob et vita beata Lib. I. cap. 7. n. 29.; cap. 8. n. 34. Idem habet s. Thomas: 1. 2. q. 1. a. 5. et 7. et al., quem Suarez: In primam secundae d. Thomae Disp. IV. Sect. 1. n. 3. et alii communissime sequuntur.

[3]) S. Thom., Summa contra Gent. Lib. III. cap. 25. et seq.; Summa Theol. 1. 2. q. 5. a. 8. Suarez: L. c. Disp. XVI. Sect. I.

[4]) S. Thomas observat: „*Deus, qui est primum agens omnium rerum, non sic agit, quasi sua actione aliquid acquirat, sed quasi sua actione aliquid largiatur: quia non est in potentia, ut aliquid acquirere possit, sed solum in actu perfecto, ex quo potest aliquid elargiri. Res igitur non ordinantur in Deum sicut in finem, cui aliquid acquiratur, sed ut ab ipso ipsummet suo modo consequantur: cum ipsemet sit finis.*“ Contra Gent. Lib. III. c. 18. Vid. etiam Lib. I. c. 93. Lib. II. c. 25.

et absolutum hominis bonum, ad quod alia cuncta ordinantur. Ergo finis, ad quem Deus hominem creavit, in ejusdem beatitudine reponi debet.

3. *Primarius hominis finis est externa Dei gloria, secundarius hominis beatitudo.* Deus enim, quaecunque vult, solum ex amore suae bonitatis infinitae velle potest, ut videlicet haec ipsius bonitas manifestetur, quod supra probatum est. Itaque Deus, qui hominis beatitudinem vult, eam dumtaxat ex amore suae perfectionis velle potest, ut nimirum in illa magis adhuc, quam in sola ejus entitate seu natura resplendeat perfectio ipsius infinita.[1]) Unde sequitur, quod Deus hominis beatitudinem vult ad majorem suam gloriam externam, et quod proinde hominis finis primarius in externa Dei gloria, secundarius in ipsius beatitudine consistit.

Igitur omnino falsum est, quod *Hermes*[2]) aliique passim comminiscuntur, scilicet Deum principaliter hominis beatitudinem, propriamque gloriam tantummodo propter hominis beatitudinem intendere. Nec valet ratio opposita, quam proferunt, quod Deus, si ad suam gloriam omnia ultimo referret, proprii commodi cupidus et ambitiosus foret dicendus. Respondendum enim illis est: a) gloria Dei externa, in qua finem primarium hominis totiusque mundi reponimus, non est aliquod commodum seu bonum internum pro Deo; tale etiam bonum Deo advenire nequit, cum ipsemet sit summum bonum et alterius non indigeat[3]) et b) ambitiosus ille dicitur, qui intendit gloriam sibi non debitam, vel debitam modo indebito: Deus vero intendit gloriam sibi maxime debitam, ut per se patet, et modo maxime debito, cum gloriam suam quaerat ex amore infinitae suae perfectionis, qui sane justissimus, sanctissimus, necessarius est.[4]) Itaque id solum vult, quod rectus ordo exigit, ut Conc. Colon. a. 1860. P. I. c. 14. dicit.

* S. Bonaventura: Disp. in Libr. II. Sent. Dist. I. par. II. art. 2. q. 1. S. Thomas: In Libr. II. Sent Dist. I. q. 2. a. Summa Theologica I. q. 44. a. 4.

---

[1]) Jam s. Augustinus scribit: „Ille usus, qui dicitur Dei, quo nobis utitur, non ad ejus, sed ad *nostram utilitatem* refertur, *ad ejus* autem *tantummodo bonitatem.*“ De doctr. Christ. Lib. I. cap. 32. n. 35.

[2]) Philosophische Einleitung §. 71. Münster 1819. S. 470. u. f. Magistrum discipuli sequuntur in ephemer. Zeitschrift für Philosophie und kath. Theologie von Achterfeld u. Braun herausg. Bonn. 1848. S. 200. 201, ubi etiam mirum legitur commentum, nullum fuisse Ecclesiae Patrem, nullumque ante reformationem extitisse Theologum, qui docuisset, Deum ad suam gloriam condidisse mundum.

[3]) Videatur Lessius: De perfect. moribusque divinis Lib. XIV. c. 1. n. 9. et 10.

[4]) Dicit Doctor Angelicus: „*Debitum enim est Deo, ut impleatur in rebus id, quod ejus sapientia et voluntas habet, et quod suam bonitatem manifestat; et secundum haec justitia Dei respicit decentiam ipsius, secundum quam reddit sibi, quod sibi debetur.*“ 1. q. 21. a. 1. ad 3. — 1. 2. q. 114. a. 1. ad 2.

Contra Hermesium hoc de argumento egregie scripsit Jos. Kleutgen S. J. Die Theologie der Vorzeit. 1. B. V. Abhandlung, 3. Hauptst. S. 640 u. f. Münster. 1867. 2. Aufl.

beatitudo objectiva est „hominis optimum“.
„ subjectiva seu formalis est „fruitio illius boni“.

PROPOSITIO III.

Beatitudo hominis objectiva est Deus, beatitudo ejus formalis in Dei cognitione et dilectione, nec non in gaudio ex utraque redundante consistit.

4. — Sub beatitudine *objectiva* a Theologis intelligitur res, cujus possessione beati efficimur, sub beatitudine *formali* adeptio et possessio illius rei.[1])

Quibus praemissis dicimus 1. *Objectiva beatitudo hominis non est, nisi Deus.* a) Non est aliquod *animae bonum,* sive scientia sive virtus, quia tamquam bonum finitum ordinatur ad bonum infinitum et fontem omnium bonorum, nempe Deum, ideoque cum non sit summum bonum, quod appetit homo, per se non potest quietare hominem; consequimur autem beatitudinem seu Deum, qui solus nos beatos facit, per virtutem. b) Neque bona corporis et bona exteriora (divitiae, honores, potestas) desiderium animae vere satiare valent, quia sunt anima inferiora; ac praeterea plenae hominis potestati nequaquam subduntur, quandoquidem non omnes, qui ea possidere cupiunt, illis potiantur, et possidentes iisdem inviti non raro, et sine culpa, ocyus vel certe mortis tempore exuantur. Deus solus est, qui sua infinita bonitate hominem vere beatum reddere, et quem unusquisque, modo velit, assequi et possidere valet; unde s. Augustinus pio suspirans desiderio exclamat: „*Fecisti nos* (Domine) *ad Te; et inquietum est cor nostrum, donec requiescat in Te.*“[2]) Et Thomas Kempensis: „*Ubi mihi bene fuit sine Te, aut quando male esse potuit praesente Te? Ubi Tu, ibi coelum: atque ibi mors et infernus, ubi Tu non es.*“[3]) Eadem veritas in integro libro sacro Ecclesiastes pulcherrime explanatur. — Hinc est, quod Sancti, licet acerbissimis miseriis pressi, nihilominus gaudiis spiritualibus exultarunt. Parvi pendebant res mundi, quae hominem felicem reddere nequeunt; Deum, „fontem nostrae beatitudinis,“[4]) in cordibus suis possidebant.[5])

---

[1]) Imo jam s. Augustinus ait: „*Neque quisquam beatus est, qui non fruitur eo, quod est hominis optimum.*“ De moribus Ecclesiae catholicae et de moribus Manichaeor. Lib. I. cap. 3. n. 4. Quibus verbis ad beatitudinem requirit conditionem objectivam, nempe „hominis optimum“, et conditionem subjectivam seu formalem „illius boni fruitionem.“ Videantur s. Thomas: 1. 2. q. 3. a. 1. Gregorius de Valentia: Com. in 1. 2. Disp. 1. q. 2. Suarez: De beatitudine Disp. IV. Sect. 1. n. 5. Lessius: De summo bono Lib. I. cap. 1. Idem habent Collet, Habert etc.

[2]) Confess. Lib. I. cap. 1. n. 1.

[3]) De imit. Christi Lib. III. c. 59.

[4]) S. Augustinus: De civitate Dei Lib. X. cap. 3. n. 2.

[5]) Legatur s. Ambrosius: De Jacob et vita beata, ubi Libr. I. cap. 7. et 8. egregie edisserit, „beatitudini nec

Non contristabit justum, quidquid ei acciderit, impii autem replebuntur malo. Prov. 12, 21.

* S. Thomas: Summa Theologica 1. 2. q. 2. tota. — Suarez: In primam secundae d. Thomae Disp. V. de objecto beatitudinis Sect. 1. Gregorius de Valentia S. J.: Comment. Theolog. Tom. II. In primam secundae s. Thomae Disp. I. q. 2. F. Antonius Goudin O. P. Philosophia juxta inconcussa tutissimaque divi Thomae dogmata, Vol. IV. P. III. q. 1. art. 2. (pag. 24—48. Edit. noviss. Urbeveteri 1860). Collet (Continuator Praelectionum Theol. Honorati (Tournely): De universa Theol. mor. Tom. II. pag. 597. et sq. (Edit. 7. Parisiis 1758).

5. — Dicimus 2. *Formalis beatitudo hominis in Dei cognitione et dilectione, necnon in gaudio ex utraque redundante consistit.* Ut videlicet in Deo, qui solus nos beatos efficere valet, beatitudinem reapse consequamur, necesse est, ut cum Deo uniamur; nisi enim objecto beatitudinis conjungamur, beati fieri nequimus.

Quaeritur autem, qualis haec esse debeat ad Deum hominis conjunctio? Certe impossibile est, hominem cum Deo uniri per transmutationem naturae humanae in divinam, prouti Gnostici et Manichaei delirarunt, a ss. Patribus merito profligati,[1]) deinceps Almaricus fabulatus est, a Concilio Lateranensi IV. condemnatus, rursus somniatus est Michaël Molinos ab Innocentio XI. reprobatus. Superfluum putamus, argumentis ostendere, hominis cum Deo unionem nonnisi per subjectionem fieri posse. Et subjectio haec sane per aliquam operationem exhibenda est.

Jamvero qualis esse debet operatio, per quam unio hominis cum Deo efficiatur? Talis profecto, ut per eam homo, quam intime fieri potest, Deum attingat. Ejusmodi autem operatio tantum est operatio intellectus et voluntatis, in quantum scilicet Deum cognoscimus et diligimus;[2]) quando quidem per hos actus Deum immediate attingimus, sicque Deo unimur, ut ipse in nobis sit et nos in ipso simus.[1])

Ex cognitione et dilectione Dei sequitur *gaudium.* Et quidem *ex Dei cognitione,* quia per eam intellectus penitus satiatur et quietatur, dum summum, quod cognoscibile est, cognoscit.[2]) *Ex Dei dilectione,* quia per eam plene satiatur et quietatur voluntas, cum summum, quod diligibile est, amplectitur.[3]) Quam quidem veritatem considerans s. Franciscus Salesius perpulchre ait: „Nostra anima considerans, se nihil invenire, quo perfecte quieta reddatur, et suam capacitatem nullis mundi rebus posse repleri; ejus siquidem intellectus immensa trahitur propensione ad plura semper scienda; voluntas autem praedita insatiabili appetitu ad amandum et inveniendum bonum, non potest non exclamare: Non pro hoc mundo sum creata. Est igitur bonum aliquod supremum, a quo dependeo; et aliquis infinitus opifex, qui impressit mihi interminabile hoc sciendi desiderium, hunc, qui nequit satiari, amandi bonum indidit appetitum. Quare ad ipsum totis

quidquam adimi adversitatibus", idque Lib. II. exemplis clarorum virorum A. T. egregie confirmat.

[1]) S. Ambrosius ait: „Non aequalitatis hominis ad Deum, sed similitudinis aemulatio est." Comm. in Luc. Lib. X. c. 22. S. Augustinus: „Sacrilegâ enim audaciâ coaequantur nihil et Deus, si quale est illud, quod de Deo natum est, tale velimus esse illud, quod ab eo de nihilo factum est." De natura boni cap. 10.

[2]) S. Ambrosius: „— perfectio non tam est in conditione hominis, quam in operatione. Ea enim beatum facit." De Jacob et vita beata cap. 7. n. 29. — S. Thomas: „Conjunctio animae ad Deum per fruitionem consistit in operatione intellectus et voluntatis." In Lib. III. Sent. Dist. II. q. 1. ad 3. quaestiunc. 1. ad 3. „Unio nostra ad Deum est per operationem, in quantum scilicet eum cognoscimus et amamus." 3. q. 6. a. 6. ad 1.

[1]) Egregie s. Augustinus dicit: „*Hunc* (scil. Deum, „*fontem nostrae beatitudinis*") *eligentes, vel potius religentes — amiseramus nempe negligentes, — hunc ergo religentes, unde et religio dicta perhibetur, ad eum dilectione tendimus, ut perveniendo quiescamus; ideo beati, quia illo fine perfecti.*" De Civitate Dei Lib. X. cap. 3. n. 2. „*Quid est aliud beate vivere, nisi aeternum aliquid cognoscendo mente habere?* Lib. 83. quaest., q. 35. „*Beata vita est, cum id, quod est homini optimum, et amatur et habetur.*" Lib. de mor. Eccl. cap. 3. „*Cum Deo est, quidquid intelligit Deum.*" De ordine Lib. II. cap. 2. n. 4. — S. Thomas: Contra Gent. Lib. III. cap. 116. n. 1. et al.

[2]) Praeclare s. Gregorius Naz. observat: „*Deus omnium intelligibilium summus est vertex, in quo desiderium omne consistit ac defigitur, nec supra eum usque fertur; nec enim quidpiam sublimius habet aut habebit unquam mens ulla, quamvis philosophica et altissima tendens ac summe curiosa; hoc enim rerum omnium expendendarum extremum est, quo cum pervenerimus, conquiescit omnis speculatio.*" Orat. 2. de laudibus s. Athanasii. Videatur etiam s. Augustinus: Lib. de vita beata n. 35. s. Thomas: Contra Gent. Lib. III. cap. 25. Summa Theol. 1. 2. q. 4. a. 1.

[3]) S. Thomas: 1. 2. q. 4. a. ad 3.: q. 2. n. 8. Gregorius de Valentia: „Homo, quoniam ejus intellectus et voluntas nullis rerum limitibus continetur; *quidquid vel ratione comprehendat, vel voluntate amet, quamdiu Deum infinitum* perfectis operationibus harum potentiarum *non assequitur,* in quo totum ens possibile, atque adeo totum objectum voluntatis et rationis humanae, optimo modo continetur: *tam diu necesse est sit inquietus,* utpote nondum habens, quod est optimum. Optimum si quidem illi est, praestantissimis potentiis totum earum objectum perfecte contingere, modo, quo id possibile est, videlicet in unico Deo comprehensum." Liber unus de divinae gratiae naturae etc. Pars I. Cap. 1. (De rebus fidei hoc tempore controversis p. 827. Lugduni 1591.) Lessius: De perfectionibus moribusque divinis Lib. XIV. cap. 5. n. 79. et alii.

viribus tendere et extendere me debeo, ut ejus bonitati me uniam, jungamque ei, cujus ego sum, et ad quem omni jure pertineo. Talis est, quam ad Deum habemus, relatio." [1])

6. — Hominis beatitudo formalis igitur in Dei cognitione et dilectione, et consequenter in gaudio quoque ex utraque profluente consistit. — An non vero aliis etiam actibus, praeter Dei cognitionem et dilectionem, hominis beatitudo formalis continetur? In aliis actibus bonis *per se* seu stricte haec beatitudo non consistit, quia per illos actus Deus in se seu immediate non attingitur; *ex parte* vero in illis beatitudo utique reponenda est, quatenus nimirum subjectio et unio hominis ad Deum per eos completur.

7. — Ex praedictis liquet, beatitudinem hominis *objective* consideratam esse bonum increatum, *formaliter* spectatam esse aliquid creatum. [2])

8. — Postremo innuendum, quod *externa Dei gloria* cum *hominis beatitudine* intime cohaeret, si quidem in hac Dei bonitas manifestatur et repraesentatur. [3]) Et ideo quidem, quod Deus in hominis beatitudine glorificatur, ad beatitudinem Deus hominem destinavit. Gloria Dei externa est supremus hominis totiusque mundi finis. *Universa propter semetipsum operatus est Dominus.* Prov. 16. 4.

* S. Ambrosius: Lib. II. de Jacob et vita beata. (Op. Tom. I.) S. Augustinus: Lib. de beata vita. (Op. Tom. I.) S. Thomas: Comment. in IV. Libr. Sent. Dist. XLIX. quaest. 1. art. 2. — J. Kleutgen: Die Theologie der Vorzeit. I. B. 5. Abhandl. 3. Hauptst. S. 640—684. Münster. 2. Aufl. 1867. H. E. Plassmann: Die Moral gemäss der Schule des hl. Thomas. (4. Band der gesammten Philosophie), S. 171—394. Soest. 1861.

Adversariorum commenta.

9. — Graecorum et Romanorum philosophi de fine hominis in diversissimas abierunt sententias, [4]) quibus tamen missis illas tantum considerabimus breviter, quae hodiedum a pseudophilosophis eorumque sequacibus circumferuntur.

---

[1]) Theotimus, L. I. c. 15.

[2]) S. Thomas: 1. 2. q. 3. a. 1. et alii Scholastici omnes.

[3]) Gloria Dei externa, quae in natura seu entitate creaturarum resplendet, a Theologis dici consuevit *gloria Dei objectiva* atque ea, quae provenit ex operationibus hominum, quatenus Deum cognoscunt, diligunt etc., *gloria Dei formalis.*

[4]) De his legi possunt praeter Ciceronem: de finibus, s. Augustinus: De Civitate Dei, Lib. X. cap. 1. et 56., s. Ambrosius: De officiis Lib. II. cap. 2., Lactantius: Divin. Institut. Lib. III. cap. 7. et sq. Boëtius: De consolatione Lib. II. et III. Marcus Varro apud s. Augustinum: De Civ. Dei Lib. XIX. cap. 1. n. 2. ostendit, sectas philosophorum de summo bono ita posse permisceri, ut exinde biscentum octoginta octo sententiae seu placita emergant, non quae aliquando fuerint, sed quae esse potuerint.

1. *Materialistae et Socialistae* (vitae hujus oblectamentis frui ut summum et unicum bonum mortalium habent) Cf. §. 8. n. 5. et 8. — 2. *Rationalistae et Pantheistae* continuum humanitatis progressum, perfectionem et cultuam indefinitam tanquam supremum finem et bonum generis humani praedicant. [1]) Vid. §. 8. n. 2. et 4. — 3. *Liberalismo* moderno qui addicti sunt, hominem nonnisi ad id existere volunt, ut legibus civilibus, quas supremam conscientiae normam constituere fabulantur, sine exceptione obsequendo reipublicae commoda promovere studeat. Cf. §. 8. n. 8.

Ad quae dicimus 1. Cum homo habeat animam rationalem et immortalem, ideo summum ejus bonum non sensuale, sed *rationale*, non instabile sed *in aeternum duraturum* esse debet. Et hoc quidem bonum non est nisi perfectio intellectus et voluntatis per rectam solidamque Dei cognitionem et dilectionem, qua quippe homo Deo intime conjungitur, maximeque Deo assimilatur et vere satiatur; dum e contrario tanto miserior redditur, tantoque magis ad conditionem brutorum deprimitur, iisque similis redditur, quanto magis voluptati sensitivae indulget, juxta verba s. scripturae: *„Homo, cum in honore esset, non intellexit; comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis."* Psalm. 48, 13. Porro Dei cognitio et dilectio permanet etiam, licet alio modo in patria, quam in via: ac proinde hoc sub intuitu quoque verum hominis bonum constituit. — Ceterum id, quod summum

---

[1]) Sic — ut unum saltem exemplum proferamus — Fichte in opero suo: „Die Bestimmung des Menschen" scribit: „Meine Vernunft sucht überall Vollkommenheit und Harmonie, und wo sie dieselbe nicht findet, da strebt sie aus allen Kräften sie herbeizuführen. Nun erblicke ich überall auf der Erde nur Unvollkommenheit, Unordnung, Unglück. — Wird es immer so bleiben? Wird dieser Zustand der Unvollkommenheit und des Elendes nicht enden? Werden die Ideen von allgemeiner Glückseligkeit und Civilisation nie etwas Anderes sein, als die Träume des Dichters und Philosophen? Nein! Nein! das ist unmöglich. Die heiligsten Ideen unserer Vernunft müssen einmal eine Wahrheit werden; das grosse Werk der Civilisation muss endlich an ein glorreiches Ziel gelangen. Der menschliche Geist wird über die Materie triumphiren; die Vernunft wird ihre ewigen Gesetze den widerspenstigen Elementen aufdrücken. — Die undurchdringlichen Wälder und die unwegsamen Sümpfe werden allmählich auf der ganzen Oberfläche der Erde verschwinden; an ihrer Stelle werden fruchtbare Gefilde, lachende Wiesen und blühende Gärten entstehen, und mit ihrem Reichthume einer zahlreichen betriebsamen Bevölkerung alle Bedürfnisse des Lebens und alle Mittel eines frohen Genusses in reicher Fülle darbieten. — — Allein der schrecklichste Feind des Menschen ist der Mensch. Noch durchirren gesetzlose Horden von Wilden ungeheuere Wüsteneien u. s. w. Allein so wird es nicht immer bleiben. Die wilden Horden werden cultivirt werden; der Kreis der Civilisation wird sich immer mehr ausdehnen, wird nach und nach alle Nationen auf der Erde umschliessen und zu einem einzigen grossen Ganzen verbinden. *Endzweck der Menschheit ist es, — die Fortschritte der Cultur zu erleichtern, überallhin Aufklärung zu verbreiten.* Dazu ist die Reform der Staaten nothwendig. Die Folgen einer solchen Reform werden unermesslich sein. Die ewigen Kriege müssen aufhören; ein grosser Bund aller Staaten würde alle Streitigkeiten schlichten. — Die Versuchung des Bösen würde aufhören. — Alle verbinden sich zu dem gemeinsamen Zwecke. — — O! dieser Zweck ist erreichbar im Leben und durch's Leben; — er ist erreichbar, denn *ich bin* (!)

omnium bonum et finis edicitur, profecto ita debet esse comparatum, ut ab omnibus possit obtineri. At vero voluptas et oblectatio terrestris omnibus possibilis non est, nec possibilis redditur per illa media, quae Socialistae excogitaverunt, ut serius videbitur; dum Deum cognoscere et diligere in omnium plane potestate situm est, nempe ope mediorum, quae Deus liberalissime cunctis suppeditat.

Dicimus 2. *Verus humanitatis progressus in continua perfectione optimarum facultatum respectu optimi objecti consistit.*[1]) Atqui optimae facultates hominis sunt intellectus et voluntas, optimum objectum Deus est. Hinc plane infertur, verum hominis progressum in eo consistere, quod in sincera Dei cognitione et dilectione, morumque probitate et candore assidue progrediatur. Quam veritatem cum philosophi isti admittere recusent, belloque reipublicae christianae indicto fidem pietatemque erga Deum ubivis destruere moliantur, regressus potius, quam progressus sartores appellandi sunt. — Ceterum tantus progressus, quantum neoterici, inprimis Pantheistae, praetendunt, infinitus nempe, in humanitate dari nequit, quia nulli creaturae competere potest vis seu activitas infinita. — Porro illa temeraria continui progressus assertio in absurda non minus, quam impia suppositione nititur, hominem esse emanationem divini numinis, quod sine intermissione ad perfectam suimetipsius conscientiam in humanitate eluctatur.[2]) — Imo vero *superbia humana,* — ut sapientur dixit sanctissimus Pater Pius IX. in Allocutione die 26. Junii 1867. habita, — *superbia humana, veterem usum instauratura, jamdiu per commentitum progressum civitatem et turrim extruere nititur, cujus culmen pertingat ad coelum, unde demum Deus ipse detrahi possit. At is descendisse videtur inspecturus opus, et aedificantium linguas ita confutaturus, ut non audiat unusquisque vocem proximi sui: id enim animo objiciunt Ecclesiae vexationes, miseranda civilis consortii conditio, perturbatio rerum omnium, in qua versamur.*

Dicimus 3. liberalismi postulatum a) injuriosum Deo est, quatenus respublica absolutus sui ipsius finis statuitur, qualis Deus solus est;[3]) — b) injuriosum personali hominis dignitati, cui profecto vehementer repugnat, ut homo conscientiae propriae norma penitus neglecta instrumenti instar solis obsequatur legibus civilibus, atque sublimioribus naturae suae ad Deum creatae indigentiis, officiis, juribusque posthabitis ad temporale communitatis bonum promovendum se totum applicet.[4]) „*Nolite fieri servi hominum,*“ Apostolus (1. Cor. 7, 23.) monet. Respublica propter homines, non homines propter rempublicam existunt.

---

[1]) Cf. s. Thom. 1. 2. q. 3. a. 5.

[2]) De theoria progressus continui et indefiniti lectu digna invenies in ephemer. Der Katholik 1865. (Neue Folge. 7. Jahrgang) S. 157—286. S. 673—690.

[3]) Liberalismus hac in re gentilismo est affinis. „Das *Heidenthum* kommt über den Staat nicht hinaus, wie es denn überhaupt über das Diesseits nicht hinauskommt. Der *Staat* ist ihm *Selbstzweck, Zweck alles Lebens;* das Wohl des Staates ist das höchste Gesetz, justitia civilis das höchste sittliche Ziel, Patriotismus die höchste Tugend und der Einzelne hat nur insoweit sittlichen Werth und Bedeutung, als er eingehend in den Staatszweck dem Staate dient.“ *Hist.-pol. Blätter* B. 88. S. 902.

[4]) Vid. Walter: Naturrecht und Politik. 2. Aufl. n. 73—75. Bonn. 1871. Stöckl: der Materialismus in seinen Lehrsätzen und deren Consequenzen S. 94—95. Mainz 1877.

§. 16.

De beatitudine hominis naturali et supernaturali.

1. — Generaliter hactenus exposuimus doctrinam de supremo fine hominis respectu habito ad diversos errores, qui erant refellendi, errores non minus Deo injuriosos, quam homini perniciosos. Modo distinctius eadem veritas consideranda, veritas, inquam, fundamentalis, in qua totum aedificium vitae spiritualis et scientiae moralis nititur.

Quam ob rem duplicem expendemus beatitudinem, videlicet naturalem et supernaturalem. Licet enim ad supernaturalem beatitudinem a Deo omnes homines destinati sint, expediet tamen naturalem etiam beatitudinem paulisper considerare, tum ut sublimitas beatitudinis supernaturalis clarius cognoscatur, tum ut vindicetur doctrinae veritas, quod Deus salva justitia et bonitate sua nos ad naturalem tantum beatitudinem creare ~~potuit~~. Duplicis hujus beatitudinis distinctio jam reperitur in scriptis ss. Patrum,[1]) continuo respicitur ab Angelico Doctore,[2]) et communis est Theologis, praesertim antiquioribus.[3])

2. — *Beatitudo hominis naturalis* ea dicitur, quae proportionata est naturae humanae,[1]) seu quae facultati et exigentiis naturae respondet, adeoque in hominis natura fundatur. *Beatitudo hominis supernaturalis* ea est, quae proportionem naturae excedit, seu quae facultatem et exigentiam naturae transcendit, ideoque in libera Dei benevolentia fundatur. Definitiones hasce veritati esse consentaneas,

---

[1]) Quatenus praeter cognitionem et amorem Dei supernaturalem admittunt naturalem. V. J. Kleutgen: Die Theologie der Vorzeit II. B. Münster 1872.

[2]) Sic 1. q. 23. a. 1. dicit, hominem ordinari ad duplicem finem, alterum naturae proportionatum, alterum superantem facultatem naturae. Item q. 62 a. 1. distinguit in Angelis hanc duplicem beatitudinem, et dicit, eos fuisse creatos in beatitudine naturali, non vero supernaturali. Eadem distinctione, agens de hominibus, utitur 1. 2. q. 62. a. 1. c. et ad 3.; q. 109. a. 5. ad 3.; q. 110. a. 3.; et optime in III. Libr. Sent. Dist. 23. q. 1. a. 4. quaestiuncula 3., et ex hac divisione colligit etiam necessitatem gratiae et divisionis virtutum in infusas et acquisitas.

[3]) Videri inter alios possunt Suarez: De beatitud. Disp. IV. Sect. 3. Disp. XV. tota. Sylvius: Comment. in primam secundae d. Thomas q. 2. Gregorius de Valentia: Comment. theolog. Tom. II. Disp. 1. q. 3. Dionysius Carthusianus: Summa fid. orth. L., 1. a. 32.

[4]) S. Thom.: 1. q. 23. a. 1. et al. saepe.

colligitur ex characteribus „naturalis“ et „supernaturalis“ in Dogmatica jam explicatis.[1])

Nunc igitur de utraque beatitudine, quantum spectat ad rem nostram, disserendum est.

PROPOSITIO I.

Naturalis hominis beatitudo in cognitione et dilectione Dei, ut auctoris naturae, et in gaudio ex utraque fluente consistit.

— Communis est sententia, in actibus praedictis sitam esse naturalem hominis beatitudinem, et sponte sua fluit ex doctrina generali de beatitudine hominis §. 15. n. 5. et sq. exposita. Sed disceptatur inter Theologos, utrum in cognitione, an in dilectione principaliter beatitudo haec consistat? — Dicendum videtur, utrumque actum diverso sub respectu posse principalem nuncupari, Dei quidem cognitionem, quatenus haec est conditio primaria ad ineundam cum Deo unionem,[2]) Dei amorem, quatenus hic perfecte hominem cum Deo conjungit.[3])

In aliis animi operationibus virtuosis non consistit essentia naturalis beatitudinis; illae tamen sunt vel dispositiones ad eam praerequisitae, vel proprietates illam comitantes.[4])

1. — Beatitudini modo indicatae accurate congruunt characteres beatitudinis *naturalis* superius n. 2. definitae. Etenim *Facultati naturae respondet.* Videlicet homo in natura sua habet facultatem *physicam*, per se sufficientem ad eliciendos illos actus, in quibus consistit haec beatitudo. Quod probatur a) ex doctrina ss. Patrum, qui firmiter asseruerunt, dari naturalem Dei cognitionem et dilectionem.[5]) — Probatur b) ex unanimi suffragio Theologorum. Audiamus d. Thomam, Doctorem omni exceptione majorem. Hic

[1]) Ceterum desuper legi possunt J. Kleutgen: Die Theologie der Vorzeit II. Band. S. 4. u. f. Münster 1872. Cf. Schrader: De triplici ordine, pag. 39. et sq. pag. 61 et sq. Vindobonae 1864.

[2]) Hoc sensu passim s. Augustinus, ut Lib. de beata vita n. 35. Lib. 82. qq. in q. 35., et s. Thomas: 1. 2. q. 3. a. 5.: q. 4. a. 3.; q. 62. a. 1.; q. 64. a. 1. ad 1. Contra Gent. Lib. III. cap. 44., in III. Sent. Dist. 29. q. 2. dicunt, beatitudinem in Dei cognitione, contemplatione, sapientia, consistere.

[3]) Doctor Angelicus ait: „*Diligere Deum, est summa perfectio rationalis naturae, cum per hoc quodammodo Deo uniatur.*“ Contra Gent. Lib. I. cap. 80. n. 5.

[4]) Suarez: In 1. 2. divi Thomae Disp. XV. Sect. 1. n. 8.

[5]) Plurima eorum effata videri possunt penes Kleutgen: Die Theol. der Vorzeit II. B.

dicit: „*Beatitudo imperfecta, quae in hac vita haberi potest, potest ab homine acquiri per sua naturalia, eo modo, quo et virtus, in cujus operatione consistit.*“[1]) Rursus: „*Homo secundum naturam proportionatus est ad quendam finem, cujus habet naturalem appetitum, et secundum naturales vires operari potest ad consecutionem illius finis; qui finis est aliqua contemplatio divinorum, qualis est homini possibilis secundum facultatem naturae.*“[2]) Idemque repetit allis locis.[3]) Indicat etiam quaedam media naturalia, quorum ope homo consequi possit hunc finem: „*Datus est homini intellectus et ratio, per quae veritatem et discernere et investigare possit. Datae sunt etiam ei vires sensitivae et interiores et exteriores, quibus ad investigandam veritatem adjuvetur. Datus est etiam ei loquelae usus, per cujus officium veritatem, quam aliquis mente concipit, alteri manifestare possit; ut sic homines seipsos juvent in cognitione veritatis, sicut et in aliis rebus necessariis vitae, cum sit homo animal sociale.*“[4]) Nec aliter sentiunt ejusdem Doctoris discipuli.[5]) — Probatur c) ex Concilio Prov. Viennensi 1858. Tit. I. cap. 1., ubi dicit: „*Animae rationalis ad Dei imaginem creatae natura facultatem involvit, Deum ex creaturis et ipsis conscientiae sui testimoniis cognoscendi atque amore huic cognitioni correspondente diligendi.*“ — Probatur d) ex Sedis Apostolicae Decretis contra Bajum, Quesnellum et Synodum Pistoriensem emissis.

Diximus, homini inesse facultatem *physicam* ad eliciendos actus, in quibus consistit beatitudo naturalis. Gratis enim damus, nullum hominem naturae suae relictum absque Dei auxilio plene consecuturum esse illam beatitudinem, et quidem ob impedimenta plurima,

[1]) 1. 2. q. 5. a. 5.

[2]) De veritate q. 27. a. 2.

[3]) De veritate q. 17. a. 2. In III. Lib. 2. Dist. 23. q. 1. a. 4. Summa Theol. 1. 2. q. 62. a. 1.; q. 3. a. 2. ad 4.; et alibi.

[4]) Contra Gent. Lib. III. cap. 147. n. 1.

[5]) Franc. Sylvius: „Beatitudo naturalis est, quam homo virtute suae naturae assequi potest. Supernaturalis est, quam non potest consequi, nisi aliqua virtute omnes naturae creatae vires excedente.“ Com. in primam secundae d. Thomae. Quaest. 2. Dionysius Carthusianus: „Finis rationalis creaturae est duplex: videlicet naturalis, ad quem ex naturalibus potest pertingere, et est naturalis felicitas, de qua loquuntur philosophi. Alius est finis supernaturalis, scilicet aeterna et supernaturalis felicitas etc.“ Summa fid. orthod. Lib. I. a. 32. Idem habent Gregorius de Valentia: Commentariorum Theolog. Tom. II. in primam secundae d. Thomae Disp. I. Quaest. 2. De Ripalda: De ente supernaturali. Tom. III. Disp. VIII. Sect. 6. n. 65. Suarez, qui diffuse id argumentum pertractat: Com. in l. c. Disp. IV. Sect. 3. n. 2.—4. Disp. XV. Sect. 2. et alii.

quae tantam homini ingerunt difficultatem, ut saepe *moraliter non possit* uti ea facultate physica. Nequaquam autem, ut Suarez [1]) observat, inde fit, aut beatitudinem illam in se esse impossibilem naturaliter, aut media non esse naturae proportionata. Vide infra n. 9.

2. *Exigentiae naturae respondet.* Namque homo, prouti quodlibet aliud ens naturaliter appetit et exigit quidem summam perfectionem suam (coll. §. 15. n. 3.), attamen non aliam, quam facultati naturae consentaneam et proportionatam; siquidem appetitus naturae non extenditur ultra id, quod est possibile naturae.[2]) Atqui beatitudo, de qua loquimur, consistens nimirum in aliqua conjunctione cum Deo, fine supremo, naturaliter cognoscendo et amando illum, est proportionata naturali hominis facultati, ut paulo ante probavimus. Ergo haec beatitudo exigentiae naturae adprime satisfacit et correspondet.

5. — Ex mente s. Thomae tali beatitudine fruuntur in altera vita illi parvuli, qui sine baptismo ante usum rationis ex hac vita decesserunt.[3]) Nec non in hac quoque vita ex mente ejusdem s. Doctoris ab hominibus naturalis beatitudo Deo auxiliante haberi potest, quae tamen non est nisi imperfecta,[4]) imo quae in homine elevato ad finem supernaturalem non meretur beatitudinis nomen absolute dictae, ut Suarez subjungit.[5]) Denique notandum, quod cum Deus omnes homines etiam infideles velit salvos fieri, his quoque praestat media necessaria, ut beatitudinem supernaturalem et coelestem assequi possint.[6]) Adulti infideles, qui ad coelestem beati-

[1]) l. c. Disp. XV. Sect 2. n. 9.

[2]) Suarez: l. c. Disp. XVI. Sect. 2. n. 11. S. Thomas: „— *hoc enim est ex institutione divinae providentiae, ut nihil agat ultra suam virtutem.*“ 1. 2. q. 114. a. 2.

[3]) In Lib. II. Dist. 33. q. 2. a. 2. De malo q. 9. a 3. Sunt tamen in statu damnationis, quatenus finem supernaturalem, ad quem a Deo omnes homines destinati sunt, non obtinuerunt.

[4]) 1. 2. q. 5. a. 5. „Beatitudo *imperfecta*, quae in hac vita haberi potest, potest ab homine acquiri per sua naturalia.“

[5]) Disput. IV. Sect. III. n. 4. „Facile concedimus, naturalem beatitudinem non mereri nunc beatitudinis nomen absolute dictae, quia in homine elevato ad finem supernaturalem illa non habet rationem ultimi termini, seu perfectionis ultimae, — propter quam creatus est.“ Idem repetit Perrone op. c. Tom. V. n. 584.

[6]) Perrone dicit: „Deus infidelibus dat gratias, quibus adjuti possunt adimplere legem naturalem. — His autem gratiis si infideles obsequantur, majora eis subsidia adjiciuntur, donec Deus ex gratuita sua misericordia *vocet eos ad finem supernaturalem* per initium fidei, sive per homines ad hoc missos, sive per angelum sive interius per se, sive quavis alia ratione, prout ei bonum visum fuerit.“ Praelect. theolog. Tom. VII.

tudinem non perveniunt, naturali quadam beatitate in altera vita non potiuntur, sed aeternis inferni cruciatibus puniuntur.

* Suarez: Tractatus Theologici in primam secundae d. Thomae. Tract. I. De ultimo fine hominis Disp. IV. Sect. 3. n. 2.—4. et Disp. XV. tota per 2 Sectiones. Ripalda: De ente supernaturali, Tom. III. contra Bajum et Bajanos, Disp. VIII. Sect. 7. (Ed. noviss. Parisiis 1870.) Ant. Goudin O. P.: Philosophia juxta inconcussa tutissimaque d. Thomae dogmata. Tom. IV. Quaest. I. art. 2. (pag. 24—79. Edit. noviss. Urbeveteri. 1860). F. A. Dmowski S. J.: Institutiones Philosoph. Voll. II. Par. I. C. 1. Romae. 1840. Marinus de Boylesve S. J.: Cursus Philosophiae. Ethica, pag. 350—357. Lutetiae Paris. 1855. Kleutgen: Die Theologie der Vorzeit. II. B. VI. Abhandl. 5. Hauptst. S. 133—152. Münster, 2. Aufl. 1872. H. E. Plassmann: Die Moral gemäss der Schule des hl. Thom. (4. B. der gesammten Philosophie) §§. 59—67. Soest. 1861. Scheeben: Natur und Gnade, Cap. 2. §. 2. Mainz 1861.

PROPOSITIO II.

Beatitudo supernaturalis, ad quam nos Deus summa benignitate creavit, ratione vitae futurae consistit in visione Dei per essentiam, ejus amore perfecto gaudioque ineffabili; in hac vita per fidem, spem et charitatem constituitur.

In quo consistit sup.?

6. — De fide est, beatitudinem supernaturalem vitae futurae consistere in visione Dei per essentiam, amore Dei perfecto atque in gaudio plane immenso. Tum ex innumeris fermè s. scripturae locis e. g. Psalm. 16. 15; 20. 7; 35. 9. Joan. 17. 3. et sq. 1. Cor. 13. 12; 2. Cor. 3. 17, 18; 1. Joan. 3. 2, tum ex perpetuae Traditionis documentis veritas haec luce clarius probari potest, atque probari solet in Dogmatica. — Quis autem praedictorum actuum in beatitudine coelesti principalior sit, utrum visio, an amor, an gaudium, non omnes conveniunt.[1]) Dici potest, quemlibet eorum sub peculiari respectu primum locum tenere, visionem, quatenus est

probar

Par. I. cap. 5. Propos. IV. pag. 149. Ratisb. 1854. Idipsum adprime confirmatur verbis P. M. Pii IX. in epist. encycl. ad Card., Archiep. et Episc. Italiae 10. Aug. 1863. declarantis, „*eos, qui invincibili circa sanctissimam nostram religionem ignorantia laborant, quique naturalem legem ejusque praecepta in omnium cordibus a Deo insculpta sedulo servantes, ac Deo obedire parati, honestam rectamque vitam agunt, posse divina lucis et gratiae operante virtute, aeternam consequi vitam, cum Deus, qui omnium mentes, animos cogitationes habitusque plane intuetur, scrutatur et novit, pro summa sua bonitate et clementia minime patiatur quempiam aeternis puniri suppliciis, qui voluntariae culpae reatum non habet.*“

[1]) Hac de controversia consuli possunt Gregorius de Valentia S. J.: Com. theolog. in 1. 2. Disp. 1. Quaest. 3. et sq. Suarez: Com. in 1. 2. Tract. 1. Disp. VII. Sect. 1.

radix amoris et gaudii, amorem, quatenus respicitur Deus ut summum bonum in se, gaudium, quatenus Deus ut summum hominis bonum spectatur. [1])

1. — Agnoscenda est aliqua etiam praesentis vitae beatitudo supernaturalis, inchoata et imperfecta: a) quia s. scriptura justos praedicat beatos etiam in hac vita: „*Beati immaculati in via* etc.“ Psalm. 118. 1. „*Beati pauperes spiritu, — beati mites* etc.“ Matth. 5.; b) quia beatitudo consistit in summi boni possessione; atqui homo, licet imperfecte, summum bonum in hoc statu possidere potest, si quidem Apostolus ait, „*Christum habitare per fidem in cordibus*“ nostris Ephes. 3. 17., ipse Dominus docet: „*Si quis diligit me — — pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus.*“ Joa. 14. 23. et s. Joannes: „*Qui manet in caritate, in Deo manet et Deus in eo.*“ 1. Joa. 4. 16. Vid. etiam Rom. 5. 5. Gal. 4. 6. et 19. Quapropter s. Paulus monet: „*Gaudete in Domino semper, iterum dico, gaudete.*“ Philipp. 4. 4. Gal. 5. 22.

Beatitudo haec essentialiter in fide, spe et charitate consistit. Id enim satis bene colligi potest ex verbis Apostoli: „*Nunc autem manent fides, spes et charitas, tria haec.*“ 1. Cor. 13. 13, quibus verbis praedictae virtutes prae ceteris commendantur ad salutem consequendam. Idipsum innuere videtur s. Augustinus dicens: „*Domus Dei — credendo fundatur, sperando erigitur, diligendo perficitur.*“ [2]) Ratio autem est: a) quia hisce virtutibus earumque actibus Deo immediate conjungimur, Deum enim immediate pro objecto habent; [3]) et b) quia actus illi maxime similes sunt actibus vitae coelestis, si quidem fides respondet visioni, spes fruitioni, charitas charitati, ideoque actibus praelaudatis felicitas futurae vitae maxime participatur. Principalius vero in charitate, quam in fide et spe beatitas viae continetur, quia charitas est virtus nobilissima 1. Cor. 13. 13, quae perfectissime nos Deo unit 1. Joa. 4. 16, unde et vinculum perfectionis ab Apostolo Coloss. 3. 14. appellatur. [4]) — In aliis

[1]) Lessius: De summo bono Lib. II. cap. 1.

[2]) Serm. 27. n. 1.

[3]) Lessius: „Per fidem Deus mentibus nostris exhibetur et quodammodo praesens sistitur. Per spem illi innitimur. Et per charitatem intime ac filialiter ei conjungimur.“ De nominibus Dei Lib. III. cap. I. Ed. nova Friburgi 1862.

[4]) S. Augustinus ait: „*Qui habet charitatem, in eo Deus habitat sicut in coelo.*“ In Psalm. 149. n. 4. S. Gregor. M. dicit: „*In quantum quisque amat, in tantum ad ingressum coeli propinquat.*“ Lib. II. in Ezech. Hom. 5. n. 14. Hincque praeclare s. Franciscus Salesius: Gleichwie die Menschheit die Vollkommenheit der Welt, der Geist die Vollkommenheit des Menschen, die Liebe die Vollkommenheit des Geistes ist: also ist die heilige Liebe die Vollkommenheit der Liebe, und folglich das Ziel, die Vollkommenheit u. Vortrefflichkeit der Welt.“ Theotim. 10. B. 1. Hauptst.

virtutibus essentia beatitudinis non consistit, quia per se Deum non attingunt; aliquo tamen modo illis beatitudo tribui potest, quatenus nimirum auferunt impedimenta charitatis et ad ejus perfectionem hominem disponunt. [1])

8. — Beatitudo nunc exposita revera est *supernaturalis* (sensu n. 2. explicato); etenim tam facultatem naturae quam debitum naturae excedit.

1. *Facultatem naturae excedit*, quod sane evidens est quoad beatitudinem patriae. Haec quippe a) investigatione humana inveniri et cognosci nequit: „*Oculus non vidit, auris non audivit, nec in cor hominis ascendit, quae Deus praeparavit diligentibus se.*“ 1. Cor. 2. 9., b) solis naturae viribus obtineri nequit: „*Nemo venit ad Patrem, nisi per me,*“ Christus Dominus dicit Joa. 14. 6. — c) nemo intellectu naturali Deum videre potest: „*quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest*“ 1. Tim. 6. 16., id est: per se; indiget namque anima lumine gloriae, per quod elevatur ad Deum videndum, eoque beate fruendum, ut Concilium Viennense contra Beguardos definivit. [2]) — *Vita aeterna, quae consistit in visione Dei per essentiam — soli Deo connaturalis est.* Ita Angelicus Doctor. [3])

Verum etiam beatitudo viae superius explicata vere et proprie supernaturalis est censenda: a) quia fides, spes et charitas, in quibus eam posuimus, ex sola revelatione supernaturali patescunt; [4]) atque b) quia illae, quatenus sunt virtutes, a Deo nobis infunduntur, ut docet Concilium Trident. Sess. VI. cap. 7., et quatenus accipiuntur ut actus, elici nequeunt absque gratia excitante et adjuvante, prouti pariter definivit praefatum Concilium Sess. VI. can. 3.

2. *Debitum naturae excedit*, quia a natura nihil aliud exigitur, quam ut homo perfectionem sibi proportionatam assequatur coll.

[1]) Suarez: Disp. VII. Sect. 2. n. 15. et alii cum s. Thoma 1. 2. q. 3. a. 5.; 2. 2. q. 182. a. 1.

[2]) Element. Lib. V. tit. 3. de haeret. c. 3. Penes Denzinger: Enchir. etc. pag. 172. Ed. 4. 1865.

[3]) De veritate q. 27. a. 2. — Summa Theol. 1. q. 12. a. 5. Contra Gentes Lib. III. cap. 52. et 53.

[4]) S. Thomas: „Virtutes theologicae — divino sermone sunt nobis manifestatae: unde Philosophi nihil de his cognoverunt.“ In Lib. III. Sent. Dist. 23. q. 1. a. 4. quaest. 2. c. Summa Theolog. 1. 2. q. 62. art. 1. c. et alibi passim.

n. 4;[1]) at vero beatitudo, quae in Dei adspectu consistit, omnem naturae proportionem superat, ut praehabitum est. Concilium Vatic. Sess. III. cap. 2. expresse docet, quod Deus *ex infinita bonitate sua ordinavit hominem ad finem supernaturalem.* Unde prona fit illatio, quod Deus, quin humanae naturae quidquam derogaretur, salva sua bonitate ac justitia ad naturalem beatitatem (supra n. 3. expositam) nos destinare potuisset, et quod consequenter soli ipsius liberalitati et abundanti benevolentiae tribui debet, dum ad beatificam sui ipsius visionem nos creare dignatus est.

9. — Omnino igitur reprobandum esse apparet placitum Jansenistarum effutientium, Deum necessario debuisse nos destinare ad beatitudinem in sui visione obtinendam.

Nec sequentia obstant: 1. Homini cuilibet naturalis inest appetitus, perveniendi ad Dei visionem; hinc infelix ac miser foret, si Deus ipsum ad hunc finem sublimem obtinendum non destinasset. 2. Homo solis naturae viribus beatitudinem naturalem vocari solitam adipisci non valet. An vero Deus homini potuisset finem praestituere, cui attingendo impar existit? Nec valet evasio, quod adeptio hujus finis homini possibilis evaderet ope divinae gratiae, quandoquidem gratia est donum supernaturale, quod ad supernaturalem finem erigit hominem.

Resp. ad 1. Appetitus beatitudinis illius, quae in Dei visione sita est, naturae innatus vix ac ne vix quidem dici potest. Etenim illa beatitudo nequit rationis lumine cognosci, ut n. 8. ostendimus; si vero naturaliter non potest cognosci, sane etiam naturaliter appeti nequit. Ignoti nulla cupido. Recte d. Thomas ait, quod *vires naturales non sufficiunt nec ad cogitandum vel desiderandum bonum naturae humanae proportionem excedens.*[2]) Itaque dicendum est, desiderium beatitudinis supernaturalis in Dei visione consistentis inde exoriri, quod haec beatitudo a Deo revera ut finis supremus nobis est praestituta atque revelata.[3])

Resp. ad 2. Deus naturali sua providentia absque gratiae supernaturalis elargitione potuisset homini possibilem reddere beatitatem naturalem, videlicet tum daemonis pugnam aliaque impedimenta honestae operationis arcendo vel saltem minuendo, tum auxiliis naturalibus intrinsecis et extrinsecis hominem adjuvando ad bene operandum naturaliter.[4])

Cohaeret doctrina de possibilitate finis naturalis cum veritate catholica, possibilem esse statum naturae purae; quam vero hic prosequi, est praeter rem nostram.

* S. Thomas: Summa Theologica 1. 2. q. 3. a. 8., q. 4. tota. S. Bonaventura: In Lib. I. Sent. Dist. 38. q. 1.; in Lib. IV. Dist. 49, q. 5. S. Franciscus Sales.: Theotimus L. III. c. 11—15. (de beatorum cum Deo unione

[1]) S. Thomas ait: „Ad perfectionem etiam universi sufficit, quod naturali modo creatura ordinatur in Deum.“ 3. q. 1. n. 3. ad 2.

[2]) De veritate q. 17. a. 2.

[3]) Consuli possunt s. Alphonsus: Widerlegung der Häresien. 12te Widerl. n. 13. Regensb. 1846. S. 303. 304. Suarez: De beatitudine Disp. XVI. Sect. 2. Kleutgen: Die Theologie der Vorzeit 2. Aufl. II. B. S. 146. u. f. Münster 1872. Plassmann: Die Moral gemäss der Schule des hl. Thomas S. 256—271. Soëst. 1861. Schäzler: Natur u. Uebernatur. S. 256. u. f. Mainz 1865.

[4]) Vid. Suarez: De beatitud. Disp. XV. Sect. 2. Kleutgen: Die Theologie d. Vorzeit 2. Aufl. II. B. 9te Abh. S. 603 u. f.

per ipsius visionem). — Gregorius de Valentia S. J.: Commentarior. Theologicorum Tom. II. complectens materias primae secundae d. Thomae Disp. I. Quaest. 3. 4. et 5. Suarez: Comment. in primam secundae d. Thomae. Tract. I. Disp. VII. usque ad finem, nempe Disp. XVI., excepta penultima. Lessius: De summo bono et aeterna beatitudine hominis. Nova ed. Friburgi 1869. Ludov. Habert: Theologia dogmat. et moralis Tom. III. De actibus humanis cap. 6. §. 8. et 9. (Augustae Vindel. 1751. pag. 97—120). Collet (Continuator Praelection. Theolog. Honorati Tournely): Tractatus de universa Theologia morali Tom. II. Tract. de actibus humanis cap. 3. Sect. 2. et 3. (Ed. 7. Parisiis 1758. pag. 607—651). Kleutgen: Die Theologie der Vorzeit II. B. 6. Abhandl. 5. Hauptstück. S. 123. u. f. Münster, 2. Aufl. 1872. Plassmann: Die Moral gemäss der Schule des hl. Thomas (4. B. der gesammten Philosophie) I. Hauptst. 2. Art. Soest. 1861. Scheeben: Die Mysterien des Christenthums §. 92. et seq. Freiburg. 1865.

Fructus hujus considerationis.

10. — Ex mente Angelici Doctoris Deus alia quidem meliora facere valet, quam ea quae fecit: attamen non potest facere meliorem hominem, quam est Deus homo, non meliorem matrem, quam est Dei mater, neque beatitudinem meliorem, quam est visio et fruitio Dei.[1]) Et profecto, beatitudinem hanc quod attinet, — nonne tanta est, ut omnem naturae facultatem transcendat, omnem intellectum sensumque immense exsuperet? Quippe, quid enim sublimius, quid praestantius mente concipi potest, quam ad ineffabile Divinitatis, omniumque bonorum et gaudiorum divinorum consortium evehi? *Quae erit gloria, et quanta laetitia, admitti, ut Deum videas?*[2]) *Ibi cumulus felicitatis, ibi supereminens gloria, ibi supereffluens beatitudo.*[3]) — O mira circa nos divinae pietatis dignatio! Sufficiens plane fuisset, si Deus ad naturalem quampiam cum ipso unionem, ad felicitatem, inquam, naturae correspondentem nos condidisset. Quis igitur non obstupescat ad tantam benignitatem, ad liberalitatem plane incomprehensibilem, qua Deus eum in finem nos creare aeterno consilio constituit, ut per visionem, amorem et gaudium nos sibi miro modo conjungeret, atque divinitatis suae, beatitudinis suae, in regno coelorum nos faceret participes? Quantas proinde laudes et gratiarum actiones ipsi debemus, qui gratuita et abundante benevolentia nos ad tam sublimem finem vocavit, quem nullus unquam sine divina revelatione sperare vel divinare potuisset, utque illius nos participes faciat, gratiarum donis nos continuo circumdat

[1]) Summa Theolog. 1. q. 25. a. 6. c. et ad 4.

[2]) S. Cyprianus epist. 56.

[3]) S. Bernard. In solemn. omnium Sanct. Serm. IV. n. 3.

atque adimplet! Haec ineffabilis cum Deo unio, in qua simul et summum bonum nostrum et summa gloria Dei posita sunt, nobis unice sit cordi, ad eam omnia desideria et consilia nostra dirigantur, labores omnes et conatus nostri tendant, nec requiescamus, donec ad eam feliciter perveniamus. *Filioli,* nobis acclamat s. Bernardus, *filioli, concupiscamus in atria Domini: crebro suspiremus illuc. Patria nostra ipsa est, odoremus saltem, et a longe salutemus eam. Amen.* [1])

[1]) De diversis Serm. II. n. 8.

CAPUT II.

De ordine morali.

Transitio.

Ordo est relatio unius ad alterum

Fini congruit ordo, qui veluti via est, quae ad finem perducit. „*Ordo est, quem si tenuerimus in vita, perducet ad Deum, et quem nisi tenuerimus in vita, non perveniemus ad Deum*“, s. Augustinus dicit. [1]) Ideirco explanationem finis a Deo nobis praestituti convenienter excipit consideratio ordinis a Deo pariter stabiliti ad finem hunc obtinendum.

Agemus 1. de notione et divisione ordinis, 2. de ordine ethico naturali, 3. de ordine supernaturali, et 4. de modo, quo ordo supernaturalis ad naturalem se habeat.

§. 17.

Notio et divisio ordinis.

1. — Ordo dupliciter, nempe passive et active accipi potest. Ordo, si passive concipitur, est *relatio unius ad aliud, ut suum principium*. Ordo active sumptus seu ordinatio est *apta rerum ad finem dispositio secundum earum relationes*. [2]) Quo modo ordo intellectus

[1]) De ordine Lib. I. cap. 9. n 27. Mayer S. J.: „Der einzige Weg zur wahren Glückseligkeit des Menschen ist die getreue Beobachtung der sittlichen Ordnung.“ Die Grundsätze der Sitte und des Rechtes, S. 73.

[2]) S. Thomas: „— ordo semper dicitur per comparationem ad aliquod principium: unde sicut dicitur principium multipliciter, scilicet secundum situm, ut punctum; secundum intellectum, ut principium demonstrationis; et secundum causas singulas: ita etiam dicitur ordo.“ 1. q. 42. a. 3. c. A sancto Augustino ordo definitur: *parium dispariumque sua cuique loca tribuens dispositio.* De Civit. Dei Lib. XIX. cap. 13. Sed haec definitio est tantum de ordine *secundum locum* ut d. Thomas in I. Lib. Sent. Dist. 20. q. 2. Solut. 1. observat, cum et detur ordo alius secundum dignitatem, alius secundum originem etc. In Catechismo ad Parochos dicitur: „*Est ordo, si propriam ejus vim et notionem accipiamus, dispositio superiorum et inferiorum rerum, quae inter se ita aptae sunt, ut una ad alteram referatur.*“ P. II. cap. 7. q. 9. Liberatore aliique ordinem simpliciter dicunt relationem unius ad alterum.

complectitur *relationes,* secundum quas res disponuntur, *finem,* ad quem disponuntur, et *media,* per quae disponuntur. Hinc ordo in sensu posteriori latius patet, quam in sensu priori.

Ex quibus facile conjicitur, quid sub *ordine universi* intelligatur. Porro hic ordo duplex est, *materialis* et *moralis,* siquidem partim ad creaturas irrationales, partim ad creaturas rationales seu homines spectat; materialis ordo tantum ob ordinem moralem existit.

2. — *Ordo moralis,* de quo tantum nobis sermo, passive et pressius sumptus *est relatio hominis ad Deum, suum principium,* tum immediata tum mediata, seu ad Deum, ad semetipsum et ad alios respectu ad Deum habito.[1]) Ordo moralis active latiusque acceptus *est conveniens hominum in Deum directio seu reductio secundum eorum ad ipsum relationes;*[2]) proindeque relationes morales, finem, et media ad finem continet.

Ordo moralis duplex est: naturalis et supernaturalis, sicut finis, quem spectat.[3]) *Naturalis* vocatur, qui in natura hominis fundatur, atque capacitati et exigentiae naturae correspondet. *Supernaturalis* est, qui in libero Dei beneplacito nititur, atque capacitatem debitumque naturae humanae transcendit.

In subsequentibus ordinem passive et strictius sumptum tantum considerabimus, quatenus est relatio hominis ad Deum, ad semetipsum et alios; id enim sufficit instituto nostro.

§. 18.

De ordine naturali.

1. — Praevie notandi veniunt sequentes errores: 1. *Pantheistae* ac *Materialistae* existere negant ordinem moralem a Deo creatore naturae stabilitum. Pantheistae quidem, quia dum pari impietate ac stultitia tenent, unum idemque esse Deum cum humanitate, de relatione hominis ad Deum, sive immediata, sive

[1]) Mediata hominis ad Deum relatio est relatio ejus ad semetipsum et ad alios. Sapienter s. Thomas: 2. 2. q. 2. a. 3. c. ostendit, solam naturam rationalem creatam habere *immediatum* ordinem ad Deum.

[2]) Dixi: *reductio,* Doctorem Angelicum 1. 2. q. 111. a. 1.; 3. q. 6. a. 1. ad 1. secutus. Reducimur ad Deum, ut finem, a quo defecimus, ut principium, a quo facti sumus. Huc spectant Ecclesiae preces: *„Haec sacra nos, Domine, potenti virtute mundatos, ad suum faciant puriores venire principium.“* Secr. Dominicae 1. Adventus.

[3]) S. Thomas: „Ratio ordinis, quem sapiens rebus a se factis imponit, a fine sumitur.“ 1. q. 25. a. 5. Item 1. 2. q. 102. a. 1. *Concilium Prov. Burdigal.* a. 1868. cap. 4. n. 11. „Supposito fine supernaturali nostro hominum totiusque vitae humanae nova admodum ordinatio necessario exurgit.“ (Collectio Lacens. Tom. IV. pag. 818.)

mediata, ne cogitare quidem possunt. Materialistae, quia praeter materiam nihil existere fingendo, alium ordinem praeter ordinem rerum materialium admittere nequeunt. Recole dicta in Introd. §. 8. n. 4. et 5. — 2. *Traditionalistae* ordinem naturalem cum supernaturali confundunt, quatenus omnes veritates, ethicas non minus quam religiosas, a revelatione et inde pendente originali traditione essentialiter repetendas esse censent.

Contra quos sit sequens

PROPOSITIO.

Existit ordo moralis a Deo Creatore in natura humana stabilitus, qui naturalis jure appellatur.

2. — Propositio haec duas continet partes, quarum utraque probanda est.

Pars I. Existit ordo moralis a Deo Creatore in natura humana stabilitus. Etenim natura uniuscujuslibet hominis clamat, se a suprema quadam causa, quam Deum appellamus, existentiam habere, conservari et undequaque dependere. Tum etiam quisque sibi conscius est, se duplici coalescere parte, sensibili nimirum et rationali. Denique nemo ignorat, se similitudine naturae cum ceteris hominibus copulari. Unde sequitur, quod homo tum ad Deum, tum ad semetipsum, tum ad alios relationes habet, et tales quidem, quae ex conditione naturae humanae fluunt. Jamvero in quo consistant, quidque postulent illae relationes, modo indicandum est.

1) Homo naturâ suâ ad Deum se habet, ut creatura ad Creatorem, ut servus ad dominum; quod jam ex praedictis colligitur, quod porro haud dubie innuunt ss. scripturae Joa. 15. 15. Gal. 4. 1.; passim enuntiant ss. Patres, ut s. Athanasius,[1]) s. Cyrillus Alex.,[2]) s. Joan. Chrysostomus,[3]) atque Theologi communiter tradunt.[4]) Quae relatio sane postulat, ut homo Deo, auctori et domino suo, famulatum fidelem exhibeat, inprimis, ut eum ceu auctorem ac dominum suum sincere agnoscat et diligat. — 2) Corpus ad animam naturaliter se habet, veluti instrumentum ad agens principale;[5]) quapropter

[1]) De incarnat. n. 8.

[2]) Comment. in Joannis Evang. Lib. I. c. 1. n. 13.

[3]) Homil. II. in Math.

[4]) Recentissime Kleutgen: „Die Knechtschaft ist der natürliche Zustand des Menschen, — das natürliche Verhältniss der vernünftigen Geschöpfe zu Gott.“ Die Theol. der Vorzeit II. B. S. 93. 94. Schrader: De triplice ordine pag. 83. et al. Vindob. 1864. Scheeben: Natur u. Gnade. S. 58, 88, 89. Mainz 1861.

[5]) S. Thomas: „Caro est propter animam, sicut materia propter formam, et instrumentum propter principale agens.“ 2. 2. q. 55. a. 1. ad 2. Summa contra Gent. Lib. III. cap. 129. n. 1. et 6.

corpus animae, prouti omnes vires inferiores rationi subjici debent; ratio quippe juxta Doctoris Angelici verba in homine se habet, sicut princeps vel judex in civitate.[1]) — 3. Homo denique ad alios homines sicuti ad ejusdem naturae socios et conservos naturaliter refertur, quocirca illos sicuti semetipsum revereri ac diligere tenetur. — Obligationes expositae in his generalibus naturae dictaminibus continentur: *Inferiora superioribus subjicienda sunt.*[2]) Atque: *Omne animal diligit simile sibi.*[3])

Dantur igitur relationes morales in natura humana fundatae, nimirum hominis ad Deum, ad semetipsum et ad alios, quae per se et necessario exigunt operationes morales diversas. Jam vero ex his relationibus, quae, ut examinanti facile patescit, partim immediate, partim mediate Deum attingunt, coalescit ordo moralis sensu strictiori acceptus. Ergo *existit ordo moralis* arctiori sensu *in natura humana fundatus.*

3. — Porro hic ordo *a Deo creatore est stabilitus,* quod ultro exinde liquidissime constat, quod praedictae relationes in natura humana fundantur atque naturae humanae inhaerent, Deus autem auctor est naturae. Unde s. Augustinus: „*Deus creator et conditor omnium naturarum, — a quo omnis ordo naturae.*“[4]) Rursus: „*Nos enim catholici Christum Deum colimus, a quo — — omnis ordo, seu magnus seu parvus.*“[5])

4. — Obiter adverte, quod observantia ordinis modo expositi perducit ad beatitatem naturae proportionatam, nimirum ad Dei auctoris ac domini nostri agnitionem et dilectionem, in qua beatitudo proprie seu simpliciter, consistit, tum ad alios bonos actus, in quibus beatitudo ex parte (secundum quid) constituenda est coll. §. 16. n. 3. Quibus bene confirmatur effatum s. Augustini initio hujus disputationis praestitutum: „*Ordo est, quem si tenuerimus in vita, perducet ad Deum.*“

5. — *Pars II. Ordo in praecedentibus descriptus jure dicitur naturalis.* Etenim 1. *naturae humanae capicitati respondet,* quia

[1]) 1. 2. q. 104. a. 1. ad 3. S. Ambrosius ait: „Princeps et domina carnis *naturaliter* anima est, quae domare carnem debet et regere.“ Apud s. Augustinum: Contra Julianum Lib. II. n. 24. S. Gregorius M. rationem vocat „*dominam* familiae multae“, sub qua intelligit multitudinem cogitationum. Moral. in Job. Lib. I. cap. 30. n. 42.

[2]) S. Thomas: „Hoc naturalis ordo requirit, quod inferiora superioribus subdantur.“ Contra Gent. Lib. III. n. 129.

[3]) Eccli. 13. 19.

[4]) Contra Faustum Lib. XXVI. cap. 3.

[5]) Lib. de natura boni cap. 3.

lumine naturali rationis tum investigari tum comprehendi potest. 2. *Exigentiae naturae humanae correspondet.* Certe naturalis hominum conditio poscit, ut certus nexus adsit et ordo hominum ad invicem et ad Deum, supremam causam, a qua pendent et jugiter conservantur. Jamvero ordo explanatus huic exigentiae adprime correspondet, quia ex ipsius naturae humanae conditione resultat, ut vidimus, atque naturae plane consentaneus apparet.[1]) Nec ullo titulo homo exigere potest sublimiorem relationem ad Deum, quam est status servi ad dominum, quemadmodum nec altiorem beatitudinem ullo jure nativo appetere potest, quam naturae consentaneam et proportionatam, coll. §. 16. n. 4. et 9.

6. — Opportunum hic est statim videre, *utrum Deus necessario actu voluntatis ordinem naturalem constituerit, et an possit eum immutare?*

Cartesius aliique tradiderunt, omnem ordinem a libero Dei arbitrio pendere, ita ut Deus alium ordinem, quam extantem, potuisset statuere, vel eundem posset immutare.[2])

At vero sententia haec omnino falsa est et reprobanda. Etenim ordo ille, de quo egimus, ex tali natura, qualis est natura humana, necessario profluit, quapropter supposita libera voluntate, hominem creandi, sicuti est, Deus non potuit non ordinem illum moralem statuere, sic exigente Ipsius perfectione, videlicet sapientia, sanctitate atque justitia; adeoque alium ordinem moralem, naturae scilicet non correspondentem, statuendo Deus sibi ipsi contradixisset, *Deus* autem *negare seipsum non potest.* 2. Tim. 2. 13. Pari ratione ordo ille moralis a Deo immutari nequit. Vel an Deus velle potest, ut homo ipsi non serviat, corpus animae, vires inferiores rationi non subdantur, homines sese mutuo amore non prosequantur, rebus creatis non tamquam mediis utantur, sed ut fine ultimo fruantur? — Praeterea doctrinam propugnatam tradunt etiam

[1]) Apposite Kleutgen: „Der Mensch ist ein Knecht Gottes und diese Knechtschaft kann nicht als ein Uebel, sondern nur als ein minder grosses Gut betrachtet werden. — Denn es hat gewiss nichts Unedles, von jenem Willen, der nicht anders als heilig und gerecht sein kann, in allem abzuhangen; noch etwas Bedenkliches, einer unumschränkten Macht, deren Missbrauch gar nicht denkbar ist, hingegeben zu sein.“ Die Theol. der Vorzeit. II. B. S. 92., 93. Scheeben: Natur und Gnade. S. 88. 89.

[2]) Leg. Kleutgen: Die Philosophie der Vorzeit I. B. II. Abth. 4. Abh. Seite 520. u. f. Die Theologie der Vorzeit I. B. S. 607—609, 2. Aufl. 1867.

s. Augustinus,[1]) s. Bernardus,[2]) s. Thomas[3]) eandemque Theologi communiter tenent.

Sancti Ecclesiae Doctores de naturali morum ordine.

7. — S. Gregorius Nazianzenus in oratione, quam inscripsit: De ordinis convenientia in disputatione servanda: „*Talis,* inquit, *ordo actionum est adhibendus, ut quemadmodum in oratione constanti, sic in vita omnia sint apta inter se, et convenientia.*“

S. Augustinus persaepe eundem edisserit ordinem: *Agnosce ordinem, quaere pacem. Tu Deo, tibi caro. Quid justius? quid pulchrius? Tu majori, minor tibi: servi tu ei, qui fecit te, ut tibi serviat, quod factum est propter te etc.*“ Enarr. in Ps. 143. n. 6. „*Non ordo rectus, aut ordo appellandus est omnino, ubi deterioribus meliora subjiciuntur.*“ De libero arbitrio Lib. I. cap. 9. n. 19. „*Fit in ipso homine quidem justus ordo naturae, ut anima subdatur Deo, et animae caro, ac per hoc Deo et anima et caro.*“ De Civitate Dei Lib. XIX. cap. 4. n. 4. „*Tenet anima ordinem, se ipsâ totâ diligens, quod supra se est, id est Deum, socias autem animas tamquam se ipsam. Hac quippe dilectionis virtute inferiora ordinat, nec ab inferioribus sordidatur.*“ De Musica Lib. VI. cap. 14. n. 46. „*Sicut bona sunt omnia, quae creavit Deus, ab ipsa rationali creatura usque ad infimum corpus: ita bene agit in his anima rationalis, si ordinem servet, et distinguendo, eligendo, pendendo subdat minora majoribus, corporalia spiritualibus, inferiora superioribus, temporalia sempiternis etc.*“ Lib. ad Honoratum seu epist. 140. cap. 3. n. 4. Similiter: De libero arbitrio Lib. I. cap. 8. n. 18. De doctrina Christ. Lib. I. cap. 24. n. 25. Contra Faustum Lib. XXII. cap. 27. 28. et 78.

---

[1]) „*Contra illam vero summam naturae legem* (quae jubet *ordinem naturalem* servari) *tam Deus nullo modo facit, quam contra seipsum non facit.*“ Contra Faustum Lib. XXVI. cap. 3. Porro eandem legem, adeoque ordinem naturalem vocat „*incommutabilem*“ l. c. et alias saepe.

[2]) Qui loquitur de „*incommutabili aeternae legis ordine.*“ Ep. 11. n. 5.

[3]) Scribens: „*Dicendum, quod sicut Apostolus dicit* 2. Tim. 2. *Deus fidelis permanet, negare seipsum non potest; negaret autem seipsum, si ordinem suae justitiae auferret, cum ipse sit sua justitia: et ideo in hoc Deus dispensare non potest, ut homini liceat non ordinate se habere ad Deum, aut non subdi ordini justitiae ejus, etiam in his, secundum quae homines ad invicem ordinantur,*“ 1. 2. q. 100. a. 8. ad 2. „*— licet istis rebus, quae nunc fiunt, nullus alius cursus esset bonus et conveniens: tamen Deus posset alias res facere, et alium eis imponere ordinem.*“ 1. q. 25. a. 5. ad 3.

S. Leo Magnus scribit: *Teneat ordinem suum renovata natura, nec perverse ac turpiter superioribus inferiora praevaleant aut inferioribus superiora succumbant, et vitiis animum superantibus, ibi fiat servitus, ubi debet esse dominatus.*“ Serm. 69. (De Resurrect. Domini 1.) cap. 5.

S. Bernardus haec habet: „*In bonis naturalibus* (corporis et animae) *reparamur et quasi quodam modo restituimur in antiquum, dum ad ingenitam naturae suavitatem revertimur, dum etiam nobis, et his, qui circa nos sunt, et eis, qui supra nos sunt, debitum rerum ordinem exhibemus.*“ Serm. 16. n. 4.

S. Bonaventura tradit: „*Est autem ordo justitiae, ut bonum honestum praeferatur utili, et voluntas Dei praeferatur voluntati nostrae, ut judicium rationis rectae praesit sensualitati humanae.*“ Breviloq. Par. III. cap. 8. Similiter in aliis locis.

S. Thomas ordinem naturalem saepissime explicat. Sic tantum unum et alterum exemplum: „*Pertinet ad divinam providentiam, cujus quidem ratio homini a Deo proposita divina lex est, ut singula suum ordinem teneant; est igitur sic homo ordinandus lege divina, ut inferiores vires rationi subdantur, et corpus animae, et exteriores res ad necessitatem homini deserviant.*“ Summa contra Gentes Lib. III. cap. 121. „*Hoc naturalis ordo requirit, quod inferiora superioribus subdantur.*“ Ibid. cap. 129.

Effatis ss. Doctorum addimus *Concilium Provinciae Burdigal.* a. 1868. cap. 4. n. 2. sic dicens: „*Etsi ad supernaturalem finem nostra natura destinatur et jam in tempore per gratiam coaptatur; etsi insuper nullus alius de facto nobis a Deo proponitur finis — verum est, in ordine proprio eandem naturam constitutam esse, imo quasi ordinem proprium ipsam constituere, cui nec principia, nec relationes, nec saltem in abstracto ipse etiam finis desunt; ordinem denique illum esse valde bonum et, si absolute spectetur, in suo genere perfectum.*“

§. 19.

De ordine supernaturali.

1. — Praemittimus errores diversos circa hunc ordinem versantes. 1. *Lutherus* et *Calvinus*, quique eos secuti sunt, *Jansenistae* inficiebantur characterem supernaturalem ordinis salutis a Deo primitus constituti, dum asserebant, statum originarium primis hominibus fuisse debitum ac naturalem, exaltationem naturae humanae in consortium divinae naturae non supernaturalem, sed naturalem esse dicendam. 2. *Naturalistae*, qui naturam creatam a Deo nullum recipere influxum,

sibique sufficere fingunt, consequenter ordine nativo excepto alium nullum admittunt. 3. *Rationalistae* revelationis supernaturalis possibilitatem pernegantes ordinem, qui est supra naturam, pariter rejiciunt. 4. *Semirationalistae* asserunt, religionem a Christo Domino revelatam a religione naturali essentialiter haud differre, donaque ab ipso nobis allata ad id tantum servire, ut natura humana ad perfectionem sibi proportionatam perveniat.

Contra quos omnes haec valet catholicam doctrinam exprimens

PROPOSITIO.

Praeter naturalem ordinem alius existit ordo a Deo primitus constitutus et a Christo Domino reparatus, qui supernaturalis jure appellatur.

2. — Haec propositio duas continet partes; utramque breviter ostendemus.

Pars I. Praeter naturalem ordinem alius existit a Deo primitus constitutus et a Christo reparatus.

Haec veritas sequentibus evincitur: 1. De fide est (coll. Conc. Trident. Sess. 5. can. 1. et 2.), protoparentes a Deo in gratia sanctificante fuisse constitutos, per eamque in consortium naturae divinae elevatos; adeoque relationem eorum ad Deum in eo constitisse, quod filii Dei adoptivi et haeredes felicitatis aeternae, ejusque supernaturalis fuere. Quod quidem dogma tam ex ss. Literis quam ex Traditionis documentis ostenditur in Dogmatica.[1]) — Aeque certum est (coll. Conc. Trid. Sess. 6. cap. 2. et sq.), nos gratiam sanctificantem, quam in Adamo amisimus, ideoque et adoptionem filiorum per Christum Redemptorem recipere. Quod pariter ex utroque revelationis divinae fonte luculentissime comprobatur. Dicit s. Apostolus Paulus: „*At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum, — ut adoptionem filiorum reciperemus. Quoniam autem estis filii, misit Deus spiritum filii sui in corda vestra clamantem: Abba, Pater. Itaque jam non est servus, sed filius. Quod si filius, et haeres per Deum.*“ Gal. 4. 4—7. Rom. 8. 16. Ephes. 1. 5. S. Joannes: „*Videte, qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur et simus.*“ 1. Joa. 3. 1.; 1. Petr. 1. 4.

2. Quod corpus nostrum attinet, hoc quoque per gratiam divinam nobilitatur. Etenim membrum Christi est, et templum Spiritus sancti: „*Nescitis, quoniam corpora vestra membra sunt Christi? Nescitis, quoniam membra vestra templum sunt Spiritus sancti, qui in vobis est, quem habetis a Deo, et non estis vestri?*“ 1. Cor. 6, 15. etc.;

[1]) Schwetz: Theol. Dogmat. cath. Vol. II. §. 14. Viennae 1852.

3. 16. etc. Nunc quidem terrae commendatur, die autem judicii Christus „*reformabit corpus humilitatis nostrae — configuratum corpori claritatis suae.*“ Philipp. 3. 21. et sq. 1. Cor. 15. 42. etc.

3. Denique alii homines fraternitatis vinculo nobis consociantur in Christo, etenim Deum pariter ceu patrem, atque coelum ut patriam suspiciunt. Fratrum nomine in s. scriptura Christiani continuo appellari solent. Rom. 1. 13; 7, 1. 4; 1. Cor. 1. 10; 1. Petr. 1. 22; 2. 17. etc. Porro omnes simul familiam Dei constituimus.[1])

3. — Tantae dignitati, ad quam per Christi gratiam elevamur, mores nostros conformemus, necesse est. Pulcherrime s. Leo M. monet: „*Deponamus veterem hominem cum actibus suis; et adepti participationem generationis Christi carnis renuntiemus operibus. Agnosce, o Christiane, dignitatem tuam, et divinae consors factus naturae noli in veterem vilitatem degeneri conversatione redire. Memento, cujus capitis et cujus corporis sis membrum. Reminiscere, quia erutus de potestate tenebrarum translatus es in Dei lumen et regnum.*“[2])

Ecquidem 1. cum simus filii Dei adoptivi, filiali obsequio Deo, Patri nostro, adhaerere debemus, signanter per fidem, spem et charitatem. Concil. Trid. Sess. VI. cap. 7. — 2. Nedum animam, verum etiam corpus tamquam membrum Christi et templum Spiritus sancti revereri, ac proinde illud purum ab omni immunditia servare, bonis operibus sanctificare, totumque obsequio Dei mancipare debemus. 1. Cor. 6. 20. — 3. Tenemur nos invicem honorare et fraternitatis amore ex simplici corde diligere 1. Petr. 1. 22; 2. 17. — Et haec omnia quasi summatim in sequenti Domini monito continentur: „*Estote ergo vos perfecti, sicut et pater vester coelestis perfectus est.*“ Matth. 5. 48; enimvero filius est imago patris, imago autem suum exemplar exprimere debet. Cumque perfectio vitae christianae essentialiter, ut suo loco demonstrabitur, consistat in charitate, ad quam, veluti ad finem suum omnes aliae virtutes, praecepta et consilia omnia referuntur: ideo summam obligationum, quibus ut filii Dei obstringimur, his duobus praeceptis maximis complexus est Christus Dominus: „*Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua. Hoc est maximum, et primum mandatum.*

[1]) De inaestimabili gratia adoptionis filiorum Dei scripsi in eph. theol. „*Linzer Quartalschrift*“ 1882. Heft 4., de spiritu adoptionis se manifestante in Ecclesia catholica tamquam familia Dei in iisdem ephem. 1883. Heft 1. et 2.

[2]) Serm. 1. de Nativitate Domini.

Secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum, sicut teipsum. In his duobus mandatis universa lex pendet, et prophetae." Matth. 22. 37—39. Marc. 12. 31.

4. — Relationes igitur, ad quas protoparentes erant elevati, nosque nihil merentes elevamur ob Christi merita per gratiam sanctificantem, in eo consistunt, quod sumus adoptivi Dei filii et haeredes, quod corpus est membrum Christi et templum Spiritus sancti, et quod proximi sunt nostri fratres et cohaeredes, ejusdem familiae Dei membra. Quae quidem relationes plane aliae sunt, quam illae, quae ordinem naturalem constituunt. Recole dicta §. 18. Unde habetur, quod probandum assumsimus, videlicet: *Praeter ordinem naturalem alius existit, a Deo primitus constitutus, et a Christo reparatus.*

5. — Observa, quod si tenueris hunc ordinem, pervenies ad beatitudinem supernaturalem, quae quippe in praesenti vita per se consistit in actibus fidei, spei et charitatis, et potius quidem in actibus charitatis quam in actibus spei et fidei, ex parte etiam in actibus ceterarum virtutum, nempe moralium, coll. §. 16. n. 7., quaeque in altera vita sita est in Dei visione, dilectione perfecta et fruitione. Quibus rursus confirmatur s. Augustini effatum: „*Ordo est, quem si tenuerimus in vita, perducet ad Deum*" (auctorem gloriae).

6. — *Pars II. Ordo nunc expositus est vere supernaturalis.* Veritas haec exinde praesertim manifesta redditur, quod relatio hominis ad Deum, ut filii adoptivi ad Patrem, facultatem et debitum naturae immense superat, sive spectemus hanc *relationem* ipsam, ad quam evehimur, sive *modum*, quo id praestatur, sive *bonum*, quod inde assequimur. Etenim 1. Nos naturâ non sumus, nisi servi Dei, ut §. 18. n. 2. probatum est. Atqui ex servis constitui filios Dei, perinde est ac ad tantam provehi dignitatem, quae plane omnem naturae facultatem vincit, quaeque nullo titulo ab homine exigi potest, sed libera et immensa Dei benevolentia superadditur. — 2. Christus solus naturaliter est Dei filius, nosque filii Dei adoptivi nonnisi per Dei gratiam efficimur.[1]) Per gratiam quippe sanctificantem nobis

[1]) S. Augustinus ait: „*Homo ad Dei similitudinem factus est, tamen, quia non est unius ejusdemque substantiae, non est verus filius et ideo fit gratia filius, qui non est natura.*" Contra Maximin. Lib. II. cap. 15. n. 2. S. Leo M. dicit: „*Tibi abjecto — per Incarnationem Verbi potestas data est, ut — qui ex corruptibili carne natus es, ex Dei spiritu renascaris, et obtineas per gratiam, quod non habebas per naturam, ut si Dei filium per spiritum adoptionis agnoveris, Deum Patrem audeas nuncupare.*" Serm. 21. cap. 5. Vide etiam Serm. 25. cap. 4. S. Petrus Chrysologus scribit: „— *audisti patrem Christi, hoc per substantiam crede: audisti patrem tuum, hoc crede per gratiam.*" Serm. 67. S. Gregorius M. ad Christi verba: „Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum" subdit: „*Ascendo ad Patrem meum, videlicet per naturam, et Patrem vestrum, per gratiam.*" In Evang. Lib. II. Homil. 25. n. 6. Doctor Angelicus: „— *adoptio non est proprium consequens naturam, sed consequens gratiam.*" 3. q. 23. a. 3. ad 3. Sic et alii omnes Catholici.

quodammodo communicatur natura divina (2. Petr. 1. 4.), quatenus regeneramur et renascimur ex Deo, ideoque novum quoddam esse, *esse supernaturale et veluti divinum* accipimus. Filiatio enim oritur ex quadam naturae communicatione.[1]) Hinc filiatio adoptiva est quaedam similitudo filiationis naturalis.[2]) Jamvero hic modus, quo adoptio nobis confertur, tam admirabilis est, quam adoptio ipsa, omnemque naturae facultatem et exigentiam immense excedit. — 3. Bonum, quod per adoptionem in futura vita consequemur, est haereditas coelestis, participatio beatitudinis divinae. Tantum vero bonum, ad quod capiendum idonei reddimur per adoptionem,[3]) omnem naturae proportionem superat, ut §. 16. n. 8. evicimus. — Itaque relatio nostra ad Deum, ut filiorum adoptivorum ad Patrem, tum in se spectata, tum quoad modum, quo efficitur, tum quoad finem, in quem confertur, vere supernaturalis est. Quae veritas infallibili Sedis Apostolicae judicio confirmatur; haec enim condemnavit sequentes Baji sententias: „*Humanae naturae sublimatio et exaltatio in consortium divinae naturae debita fuit integritati primae conditionis, et proinde naturalis dicenda est, et non supernaturalis.*" (Prop. 21.) „*Deus non potuisset ab initio talem creare hominem, qualis nunc nascitur.*" (Prop. 55.) Aeque proscripsit hoc Quesnelli placitum: „*Gratia Adami est sequela creationis et erat debita naturae sanae et integrae.*" (Prop. 35.) Porro, si protoparentibus ante lapsum gratia et filiatio adoptiva debita non erat, eo minus haec post lapsum hominibus

[1]) Scheeben: „Wir werden aus Gott gezeugt und ihm ähnlich durch eine uns accidentell mitgetheilte Form und Natur, wie der eingeborne Sohn vom Vater gezeugt wird, und ihm ähnlich ist durch die ihm substantiell und wesenhaft mitgetheilte Natur des Vaters." Natur und Gnade. S. 77. Vid. etiam: Die Mysterien des Christenthums. S. 359—373.

[2]) Ita enim s. Thomas tradit: „Sicut per actum creationis communicatur bonitas divina omnibus creaturis, secundum quandam similitudinem: ita *per actum adoptionis communicatur similitudo naturalis filiationis hominibus*, secundum illud Rom. 8. *Quos praescivit conformes fieri imaginis Filii sui.*" 3. q. 23. a. 1. ad 2. Rursus: „— *filiatio adoptiva est quaedam similitudo filiationis aeternae*, sicut omnia, quae in tempore facta sunt, similitudines quaedam sunt eorum, quae ab aeterno fuerunt. *Assimilatur autem homo splendori aeterni filii, per gratiae claritatem, quae attribuitur Spiritui Sancto. Et ideo adoptio, licet sit communis toti Trinitati, appropriatur tamen Patri ut actori, Filio ut exemplari, Spiritui sancto, ut imprimenti in nobis hujus similitudinem exemplaris.*" 3. q. 22. a. 2. ad 3.

[3]) Vid. S. Thom. 3. q. 23. a. 1.

debita est. Etenim „servi digni non fuimus, et ecce, filii Dei facti sumus.“ [1]) Si vero non debita, supernaturalis dicenda est.

Conditionem corporis, quatenus est membrum Christi et templum Spiritus sancti, supernaturalem quoque vocandam esse, exinde satis patet, quod ad hanc dignitatem nonnisi per gratiam sanctificantem sublimatur.

Denique per se liquet, relationem nostram ad alios homines, ejusdem dignitatis sublimis consortes, esse vere supernaturalem.

Sancti Ecclesiae Patres de ordine supernaturali per Christum reparato.

7. — Valde familiare ss. Patribus est, supernum et supernaturalem ordinis salutis a Christo reparati characterem nedum simpliciter eloqui, sed etiam magnifice evolvere; idque diversis modis efficere solent. Totam hujus ordinis oeconomiam „mysterium“ appellant, „causam reparationis nostrae“ dicunt non esse nisi „gratuitam Dei misericordiam,“ adeoque opus redemptionis esse „sublimissimum divinae misericordiae sacramentum“ atque prorsus „ineffabile“: docent „Christum factum esse hominem nostri generis, ut nos divinae naturae possimus esse consortes,“ eum „nostra suscepisse, et sua nobis contulisse, humana quaesivisse, praestitisse divina,“ Deum hominem factum „nos ad divina sublevasse, nos in suam gloriam transtulisse,“ tenent, „nos ampliora adeptos esse per ineffabilem Christi gratiam, quam per diaboli amiseramus invidiam;“ loquuntur de hominum Christo similium „deificatione“, admonent fideles, ut memores dignitatis, quam per Christum sunt adepti, Christum sequantur, „ut capiti sua membra conveniant“. — paucis, singulas, quibus ordo salutis constat, partes ita praedicant, ut supernaturalem et divinam ejusdem ordinis conditionem luce clarius designent. Id cum fusius quam ad nostrum scopum spectat, alii jam multis sanctorum Patrum eloquiis solerter collectis ostenderint, [2]) contenti sumus unum pro ceteris adducere sanctum Doctorem, Leonem Magnum, qui satis frequenter, et signanter (in Sermone XXI. (in Nativitate Domini II.) [3]) praeclarissime ac prorsus divine hanc eddisserit doctrinam. Sic autem loquitur:

[1]) S. August. vel quisquis auctor sit Libri Meditationum cap. 16.

[2]) Praeprimis hoc praestitit clariss. Clem. Schrader in op. praestantissimo: De triplici ordine Commentarius. Vindobonae 1864.

[3]) Inter opera ipsius edit. Tyrnaviae 1766. Par. 1.

„Advenientibus temporibus, dilectissimi, quae redemptioni hominum fuerant praestituta, ingreditur haec infima Jesus Christus Dominus noster, de coelesti sede descendens, et a paterna gloria non recedens, novo ordine, nova nativitate generatus. *Novo ordine*, quia invisibilis in suis, visibilis factus est in nostris. Incomprehensibilis voluit comprehendi. Ante tempora manens, esse coepit ex tempore. Universitatis Dominus servilem formam obumbrata majestatis suae dignitate suscepit. Impassibilis Deus non dedignatus est homo esse passibilis, et immortalis mortis legibus subjacere. *Nova* autem *nativitate* genitus est, conceptus a virgine, natus ex virgine, sine paternae carnis concupiscentia, sine maternae integritatis injuria. — — Quum igitur misericors omnipotensque Salvator ita susceptionis humanae moderatur exordia, ut virtutem inseparabilis a suo homine deitatis per velamen nostrae infirmitatis absconderet, illusa est securi hostis (diaboli) astutia, qui nativitatem pueri in salutem generis humani procreati, non aliter sibi, quam omnium nascentium putavit obnoxiam. — Intulit contumelias, multiplicavit injurias, adhibuit maledicta, opprobria, blasphemias, convicia: omnem postremo in ipsum vim furoris sui effudit. — (Sed) fortis ille nectitur suis vinculis, et omne commentum maligni in caput ipsius retorquetur. Ligato principe, captivitatis vasa rapiuntur. Redit in honorem suum ab antiquis contagiis purgata natura: mors morte destruitur, nativitas nativitate reparatur, quoniam simul et redemptio aufert servitutem, et regeneratio mutat originem, et fides justificat peccatorem.

Quisquis igitur Christiano nomine pie et fideliter gloriaris, reconciliationis hujus gratiam justo perpende judicio. Tibi enim quondam abjecto, tibi extruso a paradisi sedibus, tibi per longa exilia morienti, tibi in pulverem et cinerem dissoluto, cui jam non erat spes ulla vivendi: per Incarnationem Verbi potestas data est, ut de longinquo ad tuum revertaris auctorem, recognoscas parentem, liber efficiaris ex servo, de extraneo proveharis in filium; ut qui ex corruptibili carne natus es, ex Dei spiritu ranascaris et obtineas per gratiam, quod non habebas per naturam, ut si Dei filium per spiritum adoptionis agnoveris, Deum Patrem audeas nuncupare. Malae conscientiae reatu absolutus ad coelestia regna suspires: voluntatem Dei facias divino fultus auxilio: imiteris Angelos super terram: immortalis substantiae virtute pascaris, securus adversus inimicas tentationes pro pietate confligas, et si coelestis militiae Sacramenta servaveris, non dubites te in castris triumphalibus regis

aeterni pro victoria coronandum; cum te resurrectio piis parata susceperit in regni coelestis consortium provehendum. Habentes ergo tantae spei fiduciam, dilectissimi, in fide, qua fundati estis, stabiles permanete, ne idem ille tentator, cujus jam a vobis dominationem Christus exclusit, aliquibus vos iterum seducat insidiis. — *Reformationis humanae sacrum divinumque mysterium* sancto atque sincero honorate servitio. Amplectimini Christum in nostra carne nascentem, ut eundem Deum gloriae videre mereamini in sua majestate regnantem: Qui cum Patre et Spiritu sancto manet in unitate Deitatis in saecula saeculorum. Amen."

§. 20.

De comparatione ordinis supernaturalis ad ordinem naturalem.

1. — I. *Ordo supernaturalis est perfectio specifica ordinis naturalis.* Dico: 1. *perfectio*, nam ordo naturalis correspondet naturae, supernaturalis transcendit naturam (i. e. debitum et facultatem naturae); quod autem est supra naturam, non tollit, sed perficit naturam.[1]) Dico 2. *specifica* i. e. hac perfectione essentialiter differt ab ordine naturali; quod patet, si utriusque ordinis partes constitutivae ad invicem comparentur; profecto enim conditio servi atque status filii adoptivi, fides supernaturalis, magisque visio Dei per essentiam et abstracta Dei cognitio naturalis, charitas seu amor supernaturalis perfectus et dilectio Dei naturalis, plane diversae speciei sunt; sicuti virtutes morales ordinis naturalis seu acquisitae et virtutes morales ordinis supernaturalis seu infusae nullatenus in eadem specie versantur.[2])

Consectaria:

a) *Ordo supernaturalis naturali nequaquam repugnat, licet alius sit, quam hic;* quia, ut diximus, naturalem perficit; perfectio autem perfectibili non repugnat.[3]) Adde, quod uterque a Deo descendit,

[1]) Vid. s. Thom. 1. q. 1. a. 8. ad 2. Porro in Lib. III. Sent. Dist. 29. q. 1. a. 7. ait: „caritas (amor supernaturalis perfectus) ordinem naturae non mutat, sed perficit." Rursus in Lib. III. Dist. 31. q. 2. a. 3. „Gloria perficit naturam."

[2]) Colligitur ex d. Thom. 1. 2. q. 50. a. 5. ad 3.; q. 63. a. 4.

Quo sensu ab antiquioribus theologis ordo supernaturalis dicatur *complementum* ordinis naturalis, nostrum non est discutere. Adeatur doct. Schäzler: Natur und Uebernatur, 1. Abth. cap. 4. Mainz 1865.

[3]) De utriusque ordinis concordia v. Schrader op. c. pag. 121. et seq.

Deumque, ut finem supremum, licet diverso modo respicit. Sic e. g. fides est quidem supra, sed non contra rationem, nullaque umquam inter utramque vera dissensio esse potest (Conc. Vat. Sess. 3. cap. 4.); item inter Ecclesiam et societatem civilem, licet sint diversi ordinis, porro inter potestates, quibus utraque regitur, nulla oppositio est.

b) *Ordo supernaturalis praesupponit ordinem naturalem;* quia ejus perfectio est, perfectio namque perfectibile supponit. Sic adoptio filiorum praesupponit creaturam rationalem, fides praesupponit cognitionem naturalem, gratia naturam rationalem.[1]) Hinc ordo supernaturalis recte vocatur *superadditus*, nempe naturali,[2]) et everso ordine naturali etiam supernaturalis ordo totus evertitur. Sic e. g. si affirmes, rationem naturalem omnia vera infallibiliter cognoscere, vel neges, rationem assequi ullam veritatem certo posse: illico fides aut non est amplius necessaria aut impossibilis evadit. Si affirmes, hominis voluntatem ex sese ad omnes cujuscunque bonitatis actus valere, aut neges, voluntatem libertate excellere; illico reddes aut inutilia auxilia divina aut impossibilia merita.[3])

c) *Ordo naturalis in se spectatus est perfectus,*[4]) *imperfectus tamen, si comparetur ad supernaturalem,* qui quippe illi superaddit novam formam,[5]) specificam nimirum perfectionem, ut vidimus. Sic magnum bonum est conditio hominis tamquam servi Dei, quamvis immense majus bonum sit status ejus tamquam filii Dei adoptivi; virtutes naturales in se sunt perfectae, imperfectae in comparatione ad virtutes supernaturales.[6])

[1]) S. Thomas: „Adoptari soli convenit creaturae rationali." 3. q. 23. a. 3. c. „Cum igitur gratia non tollat naturam, sed perficiat: oportet, quod naturalis ratio subserviat fidei, sicut et naturalis inclinatio voluntatis obsequitur charitati." q. 1. a. 8. ad 2. „Sic fides praesupponit cognitionem naturalem, ut gratia naturam, et ut perfectio perfectibile." 1. q. 2. a. 2. ad 1.

[2]) Cornel. a. Lapide in Eccli. c. 24. v. 1. et 2. „*Ordo naturae creatus et institutus est propter ordinem gratiae.*" Patiss S. J. Das Leben des Gottmenschen Jesus Christus S. 399. Wien 1865.

[3]) Schrader: De unitate Romana P. II. pag. 360. 361.

[4]) S. Thomas: „*Ad perfectionem etiam universi sufficit, quod naturali modo creatura ordinetur in Deum.*" 3. q. 1. a. 3. ad 2.

[5]) Idem: „— *natura comparatur ad charitatem, — sicut materia ad formam.*" 2. 2. q. 2. a. 9. ad 1. „*Quaelibet enim res ad id, quod supra ipsam est, materialiter se habet.*" Contra Gent. Lib. III. cap. 149. „*Id, quod praesupponitur, se habet tamquam materiale ad id, quod subsequitur, tamquam informans.*"

[6]) Ordo naturalis ad supernaturalem se habet, non sicut germen ad plantam,

2. — II. *Ordo supernaturalis est proprie ordo salutis,* quia ad supernaturalem finem nati sumus, cui ordo gratiae respondet. Nimirum sola est gratia, qua salvamur.[1]) Attamen *et naturalis ordo requiritur ad salutem,* quia substernitur ordini supernaturali, ejusdemque conditionem necessariam constituit, ut superius dictum est.[2]) Ideoque etiam debemus gratiae divinae cooperari per vires nostrae naturae, nobisque vim inferre, porro tam gratiae quam naturae bona et adjumenta humana adhibere ad nos, aliosve salvandos. Attendantur hic praeprimis verba S. P. Leonis XIII. in celeberrima Encycl. die 4. Aug. 1879. ita docentis: „— *etiam in praesens ab omnipotenti potissimum virtute et auxilio Dei expectandum, ut mortalium mentes, sublatis errorum tenebris, resipiscant. Sed neque spernenda, nec posthabenda sunt naturalia adjumenta, quae divinae sapientiae beneficio hominum generi suppetunt; quibus in adjumentis rectum philosophiae usum constat esse praecipuum.*“ Aliis quoque et diversis adjumentis naturalibus et humanis praeter media supernaturalia et divina solerter usi sunt multi Sancti e. g. Franc. Xav., Francisc. Sal. ad convertendos infideles et peccatores.

3. — III. *Ordo naturalis et ordo supernaturalis Dei voluntate necessario inter se cohaerent,* ita ut ordo naturalis subserviat ordini supernaturali et una cum hoc ordine referatur ad finem supernaturalem, ad quem creati sumus. Ex dictis sufficienter liquet, et adprime eo confirmatur, quod P. M. Pius IX. in Allocutione die 9. Juni 1862. habita solemniter condemnavit temeritatem eorum, *qui plane destruunt necessariam illam cohaerentiam, quae Dei voluntate inter utrumque ordinem, qui tum in natura, tum supra naturam est, intercedit.* Hinc nefas est, spreta revelatione supernaturali solam sectari rationem, scientias naturales nullo revelationis respectu habito pertractare, statum politicum, familiam, scholam sejungere ab Ecclesia et religione catholica etc.: nec sufficit, more humano vivere, sed necesse est, more christiano vivere.

---

sed sicut arbor naturali germini relicta ad arborem insitione nobilitatam (wie der seiner Natur überlassene Baum zu dem durch Pfropfung veredelten. Rom. 11. 17., 24.) Vid. Kleutgen: Die Theol. der Vorzeit, III. B. S. 658. 659.

[1]) S. Bernardus: In Nativit. B. Mariae V. Serm. de Aquaeductu n. 7.

[2]) S. Thomas: „*Ad beatitudinem consequendam duo requiruntur, natura et gratia.*“ 1. q. 73. a. 1. ad 1. — Videatur cl. Schrader: De triplici ordine n. 123. (pag. 123. 124.) Vindob. 1864, ubi inter alia dicit: „Tantum abest, ut supernaturale pessundet naturam, ut haec illius sit necessaria conditio.“

S. Bernardus de bonis naturalis et supernaturalis ordinis.

4. — „Naturalia bona magna, spiritualia majora, sed maxima sunt aeterna; in primis reparamur, in secundis exercitamur, extendimur et beatificamur in tertiis. Si non potes oculum meditationis in illam sublimitatem aeternalium bonorum infigere, quia distantia sunt et omnem sensum exsuperant: in bonis gratiae, quae sunt in exercitio virtutum, visum reflecte, ut videas, quam purae conscientiae, quam liberae frontis sit versari in castitate et charitate, in patientia et humilitate, ceterisque virtutibus, quae amabilem Deo, placabilem et imitabilem hominibus reddunt. Quod si et haec nimis sublimia sunt, et transgredientia infirmitatem tuam; demitte oculos tuos in bona naturae, quae tibi tam familiaria esse debent, quantum tu familiaris es tibi. — — Haec cogitemus, haec ruminemus, Fratres, et juxta praeceptum Legis (Levit. 11. 3.) revocemus ruminationem, quia sic vivitur, et in talibus vita spiritus nostri. Sic enim cogitatio sancta servabit nos, ut dicamus cum Sancto: „*Meditatio cordis mei in conspectu tuo semper, Domine adjutor meus, et redemptor meus.* Ps. 18. 15.“ [1])

* Clemens Schrader S. J.: De triplici Ordini, naturali, praeternaturali et supernaturali Commentarius. Vindobonae, 1864. M. Jos. Scheeben: Natur und Gnade. Versuch einer systematischen, wissenschaftlichen Darstellung der natürlichen und übernatürlichen Lebensordnung im Menschen. Mainz, 1861. Constantin. de Schäzler: Natur und Uebernatur (polemice contra theologum Kuhn). Mainz, 1865. Abbé Gridel: Instructions sur l'ordre surnaturel et divin ou déification de l'homme par la grace. Lyon. 1861. Matignon S. J.: La question de surnaturel. Paris, 1861. Abbé Cros: Études sur l'ordre naturel et sur l'ordre surnaturel. Montpellier 1861.

---

[1]) Serm. XVI. n. 1. et 7.

TRACTATUS II.

De bono et malo morali.

Ingressio.

Per considerationem finis et ordinis fundamentum solidum positum est explicationi boni moralis et quod huic oppositum est, mali moralis. Id enim generatim bonum, quod convenit fini et ordini; et quod ab utroque discrepat, malum est. Sed haec in praesentiarum accuratiori indagini et discussioni subjiciamus oportet.

Quare sermo nobis erit 1. de natura boni in genere, et boni moralis in specie; 2. de conditione mali in genere, et mali moralis in specie; atque 3. de varia distinctione tum boni tum mali moralis.

§. 21.

De natura boni in genere, et boni moralis in specie.

1. — Sapienter magnus s. Augustinus dicit: *„Omne, quod est, in quantum est, bonum est.“* [1])

Omni enti convenit verum, bonum et pulchrum. Et quidem 1. relate ad Deum ens dicitur *verum*, quatenus intellectui divino, ut suo principio, concordat,[2]) *bonum*, quatenus Deo, ut fini suo supremo, congruit,[3]) *pulchrum*, quatenus ut verum et bonum debitam proportionem seu consonantiam cum suo principio et fine, nempe Deo, atque nitorem seu decorem exinde consequentem prae se fert; illa enimvero perfecta omnibusque numeris absoluta consonantia, adaequatio, — vel quocunque nomine illam congruentiam velis adpellare, — cum claritate sibi conjuncta rem reddit speciosam, suavem, placentem; quare pulchrum est veri simul ac boni splendor et decor. — 2. Relate ad hominem ens dicitur *verum*, quatenus cognoscibile,[1]) *bonum*, quatenus appetibile,[2]) *pulchrum*, quatenus delectabile est.[3]) Verum est objectum intellectus, bonum objectum facultatis appetendi, pulchrum est objectum intellectus et appetitus,[4]) seu ut recentiores dicere consueverunt, gustus. Praecedit notio entis, quam excipit notio veri; et hanc sequitur notio boni, et postremo notio pulchri.[5]) Quemadmodum sine vero non est bonum, ita sine vero et bono non est pulchrum.[6])

[1]) Quaest. divers. 83.; q. 24.

[2]) S. Thomas: „Veritas rerum est, secundum quod conformantur suo principio, scilicet intellectui divino.“ 1. q. 16. a. 5. ad 2. Vide etiam 1. q. 16. a. 6. q. 17. a. 1.; 1. 2. q. 93. a. 1.

[3]) Doctor Angelicus: „Finis ultimus est, a quo omnia rationem boni accipiunt.“ Contra Gent. Lib. I. cap. 40. n. 3. Vide infra n. 4.

[1]) S. Thom. 1. q. 16. a. 3. et 4.

[2]) S. Thomas: „Ratio boni in hoc consistit, quod aliquid sit appetibile.“ 1. q. 5. a. 1. „Convenientiam entis ad appetitum exprimit hoc nomen *bonum:* unde in principio Ethic. dicitur: *Bonum est, quod omnia appetunt.“* De veritate q. 1. a. 1. et al. saepissime.

[3]) S. Augustinus: De vera religione cap. 32. n. 59. S. Thomas: „Pulchra dicuntur, quae visa *placent:* unde pulchrum in debita proportione consistit, quia sensus *delectatur* in rebus debite proportionatis, sicut in sibi similibus.“ 1. q. 5. a. 4. ad 1.

[4]) Dicit Angelicus: „In delectatione (quae est effectus pulchritudinis) duo sunt, scilicet *perceptio* convenientis, quae pertinet ad apprehensivam potentiam; et *complacentia* ejus, quod offertur ut conveniens, et hoc pertinet ad appetitivam potentiam, in qua ratio delectationis completur.“ 1. 2. q. 11. a. 1. ad 3. Vide etiam q. 34. a. 1. c.

[5]) S. Thomas: 1. q. 5. a. 2.; q. 16. a. 4. et alibi passim.

[6]) Non omnes auctores recentiores, qui de pulchri natura disseruerunt, in eadem definienda conveniunt. Quapropter haud absque re erit, Sanctos Ecclesiae Doctores, qui pulchri essentiae explicandae non defuerunt, studiose consulere.

S. Ambrosius: In Hexaëmeron Lib. II. cap. 5. n. 21. scribit: *„Illa est enim vera pulchritudo, et in singulis membris esse, quod deceat, et in toto; ut in singulis gratia, in omnibus formae convenientis plenitudo laudetur.“*

S. Basilius: In Psalm. 44. *„Pulchrum est, quod in membrorum compositione concinne ac decenter aptatum est atque efflorescentem habet gratiam.“* Cf. In Hexaëm. Hom. II. n. 7.

S. Augustinus: Epist. 18. (al. 63.) n. 2. *„Omnis pulchritudinis forma unitas est.“* Serm. 103. (al. 26., de verbis Domini) n. 4. *„Videte, in ipsa multitudine si delectat, nisi unum.“* De Civ. Dei Lib. 22. cap. 19. *„Omnis corporum pulchritudo est partium congruentia cum quadam coloris suavitate.“* Lib. VI. de Trinitate cap. 10. pulchritudinis rationem in quadam *„congruentia“*, adaequatione reponit. De vera Relig. cap. 41. n. 77. ait: *„Nihil est ordinatum, quod non sit pulchrum.“*

S. Thomas haec habet: *„Ad pulchritudinem tria requiruntur: Primo quidem integritas sive perfectio: quae enim diminuta sunt, hoc ipso turpia sunt; et debita proportio sive consonantia; et iterum claritas, unde quae habent colorem nitidum, pulchra esse dicuntur.“* 1. q. 39. a. 8. c. *„Pulchrum in debita proportione consistit: quia sensus delectatur in rebus debite proportionatis.“* 1. q. 5. a. 4. ad 1. *„— ad rationem pulchri seu decori concurrit et claritas et debita proportio.“* 2. 2. q. 145. a. 2. c. *„Pulchritudo consistit in quadam claritate et debita pro-*

Jamvero, cum bonum et ens sint idem secundum rem, et differant tantum secundum rationem seu ideam, ideo optime s. Augustinus: „*Omne, quod est, in quantum est, bonum est.*"

Igitur *bonum generaliter sumptum id est, quod fini suo respondet.* Porro, cum adeptio finis, ut in praecedentibus probavimus, pendeat ab observantia ordinis sensu strictiori accepti: hinc bonum etiam definiri potest *id, quod conforme est ordini a Deo stabilito.* Haec primaria est boni ratio, in qua et ss. Patres et Theologi spectatissimi conveniunt, ut inferius n. 4. videbis.

2. — *Bonum primarie dividitur in substantiale et accidentale.*[1]) Ratio est, quia etiam ens (das Seiende), a quo quippe bonum non differt realiter, est vel substantia (aliquid per se existens) vel accidens (aliquid in altero subsistens).

a) *Bonum substantiale* est ipsa substantia seu natura rei, quatenus congruit ordini universi, quem Deus ad sui gloriam hominumque beatitudinem fixit.[2]) Hinc in s. scriptura dicitur: „*Vidit Deus cuncta, quae fecerat, et erant valde bona.*" Gen. 1. „*Omnis creatura Dei bona est.*" 1. Tim. 4. 4. S. Augustinus[3]) ait: „*Omnis natura,*

portione" 2. 2. q. 180. a. 2. ad 3. — Cf. etiam 3. q. 87. a. 2. ad 3.

S. Bonaventura dicit: „*Pulchritudo nihil est aliud, quam aequalitas numerosa, seu quidam partium situs cum coloris suavitate.*" — „*Pulchritudo et delectatio non sunt absque proportione.*" Itinerarium mentis ad Deum. cap. 2.

In hoc igitur praelaudati ss. Doctores consentiunt, quod pulchri rationem reponunt in debita plurium proportione, congruentia, unitate, nec non in quadam claritate, coloris suavitate, gratia. Primum constanter asserunt, alterum non sic. Principalius enim a debita proportione, quam a claritate pulchritudinis vis pendere videtur, quandoquidem claritas, seu coloris suavitas seu decor et gratia est concomitans vel consequens debitam proportionem; ut praeprimis videre licet in pulchritudine spirituali, quae in eo consistit, quod conversatio vel actio hominis sit bene proportionata secundum legem divinam et claritatem habeat ex refulgentia luminis divini (cf. d. Thom. 2. 2. q. 145. a. 2. c.; 1. 2. q. 86. a. 1.); quae quidem claritas praeexigit praedictam proportionem; ex conjunctione enim cum Deo sequitur refulgentia divini luminis. Et idem plane valet de omni alia pulchritudine, si consideretur ad Deum, causam universalem omnium, respectu habito.

Hac fusiore expositione me simul vindicasse puto definitionem pulchri a me supra propositam.

[1]) S. Thomas: „Omnia existentia, in quantum sunt, bona sunt. Ipsum enim esse cujuslibet rei bonum est, et similiter quaelibet perfectio illius." 1. q. 20. a. 2. „Aliquid dicitur esse bonum, non solum secundum quod agit, sed etiam secundum quod in sua essentia perfectum est." 1. q. 21. a. 1. ad 4.; 1. 2. q. 85. a. 4.

[2]) S. Bonaventura: „Bonitas substantialis non addit supra formam novum esse, sed solum relationem ad finalem casuam." Disp. in Lib. II. Sent. Dist. 1. Par. 2. Dub. 2. S. Thomas: 1. q. 47. a. 2. ad 1.; q. 49. a. 3.

[3]) De natura boni contra Manichaeos cap. 1. et 4.

in quantum natura est, bonum est. Mala natura dicitur, quae corrupta est. Sed etiam ipsa corrupta, in quantum natura est, bona est, in quantum corrupta est, mala est."

b) *Bonum accidentale* dicitur qualitas enti superveniens idque perficiens convenienter ordini suo et fini a Deo statuto. Duplex est, *materiale* e. g. fertilitas agri, sanitas corporis, et *morale*, nempe virtus; quatenus ordini materiali aut morali correspondet.[1])

Hinc natura boni moralis sita est in conformitate voluntatis vel actionis cum ordine morali a Deo in sui honorem hominisque felicitatem stabilito. Quae definitio ex praedictis fluit, et ex doctrina ss. Patrum et Theologorum confirmatur, ut inferius n. 4 videre licet.[2])

Cumque finis et ordo duplex sit, naturalis et supernaturalis: hinc duplex quoque bonum morale distinguitur, *naturale* et *supernaturale.*

3. — Bonum generatim, ut diximus, ex congruentia ad finem ultimum determinatur. Hinc infertur, tanto praestantius et amore dignius esse aliquod hominis bonum, quanto propinquius est huic fini.[3]) Unde consequenter bonum honestum seu morale, virtuosum, praestat ceteris animae bonis, haec vero bonis corporis supereminent, bona denique corporis bonis exterioribus antecedunt.[4])

[1]) Angelicus Doctor apte discernit bonum simpliciter tale, et bonum secundum quid. Unumquodque ens, inquit, quatenus habet bonitatem substantialem (seu esse substantiale), est *bonum secundum quid;* quatenus autem amplius habet omnem bonitatem accidentalem, quam habere debet („ultimam perfectionem"), est *bonum simpliciter.* Sic e. g. homo virtutibus spoliatus vitiisque deditus, dicitur bonus secundum quid, scilicet in quantum est ens, utpote homo, non autem bonus simpliciter; virtutibus autem debitis ornatus est bonus seu perfectus simpliciter. Sum. Theol. 1. q. 5. a. 1. Contra Gent. Lib. III. cap. 20. Unde bene explicantur haec s. scripturae verba: „*Deum time, et mandata ejus observa; hoc est enim omnis homo.*" Ecc. 12. 13.

[2]) Bonitatis ex ordine derivatio ipsi s. scripturae congruit 1. Cor. 14. 40. Coloss. 2. 5., 2 Thess. 3. 6., ubi observatio ordinis tamquam bonum commune laudatur et urgetur. Vid. s. Chrysost. in 1. Cor. Homil. 37.

[3]) S. Thomas 1. 2. q. 106. a. 4. Contra Gentes Lib. III. cap. 141.

[4]) S. Ambrosius dicit: „Prima sunt, quae sunt animae bona: secunda, quae corporis, id est salus, virtus, pulchritudo, formae gratia: tertia sunt, quae accidunt, hoc est, divitiae, potestates, patria, amici, gloria." Lib. II. de Abraham cap. 6. n. 33. S. Thomas: „Bonum exteriorum rerum est infimum inter humana bona. Est enim minus, quam bonum corporis, quod etiam minus est, quam bonum animae, quod exceditur a bono divino." 2. 2. q. 118. a. 5. c.

Doctrina ss. Patrum atque Theologorum de boni natura.

4. — S. Augustinus in op.: De natura boni cap. 3. docet, rationem *boni* consistere *in modo, specie et ordine.* Quae verba Doctor Angelicus explicans (1. q. 5. a. 5; q. 45. a. 7; 1. 2. q. 85. a. 4.) dicit, per speciem significari formam, per quam unumquodque est, quod est; sub modo intelligi mensuram, nempe attributa, quae exiguntur ad speciem seu formam alicujus rei constituendam; sub ordine indicari ordinationem et tendentiam rei ad finem. Hinc dici potest, ex mente s. Augustini bonum consistere formaliter in *ordine* seu in congruentia rei cum ordine et fine, fundamentaliter in *specie* et *modo,* quibus entitas rei designatur, quia bonum est proprietas entis, et „ens secundum rationem est prius, quam bonum", ut secundum d. Thomam (1. q. 5. a. 2.) supra n. 1. diximus. Clarius idipsum aliis in operibus s. Ecclesiae Doctor enuntiat: *„Bene agit anima rationalis, si ordinem servet."* Lib. ad Honoratum seu epist. 140. c. 3. n. 4. *„Definitio brevis et vera virtutis: ordo est amoris."* De Civit. Dei Lib. XII. cap. 8. *Justitia est, ut serviens Deo animus corpori, inque ipso animo ratio Domino Deo subdita libidini vitiisque ceteris ordine legitimo imperet.* De Civit. Dei Lib. XIX. cap. 23. n. 5. coll. cap. 22. n. 2. *„Quod mutatur in melius, non quia manebat, mutatur, sed quia pervertebatur in pejus, id est, ab essentia deficiebat. Mutantur ergo quaedam in meliora, et propterea tendunt esse; nec dicuntur ista mutatione perverti, sed reverti atque converti. Perversio enim contraria est ordinationi. Haec vero, quae tendunt esse, ad ordinem tendunt: quem cum fuerint consecuta, ipsum esse consequuntur, quantum id creatura consequi potest."* De morib. Manichaeor. Lib. II. cap. 6. n. 8. Ergo ex mente s. Augustini ea, quae in meliora mutantur, tendunt esse (appetunt perfectionem, plenitudinem essendi), et eo ipso, quod tendunt esse, ad ordinem tendunt; quare bonum in tendentia et convenientia ad ordinem consistit.

S. Bernardus scribit: *„Affectiones ordinatae virtutes sunt, inordinatae, perturbationes."* De diversis Serm. 50. n. 3. Amplius: De gratia et libero arbitrio cap. 6 n. 17. *„— optima est voluntas in sui ordinatione. Est autem ordinatio omnimoda conversio voluntatis ad Deum, et ex tota se voluntaria devotaque subjectio."* De gratia et libero arbitrio cap. 6. n. 19.

S. Thomas: *„Finis ultimus est, a quo omnia rationem boni accipiunt."* Contra Gent. Lib. I. cap. 40. n. 3. *„Tanto est unumquodque perfectius, quanto est ultimo fini propinquius."* 1. 2. q. 106. a. 4. *„Bonum in ordine consistit."* 2. 2. q. 114. a. 1. c. *„Cum bonum secundum August. in libro de Natura boni cap. 3. consistat in ordine, necesse est, specialem rationem boni considerare ex determinato ordine."* 2. 2. q. 109. a. 2. c. *„Sicut bonum uniuscujusque est, ut in suo ordine consistat: ita malum uniuscujusque est, ut suum ordinem deserat."* 2. 2. q. 19. a. 11. *„Bonum et malum dicitur secundum ordinem ad finem, vel privationem ordinis."* Contra Gent. Lib. III. cap. 9. Dicit, *bonum universi consistere in ordine rerum tum ad se invicem, tum ad Deum.* Quaest. 7. de Potent. art. 3. *„Peccatum proprie nominat actum inordinatum, sicut actus virtutis est actus ordinatus."* Summa Theol. 1. 2. q. 71. 1. c.

S. Bonaventura dicit: *„Bonum in creatura dicitur per ordinationem ad finem. Unde bonum dicitur, quod est ordinatum in finem."* Disp. in Lib. II. Sent. Dist. XXXIV. a. 2. q. 2. resp. *„Omnis creatura constituitur in esse ab efficiente, et conformatur ad exemplar, et ordinatur ad finem; ac per hoc est una, vera, bona."* Breviloq. Par. II. cap. 1.

S. Alphonsus docet: *„Quidquid tendit ad Dei gloriam et veram hominis felicitatem, est conforme ordini a Deo statuto, et per consequens honestum et virtuosum. E contrario judicandum est de malo morali."* Tractat. de act. hum. art. 4. n. 34.

Lessius S. J. scribit: *„Ratio bonitatis consistit in eo, quod omnia secundum suam speciem sint congruentia ad finem, ad quem a Deo sunt instituta; qui potissimum est, declarare potentiam, sapientiam, bonitatem, et ceteras perfectiones sui Conditoris. Sicut enim omnis res dicitur vera ex conformitate ad suam causam exemplarem, ita dicitur bona ex congruentia ad suam causam finalem. Nec refert, quod nomina veri et boni ex hac consideratione rebus forte non sint ab initio imposita, et alia etiam ratione res verae et bonae dici possint; nos enim de primaria veritate et bonitate rerum loquimur. Considerandum etiam est, unicam in singulis rebus esse veritatem, sicuti est unica species, et unicum exemplar cujusque, cui res quaelibet conformatur. Est tamen multiplex bonitas, quia res quaelibet deservit ad multos fines inter se subordinatos, qui tamen omnes ad unum finem ultimum, nimirum gloriam Dei, reducuntur. Praecipua tamen bonitas rerum, a qua potissimum bonae dicuntur, est ex ordine et congruentia ad finem ultimum. Quo enim quaelibet res magis valet ad perfectiones divinas declarandas, eo est*

praestantior, et entitative melior." De perfectionibus moribusque divinis Lib. VI. cap. 4. n. 30. et 31.

§. 22.

De conditione mali in genere, et mali moralis in specie.

1. — Malum oppositum est bono; unde quid sit malum, accipere oportet ex ratione boni.[1]) Cumque bonum sit aliquid esse, hinc malum dicendum *non esse*. Negarunt hanc doctrinam Manichaei et Reformatores asserentes, malum esse substantiam. Sed rejiciendum est hoc commentum, et rejectum est a Concilio Florentino his verbis: „*Sacrosancta Romana Ecclesia — nullam mali asserit naturam, quia omnis creatura, in quantum natura est, bona est.*"[2]) Enimvero si natura vel quaecunque realitas esset malum, Deus auctor mali dicendus foret, quia est principium omnium rerum. Idipsum docent omnes ss. Ecclesiae Patres, quorum multos infra n. 4. referemus.

2. — Jam vero explicandum venit, quo sensu malum sit nihil. Hinc rursus ss. Patrum auctoritati secure innixi tradimus, malum ideo esse nihil, quia est inordinatio, adeoque privatio boni, hineque corruptio naturae.

1. *Malum est inordinatio.* Opponitur enim bono. Atqui hoc incongruentia ad ordinem a Deo stabilitum consistit. Ergo malum est inconvenientia seu difformitas ad hunc ordinem. In specie malum morale consistit in difformitate voluntatis vel actionis ad ordinem moralem a Deo statutum. Haec vero difformitas seu inconvenientia est defectus seu nihil.

2. *Malum est privatio boni, quod debet haberi, in natura.* Advertendum, quod non cujusvis boni privatio, sed privatio boni, quod adesse debet, et deest, dicitur malum. Sic e. g. non est malum, quod homo non habet fortitudinem leonis, velocitatem cervi; sed

[1]) S. Ambrosius: „Definitione enim boni malitia deprehenditur." Lib. de Isaac et anima cap. 7. n. 60. S. Augustinus: „Cognitio summi mali sine cognitione summi boni homini contingere non potest." De duab. animabus cap. 8. n. 8. S. Thomas: „— unum oppositorum cognoscitur per alterum, sicut per lucem tenebrae: unde et quid sit malum, oportet ex ratione boni accipere." 1. q. 48. a. 1. c. „Malum non est per se cognoscibile, quia de ratione mali est, quod sit privatio boni; et sic neque definiri, neque cognosci potest, nisi per bonum". 1. q. 14. a. 10. ad 4.

[2]) Apud Denzinger: Enchiridion, pag. 209. Ed. 4. 1865.

malum est caecitas seu absentia, privatio visus, qui quidem naturaliter deberet esse in oculo. In specie malum morale non est cujuscunque boni moralis e. g. angelicae perfectionis carentia in homine, sed privatio boni moralis, quod debet haberi, et facto non habetur. Porro illud bonum non est nisi conformitas ad ordinem moralem a Deo statutum seu ad ipsius voluntatem. In hujus igitur boni privatione seu in difformitate voluntatis vel actionis ad ordinem moralem, ad Dei voluntatem constituenda est malitia moralis. Quae difformitas seu privatio cum significet quemdam defectum, hinc malum nihil esse dicitur.

Malum est corruptio naturae. Sequitur ex praedictis. Cum enim malum sit privatio boni in substantia seu natura, ideo non potest non naturam ipsam vitiare, deformare et corrumpere. Corruptio vero defectum importat, adeoque malum rursus *non esse* merito appellatur.

3. — *Malum non est nisi in bono.* Ita s. Augustinus,[1]) quem d. Thomas,[2]) s. Bonaventura,[3]) aliique doctores[4]) communissime sequuntur. Ratio in promptu est. Si namque malum est inordinatio, privatio boni et corruptio, profecto rem supponit, quae deordinatur, bono seu perfectione privatur et corrumpitur; res vere est aliquod bonum.

Doctrina ss. Patrum et Doctorum de mali natura.

4. — S. Athanasius ait: „*Ethnicorum quidam aberrantes a via, et Christum ignorantes subsistere, per seque esse malitiam dixerunt, dupliciter peccantes, sive quatenus opificem privant eo, ut sit eorum, quae sunt, conditor: non enim eorum, quae sunt, Dominus erit, si malitia, ut illi putant, subsistentiam per se habet et essentiam; sive quatenus illum omnium conditorem statuentes, etiam mali esse necessario concedunt: quippe cum inter ea, quae sunt, malum ipsi numerent. Hoc vero perabsurdum esse, neque posse fieri videtur.*" Lib. contra Gentes cap. 7.

S. Basilius scribit: „*Non subsistit, sicut animal, iniquitas, neque illius essentiam subsistentem possumus dicere. Nam malum boni privatio est.*" Homil. Quod Deus non est auctor mali.

[1]) Enchirid. cap. 14.

[2]) Summa Theol. 1. q. 48. a. 3.

[3]) In Lib. II. Sent. Dist. 34. a. 2. q. 3., ubi sic concludit: „*Ponere malum aliquid esse, quod nihil de bono habeat, non solum est perversitatis haereticae, sed etiam manifestae caecitatis et stultitiae.*"

[4]) Sententiarii in Lib. II. Sent. Dist. 34., Summistae in 1. q. 48.

S. Ambrosius observat: „*Quid est malitia, nisi boni indigentia. Ex bonis mala orta sunt. Non enim mala sunt, nisi quae privantur bonis.*“ De Isaac et anima cap. 7. n. 60. „*Malitia nihil est.*“ De fuga saeculi cap. 4. n. 24.

S. Augustinus locupletissime de hoc argumento contra Manichaeos disputavit. Ex infinita locorum copia tantum pauca seligam. „*Est autem peccatum hominis inordinatio atque perversitas, id est, a praestantiore conditore aversio et ad condita inferiora conversio.*“ De divers. quaest ad Simplician. Lib. I. q. 2. n. 18. Rursus peccatum „*contra ordinem naturalem*“ esse dicit. De Civitate Dei Lib. XII. cap. 8. „*Ordinatio esse cogit, inordinatio vero non esse, quae perversio etiam nominatur atque corruptio. Quidquid igitur corrumpitur, eo tendit, ut non sit.*“ De morib. Manich. Lib. 2. c. 6. n. 8. Vide etiam c. 7. n. 9. et sq. „*Quid est autem aliud, quod malum dicitur, nisi privatio boni?*“ Enchirid. cap. 11. Vid. etiam cap. 12. et 13. „*Peccatum nihil est, et nihil fiunt homines, cum peccant.*“ In Joa. Evang. Tract. 1. n. 13. „*Mors vitae non est, nisi nequitia, quae ab eo, quod nequidquam sit, dicta est: et ideo nequissimi homines, nihili homines appellantur.*“ De vera Relig. cap. 11. n. 21. Vide Confess. Lib. VII. cap. 12. n. 18. De natura boni cap. 4. Contra epistolam Manich., quam vocant fundament. cap. 35. et sq. De libero arbitrio Lib. III. cap. 13. et 14. De Civitate Dei Lib. XI. cap. 9; Lib. XII. cap. 3.

S. Leo M. scribit: „*Fides vera, quae est catholica, omnium creaturarum, sive spiritualium, sive corporalium bonam confitetur substantiam, et mali nullam esse naturam, quia Deus, qui universitatis est conditor, nihil non bonum fecit.*“ Epist. 93. ad Turibium.

S. Fulgentius: „*Malum nihil aliud est, nisi privatio boni.*“ Lib. de fide ad Pet. cap. 21.

S. Gregorius Magn. haec habet: „*Peccans ordini interno renititur.*“ Lib. IX. Moral. cap. 5. n. 5. „*Res quidem aliquid habet esse, peccatum vero esse nullum habet. — Peccator, quia peccando ad nihil tendit, cum nihil illud, cui inhaesit, deserit, quasi ad esse redit.*“ Lib. V. in 1. Reg. cap. 4. n. 14.

S. Joannes Damascenus: „*Malum est ordinis dissipatio, perturbatio.*“ Dialog. contra Manich. n. 47. „*Malum est existentiae privatio; quod perinde est, quam nihil.*“ De fide orthod. Lib. I. cap. 12. „*Malum nihil aliud est, quam privatio boni.*“ Ibid. Lib. IV. cap. 21.

S. Petrus Damiani: „*Mala autem quaelibet, sicut sunt iniquitates et scelera, etiam cum videntur esse, non sunt, quia a Deo non sunt, ac propterea nihil sunt.*“ — „*Mala ergo etiam, cum videntur esse, non sunt, et ab eo, qui vere et summe est, procul sunt.*“ Opusc. 36. cap. 9.

S. Anselmus observat: „*Malum esse, est non habere justitiam, quam debet habere, quod non est aliquid. Justitia quippe est aliquid; injustitia vero nihil.*“ De Conc. praescientiae Dei cum libero arbitrio cap. 7.

S. Bernardus animadvertit: „*Nihil sunt — molestia, morbus et ipsa mors, etiam et peccatum, quae quidem constat, naturas non esse, sed naturae corruptiones.*“ Serm. 1. de diversis n. 6. „— *Nihil magis remotum ab eo, a quo, et per quem, et in quo sunt omnia, quam peccatum, quod nihil est inter omnia.*“ Serm. 8. de divers. n. 2.

S. Franciscus Sales.: „*Le désordre est un péché, comme le péché est un désordre.*“ Theot. Liv. XI. cap. 13.

S. Thomas veritatem, de qua agimus, profundissime demonstrat in Summa Theol. 1. q. 48. a. 1—4. In II. Libr. Sent. Dist. 34. q. 1. a. 2. et 3.

Item s. Bonaventura: In Lib. II. Sent. Dist. 34. a. 1. q. 2.; a. 2. q. 1. et 3.

His concordant Theologi antiquiores omnes, inter quos late de malo disserunt: Petavius: De Theologicis dogmatibus, Tom. I. De Deo Deique proprietatibus Lib. VI. cap. 4. Suarez: Metaphysica Disp. XI., et: in primam secundae d. Thomae Tract. III. Disp. VII. Sect. 3.—6. Vasquez: In primam secundae d. Thomae Disp. 95.

§. 23.

De varia boni malique moralis distinctione.

1. — Bonum et malum morale duplex est, scilicet intrinsecum et extrinsecum.

I. *Intrinsece bonum* id dicitur, quod natura sua convenit ordini recto, ita ut aut necessario praecipi debeat, aut merito consuli possit. Sic e. g. intrinsece bona sunt actus fidei, spei et charitatis, obedientia erga superiores, actus temperantiae, quia ad servandum rectum ordinem erga Deum, proximum et semetipsum sunt neces-

saria. Item evangelica paupertas, votum castitatis, votum obedientiae, quia multum conducunt ad rectum ordinem erga Deum et erga seipsum. [1])

Intrinsece malum est illud, quod natura sua recto ordini repugnat, ita ut necessario prohiberi debeat. Hoc duplex est, scilicet aut absolute, aut conditionate malum.

Absolute malum id dicitur, quod numquam potest fieri bonum, quia semper repugnantiam ad ordinem rectum involvit. Sic e. g. absolute mala sunt infidelitas, blasphemia, idololatria, quia numquam non repugnant ordini recto erga Deum; item gula, luxuria, ebrietas, quia constanter repugnant ordini hominis erga seipsum; item odium proximi, furtum, mendacium, calumnia, quia semper adversantur recto ordini erga alios.

Conditionate malum id dicitur, quod quandoque conditione certa posita licitum fieri potest; quia nimirum catenus tantum repugnat ordini recto, quatenus laedit dominium alterius, Dei vel hominis, quapropter licitum evadere potest, quando tale dominium seu jus non laeditur, ut cessatione juris alieni etc. Sic e. g. occisio hominis est intrinsece mala, sed conditionate, quandoquidem ex Dei jussu vel permissione licita esse queat. Item ablatio rei alienae, manifestatio criminis ab alio commissi etc.[2])

II. *Extrinsece bonum et malum* est illud, quod non ex natura sua, sed vi alicujus praecepti fit bonum vel malum; siquidem leges positivae non raro ea, quae per se indifferentia sunt (nec bona, nec mala) praecipiunt aut vetant, eo quod prodesse vel obesse possunt recto ordini. Talia e. g. sunt esus carnium, opera servilia, quae certis diebus ab Ecclesia prohibita sunt, adeoque illis diebus evadunt mala; item venatio, negotiatio, quaedam ludi genera, quae si prohibeantur, mala evadunt.

2. — Quae intrinsece bona et mala dicuntur, praescribuntur et prohibentur a naturali et evangelica lege. Quae extrinsece

[1]) Legatur s. Thomas: Contra Gent. Lib. III. cap. 129., ubi ostendit, quod „in actibus humanis sunt aliqua recta *secundum naturam*, et non solum quasi lege posita.“ S. Bernardus intrinsece bona et mala vocat *pura bona, pura mala*. Epist. 7. n. 4. Intrinsece bona etiam *naturaliter bona* appellat. Lib. de praec. et dispens. cap. 3. n. 7.

[2]) S. Bonaventura sic distinguit: *„Est aliquid malum in se, aliquid malum secundum se. Malum in se potest fieri bene; malum secundum se nullo modo fieri potest bene.“* In Lib. I. Sent. Dist. 47. quaest. 4. c. Similiter d. Thomas ait: *„Quod est secundum se malum ex genere, nullo modo potest esse bonum et licitum.“* 2. 2. q. 110. a. 3.

bona et mala sunt, potissime praecipiuntur et prohibentur a legibus humanis.

3. — Ex praemissa distinctione boni et mali, intrinseci et extrinseci appellati, infertur axioma a Theologis communissime adoptatum: *Alia praecepta sunt, quia bona; alia bona sunt, quia praecepta.* Et similiter: *Alia prohibita sunt, quia mala; alia mala, quia prohibita sunt.*[1])

4. — Quoad doctrinam de intrinseca differentia boni et mali moralis duplex error vitari debet. 1. Error eorum, qui materialismo, pantheismo, liberalismo adhaerent, cum (§. 8. n. 4. 5. et 8.) ex opinione publica et legibus civilibus omnem bonitatem et malitiam actionum mensurari fabulantur.[2]) 2. Error *Cartesii*[3]) et quorundam Theologorum,[4]) qui putarunt, omnem bonitatem ac malitiam moralem a libera Dei voluntate pendere, adeo quidem, ut id, quod modo bonum et justum est, mutata Dei voluntate possit evadere malum et injustum. Contra quos errores valet

PROPOSITIO.

Datur differentia inter bonum et malum, quod est tale intrinsece, necessaria et immutabilis, quae nec ab hominum opinionibus vel statutis nec a libera Dei voluntate pendet.

5. — Datur 1. talis differentia, nempe necessaria et immutabilis, quia fundatur in ordine morali naturae a Deo indito, adeo-

[1]) Vid. s. Franc. Sales. Theot. Lib. VIII. cap. 5.

[2]) Jam Sextus Empiricus dixit: „Neque est aliquod bonum natura, neque malum, sed haec ex arbitrio hominum dijudicantur secundum Timonem.“ Thomas Hobbes: „Actio omnis sua natura est adiaphora.“ — „Ante imperia justum et injustum non extitere, ut eorum natura ad mandatum sit relativa. Reges legitimi, quae imperant, justa faciunt imperando; quae vetant, vetando injusta.“ De cive 12. 1. Locke bonum et malum esse dicit, quod omnes vel plurimi saltem laudant aut vituperant, adeoque utrumque ex hominum opinionibus pendere. Spinoza dicit, de peccato in republica tantum posse sermonem esse illudque constituendum in obedientia erga leges civiles. Ethica IV. 37. Schol. 2. Idem effutit Helvetius: De l'esprit. Disc. 3. c. 4. Hegel scribit: „Was der Mensch thun müsse, was die Pflichten seien, die er zu erfüllen hat, ist in einem sittlichen Gemeinwesen leicht zu sagen: es ist nichts anderes von ihm zu thun, als was ihm in seinen Verhältnissen vorgezeichnet, ausgesprochen und bekannt ist.“ Similia habet Büchner: Kraft und Stoff. 5. Aufl. Frankf. 1858. S. 169. 173 ff.

[3]) Penes Kleutgen: Die Philosophie der Vorzeit. I. B. p. 520. et sq. Münster 1860.

[4]) Occamus: In II. Lib. Sent q. 19. ad 3. ait: „Ea est boni et mali moralis natura, ut cum a liberrima Dei voluntate sancita sit et definita, ab eadem facile possit amoveri et refigi, adeo, ut mutata ea voluntate, quod sanctum et justum est, possit evadere injustum.“ Gerson: Tract. de vita spirituali Lect. 1. et alii; et fere idem sentit Scotus: In Lib. IV. Sent. Dist. 26. q. 1., qui tamen excipit odium Dei.

que tam necessaria et immutabilis est, ac ordo ipse. Recole dicta §. 18. n. 6. — Porro 2. illa differentia non pendet ab hominum opinionibus vel legibus; quod plane ex praedicta veritate consequitur, et inde elucet, quod secus omnis moralitas fieret mere externa, ideoque nulla atque haberetur sola legalitas. Praeterea, nonne hominum leges et opiniones, quae edicunt actiones alias bonas, alias malas, perfecto jam praesupponunt, dari aliquid ex se bonum et malum? Et undenam tam universalis apud diversissimas nationes consensus judiciorum de actionibus honestis ac inhonestis exoritur, nisi ex eo, quod alia jam natura sua sunt bona, alia mala, quae ipsa ratio naturalis non potest ignorare.[1]) — 3. Illa differentia nec a libera Dei voluntate pendet; secus enim et ordo moralis pro libito a Deo posset mutari et alius statui, quod perfectioni Dei repugnat. Et sane quis est adeo a ratione alienus, qui non sentiat, insontem occidere, non servare fidem, Deum contemnere, aliaque hujusmodi, turpia esse per se atque ita, ut nec a Deo permitti ac in honesta commutari possint? Contra vero alteri benefacere, parentibus obedire, Deum colere, et cetera hujusmodi, nonne ita sunt bona et honesta, ut a Deo ceu mala et inhonesta declarari prorsus nequeant? Hinc s. Bernardus: „*Omnis illa,* inquit, *sermonis Dominici in monte habiti spiritualis traditio, et quidquid de dilectione, humilitate, mansuetudine, ceterisque virtutibus, tam in novo, quam in veteri Testamento spiritualiter observandum contraditur, — est necessarium incommutabile* (quia „*naturaliter bonum*"), *ita ut nulla ex causa, vel ab ipso Deo, aliquatenus possit immutari.*" — „*Hoc ne ipsi quidem Deo mutare liberum est.*"[2]) Nec quidquam proinde derogatur libertati divinae. Etenim, ut recte Suarez[3]) dicit, „divina voluntas, licet simpliciter libera sit ad extra, tamen ex suppositione unius actus liberi potest necessitari ad alium, ut si vult promittere absolute, necessitatur ad implendum promissum etc. Et cum eadem proportione, si vult creare mundum et illum conservare in ordine ad talem finem, non potest non habere providentiam illius — consentaneam suae bonitati et sapientiae. Ideoque supposita voluntate creandi naturam rationalem, — non potuit Deus non velle prohiberi tali creaturae actus intrinsece malos, vel nolle praecipere honestos necessarios." [4])

[1]) Sic et gentilium philosophi, ut Aristoteles: Ethic. Lib. II. cap. 6., Cicero: De legib. Lib. I. cap. 2. docuerunt.

[2]) Lib. de praecepto et dispensatione cap. 3. n. 7. et 8.

[3]) De legibus Lib. II. cap. 6. n. 13.

[4]) De independentia naturalis actionum bonitatis a statutis et opinionibus hominum, nec non a libera Dei voluntate egregie scripsere: Roselli O. P. Summa Philosophica P. III. (Ethica) Quaest. 3. a. 3. et 4. Ed. 3. Bononiae 1859. pag. 88—102. Dmowski S. J. Institut. philos. Vol. II. (Ethica) cap. 9. a. 3. Romae 1840. p. 70—75. Liberatore S. J. Institut. philosoph. Vol. III. (Ethica et jus naturae) cap. 2. a. 1. Romae 1855. (Ed. 8.) pag. 47—52.

Fructus hujus considerationis.

6. — *Judicia Domini vera, justificata in semetipsa,* Psalm. 18. 10. Judicia Dei sunt praecepta Dei; per haec enim Deus judicat homines, et ipsa nobis sunt regula judicandi seu discernendi virtutes a vitiis, et opera bona a malis.[1]) Judicia Dei, praecepta Dei, dicuntur justificata in semetipsa, quia sunt naturaliter recta.[2]) Admirare divinam sapientiam, quae fortiter et suaviter disposuit mandata, *fortiter* per vim obligandi immobilem, *suaviter* ob naturalem eorum rectitudinem et aequitatem. Considera quoque pulchritudinem virtutum, quae in lege divina docentur; tanta quippe earum cum rationali hominis natura convenientia est, ut Deus non potuerit non eas praecipere vel saltem suadere. Perpende rursus foeditatem vitiorum, quae in divina lege interdicuntur; tanta enim eorum cum ratione hominis repugnantia apparet, ut Deus non potuerit non illa vetare.

Exsurgant licet quiqui homines perversi furiose clamitantes, castitatem, obedientiam, humilitatem, aliaque in Dei lege praescripta vel commendata non esse bona; contra vero luxuriam, calumniam, rapinam, seditionem, innocentis oppressionem, aliave a Deo prohibita non esse mala, — an illa desinent sic esse, ut Deus constituit? Num creatura rebellis Dei omnipotentis, summi omnium Dominatoris jussa superare et irrita reddere, ordinem rationis immutare, hominis ac rerum naturam destruere valet? Num homini possibile est immutare, quae ne ipsi quidem Deo mutare liberum est?[3]) Isti miseri et miserandi homines nec ipsi, quod asserunt, credunt; claris rationis suae dictaminibus pertinaciter obstrepunt, contra intolerabiles conscientiae suae remorsus desperate pugnant. Clamat propheta: „*Vae, qui dicitis malum bonum, et bonum malum, ponentes tenebras lucem, et lucem tenebras, ponentes amarum in dulce, et dulce in amarum.*" Isai 5. 20. Quae intrinsece bona, intrinsece mala sunt, talia manent, licet academiae, licet tribunalia judicum, licet populi Senatus sacrilega impietate contraria traderent, decernerent, proclamarent. Sic

[1]) Bellarmin in h. l.

[2]) S. Thom.: Summa contra Gent. Lib. III. cap. 129. n. 7.

[3]) S. Bernard.: De praecepto et dispensat. cap. 3. n. 8.

namque Deus statuit, nec aliter statuere potest, quia sanctissimus est, et quia semetipsum negare non potest. Non mentitus est, qui dixit: *„Ego Dominus, et non mutor.“* Malach. 3. 6. Qui ponunt os suum adversus legem Excelsi, pereunt cum sonitu verborum; veritas autem Domini manet in aeternum.

Domine, recta sunt judicia Tua, justificata in semetipsa; desiderabilia super aurum et lapidem pretiosum multum, et dulciora super mel et favum. Diligere et custodire ea propono: in custodiendis illis retributio multa. Sed Tu scis, Domine, insipientiam et infirmitatem meam. Benigne mihi gratiam largire, ut legem Tuam luminosam clarius semper perspiciam, suavius continuo illius pulchritudini mente condelecter, tamque firmiter ac fideliter ejusdem mandatis inhaeream, ut ad nullum declinem peccatum, sed ad Tuam justitiam faciendam omnia mea procedant eloquia, dirigantur cogitationes et opera. Immaculata Virgo et Mater Maria, Jesum pro me clementer exora. Amen.

TRACTATUS III.

De causis boni moralis.

Transitio.

Doctrinae de bono et malo morali generatim expositae intime cohaeret consideratio causarum, ex quibus bonum malumque in homine procedit. Causae boni moralis coll. §. 14. n. 1. ex parte Dei sunt praeter gratiam lex et conscientia, quatenus per legem indicatur ordo moralis servandus, hinc bonum faciendum et malum vitandum, per conscientiam fit applicatio legis cognitae ad actus; ex parte hominis est libera voluntas, per quam in ipsius potestate situm est, ut servet legem cognitam. Causa moralis peccati est solus homo per suum liberum arbitrium. Quas causas Siracides his indicat verbis: *Deus ab initio constituit hominem, et reliquit illum in manu consilii sui,* fecit eum liberi arbitrii, *adjecit mandata et praecepta sua. Si volueris mandata servare,* quia in tuo arbitrio (per gratiam adjuto) est, ut serves mandata, *conservabunt te,* in gratia et virtute. Eccli. 15. 14—16.

Hinc 1. de lege, 2. de conscientia, et 3. de libero hominis arbitrio necessaria scitu exponemus.

CAPUT I.

De lege.

Ad consulendum perspicuitati dicemus 1. de lege in communi et 2. de diversis legis speciebus.

Sectio I.

De lege in communi.

Circa legem in communi sequentia consideranda occurrunt: 1. natura et varietas legis, 2. finis legis, 3. potestas leges ferendi, 4. materia legis, 5. forma legis, et 6. principalis legis effectus.

§. 24.

De natura et varietate legis.

1. Lex *sensu latiori et improprio* sumta est regula et mensura operandi; [1]) quo sensu lex creaturis non solum rationalibus, sed etiam ratione et vita destitutis convenit, quia unaquaeque res regulam suam habet ac mensuram, juxta quam inducitur ad agendum.[2]) Hoc modo loquimur de legibus physicis, consonantque frequentia ss. Patrum dicta,[3]) necnon s. scripturae verba: „— *certa lege vallabat abyssos, — et legem ponebat aquis, ne transirent fines suos.*“ [4]) „*Praeceptum posuit* (soli, lunae et stellis), *et non praeteribit.*“ [5]) Itemque loquimur de legibus psychologicis, de legibus artium, scientiarum etc.

Lex *sensu strictiori et proprio* accepta dicitur regula et mensura agendi rationalibus creaturis imposita; plene autem et accurate definita est *ordinatio rationis ad bonum commune ab eo, qui curam communitatis habet, constituta.*

Dicitur: *ordinatio*, i. e. jussum, praescriptum, quod stricte obligat, ad legem distinguendam a consilio, quod suadet tantum et dirigit. Adnectitur: *rationis*, quia ordinatio seu jussio, licet ex voluntate superioris procedat, judicium tamen essentialiter requirit, ut voluntas in jubendo recte dirigatur, jussumque voluntatis subdito convenienter proponatur; judicare autem ad rationem pertinet. [6])

---

[1]) Verbis: *mensura* (Mass, Massstab, Richtschnur) *et regula* in s. scripturis quoque lex seu praeceptum designatur: „*Quis posuit mensuras ejus* (terrae), *si nosti?*“ Job. 38. 5. „*Nos autem,*“ Apostolus inquit, „*non in immensum gloriabimur, sed secundum mensuram regulae, qua mensus est nobis Deus, mensuram pertingendi usque ad nos.*“ 2. Cor. 10. 13. „*Et quicunque hanc regulam* (legem Christi) *secuti fuerint, pax super illos.*“ Gal. 6. 16. cf. Phil. 3, 16. Ita ss. Patres etiam praescriptum seu legem passim nominant. S. Ambrosius ait: „*Voluntas ejus* (Dei) *mensura rerum est.*“ Hexaëmeron lib. II. cap. 2. n. 4. „*Pisces mensuram suam norunt.*“ ibid. lib. V. cap. 10. n. 26. „*Si naturalis ordo et mensura confunditur, tunc necesse est sequatur interitus.*“ De Noë et Arca cap. 23. n. 82. S. Augustinus loquitur de: „*mensura aliquid agendi.*“ De Genesi ad literam lib. IV. cap. 4. n. 8., de voluntate Dei ut „*incommutabili regula.*“ Enarr. in Ps. 93. n. 18., de „*regula catholica,*“ Enchiridion c. 8. n. 2. de „*regula fidei*“ (Symbolo): ibid. cap. 56. n. 15.

[2]) S. Bernardus: „*Sine lege nihil relinquitur.*“ Epist. 11. n. 4.

[3]) S. Augustinus: De Genesi ad literam lib. IX. c. 17. n. 32. S. Ambrosius: Hexaëmeron lib. II. cap. 2. n. 4. lib. V. c. 10.

[4]) Prov. 8 27, 29.

[5]) Psalm. 148. 6.

[6]) Caeterum lex quatenus indicat et manifestat, ad quid voluntas superioris obliget, voluntati recte tribuitur. Atque hinc est, quod in divinis scripturis lex pro utroque modo, quo concipi potest.

Sequitur: *ad bonum commune ab eo, qui curam communitatis habet, constituta,* quibus verbis lex a praecepto distinguitur; etenim a) lex *bonum commune* seu publicum, privatum bonum respicit ac intendit praeceptum; b) *lex ab eo, qui curam communitatis habet,* conditur, dum praeceptum etiam ab homine privato dari potest; c) lex *communitati* imponitur, adeoque cum haec perduret, lex de se stabilis et perpetua est, praeceptum autem alicui privato injungitur ac proinde ejus morte exspirat; denique lex cum communitatem afficiat, eos, qui extra communitatem in territorio alieno morantur, non tangit et ligat, dum e contra praeceptum, quod nimirum personis singulis inhaeret, ubique easdem comitatur. [1]) Non raro tamen leges etiam praecepta nuncupantur, ut leges divinae in Decalogo contentae. [2])

2. — Lex principaliter dividitur in *aeternam,* quae in Deo existit ab aeterno, et in *temporales,* quae tempore coeperunt in mundo existere.

Porro leges temporales sunt lex *naturalis,* quae naturae rationali a Deo est increata, *positiva divina* seu *supernaturalis,* quae a Deo actu positivo est lata, legique naturae superaddita, et *humana,* quae ab homine vi potestatis divinitus datae fertur, atque duplex

---

partim ex sapientia dicitur proficisci, partim voluntas divina appellatur: „*Per me* (Sapientia inquit) *legum conditores justa decernunt.*“ Prov. 8, 15. „*Notas fecit vias suas Moysi, filiis Israël voluntates suas,*“ i. e. praecepta sua Ps. 102, 7. cf. Psalm 142. 10. Quo utroque loquendi modo utitur etiam s. Augustinus, cum dicit: „*Est enim lex universitatis divina sapientia,*“ Lib. de divers. quaest. q. 79. n. 1. et rursus: „*Voluntas Dei, ipsa est lex Dei.*“ Comment. in Ps. 36. Serm. 3. n. 5.; atque ipse Doctor angelicus, qui in 1. 2. q. 90. a. 1. et alias persaepe legem dicit esse actum intellectus, in 2. 2. q. 105. a. 1. ait, divinam voluntatem esse primam regulam, qua mensurari debent actiones humanae. Haec itaque inter se non pugnant.

[1]) Hinc praeceptum dicitur esse *personale,* lex autem *territorialis* seu *localis,* quia, sicut praeceptum personis ubique adhaeret, ita lex affixa est territorio seu loco, in quo pro communitate lata et promulgata est.

[2]) Etymologia explicationi legis supra datae favet, sive cum d. Thoma (1. 2. q. 90. a. 1.) derivetur a *ligando,* cum liget seu obliget subditos ad aliquid faciendum vel omittendum, sive cum s. Isidoro (Etymol. lib. 2. c. 10; lib. 5. c. 3.) deducatur a *legendo,* cum olim legendo solerent leges populo proponi, vel mente legi, id est solerter recogitari debeant; sive cum s. Augustino (Quaest. ex N. T. q. 15.) lex reputetur ab *eligendo* dicta, cum unicuique, quid eligendum sit, ostendat. Vide Suarez: lib. I. de lege in communi, cap. 1. n. 9.

Lex solet frequenter *jus* appellari, quod tunc vel a *jubendo* derivatur vel a *justitia* deducitur, quum quod justum est, lex definiat, ac praescribat: sic dicimus jus naturale, jus divinum, jus civile ac jus ecclesiasticum.

est *ecclesiastica* et *civilis*, siquidem alia ab auctoritate spirituali, alia ab auctoritate politica dimanat.

Alia adhuc lex asseritur ab Apostolo Paulo, videlicet *lex membrorum*, *lex peccati* Rom 7, 23, quae tamen non est nisi concupiscentia et sensu improprio supra n. 1. exposito lex vocatur, quatenus nimirum concupiscentia est quasi mensura sensualium et inferiorum motuum et inclinationum.[1]) Dicitur autem *lex membrorum*, quia membris corporis specialiter dominatur, et *lex peccati*, quia ex peccato est et ad peccatum inclinat.[2]) Vocatur etiam *fomes*, quia vitiorum fomentum ac materiam subministrat. *Repugnat lex membrorum legi mentis*, ut Apostolus docet, ampliusque exponit s. Ambrosius his egregiis verbis: „*Duae leges in nobis sunt, quarum utramque nobis Apostolus explicavit, dicens: „„Condelector enim legi Dei secundum interiorem hominem, video autem aliam legem in membris meis* etc.““ *Est ergo lex interioris hominis, est etiam exterioris. Illa, quae peccatum prohibet, ista, quae suadet. Illa, quae damnat errorem, ista, quae suggerit. Illa, quae mentem instruit, ista, quae tentat.*“[3]) Unde s. Leo M. apte infert: „*Lex peccati, quae est in membris nostris, Dei lege superanda est.*“[4]) Atque superatur quidem et vincitur facilius, si non mala consuetudine roboretur.[5]) Semper pugnandum est, quia ipsa concupiscentia, cum qua nati sumus, finiri non potest, quamdiu vivimus: quotidie minui potest, finiri non potest.[6]) Discedente hinc anima pia peribit, in resurgente corpore non redibit.[7])

§. 25.

De fine legis.

1. — *Finis legis est bonum commune.* Quum enim lex communitati imponatur, consequenter propter bonum communitatis ferri debet, secus enim inordinata esset. Veritas haec jam a ss. Patribus asseritur,[8]) a Theologis sine ulla controversia docetur. Et quidem

[1]) Similiter de voluntate dicit s. Augustinus: „*Appetitus voluntatis humanorum omnium est mensura factorum.*“ Epist. 102. n. 26.

[2]) Apte ait s. Augustinus: „*Tunc nata est ista lex, quando contemta et transgressa est prima lex. Quae est prima lex? Quam in paradiso accepit homo.*“ (Serm. 151. n. 5.), et s. Bernardus scribit: „Ideo fortassis signanter *aliam* (Paulus) dixerit legem inventam in membris suis, quod *alienam* hanc et quasi *adventitiam* putaret.“ In Cant. Serm. 81. n. 10.)

[3]) Comment. libr. VIII. in Evang. Lucae, c. 18. n. 50. Copiose hac de pugna disserit s. Augustinus multis citatis sanctis Doctoribus: *Contra Julianum*. lib. II.

[4]) Sermo 91.

[5]) S. August. Epist. 157. cap. 3. n. 15.

[6]) S. August. Sermo 151. cap. 5. n. 5.

[7]) *Idem*: Contra Julianum Pelegianum lib. II. cap. 3. n. 7.

[8]) S. Basilius dicit: „— ex rege alioquin hoc nomine digno exeuntes vitae praeceptiones multum apud omnes momenti habent ad considerandam et consequendam *in communi bono* utilitatem.“ Homil. 12. in principium Proverbiorum. S. Augustinus ait: „quia — omnis pars ad universi, cuius pars est, integritatem refertur: satis apparet esse consequens, ut *ad pacem civicam pax domestica referatur.*“ De civitate Dei lib. XIX. cap. 16. Unde fluit, eo magis per leges civitatis debere actus subditorum ad communem pacem bonumque civitatis

finis proximus legis divinae (naturalis et positivae) nec non ecclesiasticae est interior et spiritualis felicitas, finis proximus legis civilis est felicitas exterior et temporalis,[1]) finis ultimus omnium legum est felicitas seu salus aeterna subditorum. Dicit s. Thomas, quem omnes sequuntur: „*Per legem dirigitur homo ad actus proprios in ordine ad ultimum finem.*“[2])

S. Chrysostomus potestatem etiam civilem posse subditorum saluti cooperari, sic ostendit: „*Magistratus faciliorem tibi virtutem facit, malos quidem punit, bonos vero beneficiis afficit et honore, voluntatique Dei cooperatur, unde et ministrum Dei Apostolus* (Rom. 13. 4.) *vocat. Multi siquidem sunt, qui cum virtutem primum respectu magistratus exercuerint, postmodum tamen illi per timorem etiam Dei adhaeserunt. Crassiores enim non adeo futura aspiciunt, quam praesentia. Jam vero si magistratus multorum animos et timore et honore praeparat, ut fiant promptiores ad doctrinam christianam, merito minister Dei vocatur.*“[3])

* S. Thomas: Summa Theolog. 1. 2. q. 90. a. 2. et 3. c.; q. 92. a. 1. — Fr. Sylvius: Comment. in primam secundae s. Thomae q. 92. a. 1. Suarez: De legibus in communi cap. 7. et cap. 13.

2. — Cum lex dirigat actus subditorum ad bonum commune, ideo ad hoc obtinendum consequenter bonos actus *praecipit*, malos *prohibet*, indifferentes *permittit*. Ut vero obediatur sibi, poenas improbis sancit seu *punit*.[4]) Unde liquet, duplicem vim legi inesse, nempe *directivam*, quatenus praecipit vel prohibet vel permittit, *et coactivam*, quatenus poenas infligit. Porro lex, quae praecipit actus positionem, *affirmativa*, quae eam prohibet, *negativa* dicitur. Quae quidem legis distinctio etiam in sacra scriptura (Psalm. 36. 27.) his verbis: „*Declina a malo et fac bonum*“ aperte exprimitur.[5])

ordinari. S. Isidorus requirit, „*ut lex pro communi civium utilitate conscripta sit.*“ Etymol. lib. I. c. 31.

[1]) S. Augustinus scribit: „*Legibus institutisque* (civitatis terrenae) *pax terrena vel conquiritur vel tenetur.*“ De Civit. Dei: lib. XIX cap. 17. De qua pace pulchre ulterius observat: „*Coelestis civitas vel potius pars ejus, quae in hac mortalitate peregrinatur, etiam ista pace necesse est utatur, donec ipsa, cui talis pax necessaria est, mortalitas transeat — — eamque terrenam pacem refert ad coelestem pacem.*“ l. c. Item op. c. Lib. XIX. cap. 26. Frequenter pacem a Deo Ecclesia petit, pacem nedum spiritualem, verum etiam temporalem, ut in festo SS. Marii et Sociorum: „*Exaudi Domine populum tuum, cum Sanctorum tuorum patrocinio supplicantem: ut et temporalis vitae nos tribuas pace gaudere et aeternae reperire subsidium.*“ (Die XIX. Januarii.)

[2]) 1. 2. q. 91. a. 4 c. Vide etiam 1. 2. q. 90. a. 1. c.

[3]) In ep. ad Rom. Hom. 23. n. 2.

[4]) Unde s. Ambrosius dicit: „*Praeceptum ibi est, ubi est poena peccati.*“ De viduis cap. 12. n. 73. S. Augustinus ait: „*Praecepto enim quisquis non obtemperat, reus est et debitor poenae.*“ De sancta Virginitate cap. 14. n. 14. „*Praeceptum enim est hoc, cui non obedire peccatum est.*“ Ibid. c. 15. n. 15.

[5]) Lex, quae actus *permittit*, non specialiter notatur, quia virtualiter est

* S. Thomas: Summa Theolog. 1. 2. q. 92. a. 2. — Gregorius de Valentia: Comment. Theolog. in primam secundae d. Thomae Disp. VII. Quaest. 2. Punct. 2. Suarez: lib. 1. De lege in communi, cap. 15.

§. 26.

De potestate leges ferendi.

1. — Certa est et ab omnibus approbata doctrina, ad leges ferendas *potestatem jurisdictionis,* id est potestatem gubernandi subditos, eamque principalem et supremam requiri; atque haec doctrina satis exinde probatur, quod lex pro communitate fertur, quam ad actus virtutum bene dirigere et efficaciter, nempe poenas quoque infligendo, inducere nequit, nisi qui suprema auctoritate supra communitatem ad ipsius regimen gaudet.

* S. Thomas: Summa. Theol. 1. 2. q. 90. a. 3. Suarez: Comm. in 1. 2. lib. I. De lege in communi, cap. 8.

2. — Haec jam potestas jurisdictionis primario in Deo residet. Ipse enim omnium Dominus est, *Rex regum et Dominus dominantium,*[1]) quin imo *solus Dominus, solus Altissimus,*[2]) et quidem ex duplici titulo, nempe creationis et redemptionis.

a) *Ex titulo creationis.* Cum enim, quaecunque sunt, a Deo suum esse habeant, Deo etiam dominium supremum et absolutum in creaturas omnes necessario competit. Si figuli est vas, quod finxit, pictoris imago ab ipso formata: nos eo magis Dei sumus, ejusque subdimur potestati, siquidem nec vas a solo figulo, nec imago a solo pictore, nec ullum opus a solo opifice pendet, sed etiam a materia, ex qua constat, ab instrumentis quoque, quorum ope materia formatur; nos vero toti a Deo nostro dependemus, utpote qui ex nihilo sua vi et voluntate sola homines prouti reliqua entia cuncta in esse produxit. Multo magis igitur Deus est Dominus omnium, quae creavit, quam artifex quicunque humanus artificii, quod elaboravit. b) *Ex titulo redemptionis.* Erat enim homo liberae

praeceptiva seu affirmativa, quatenus nempe praecipit, ut actus, qui permittitur, non impediatur nec tamquam malus refutetur. Idem de consiliis valet. — Sapienter pro more suo d. Thomas observat, in lege Dei proponi diversa praecepta affirmativa et negativa, ut *gradatim* homines introducerentur ad virtutem, prius quidem abstinendo a malo, ad quod inducimur per praecepta *negativa,* et postmodum faciendo bonum, ad quod inducimur per praecepta *affirmativa;* et sic praecepta affirmativa et negativa non pertinere ad diversas virtutes, sed ad diversos gradus virtutis. 1. 2. q. 72. a. 6. ad 2.

[1]) 1. Tim. 6, 45.

[2]) Liturg. Missae.

voluntatis abusu in servitutem peccati, eoque ipso in servitutem diaboli conjectus, a qua redemit eum Dei filius homo factus et emit eum pretio magno.[1]) Profecto igitur nos ideo quoque Dei sumus et Ipse in nos dominium absolutum possidet, quia nos redemit, sibique acquisivit et *adscivit in populum acceptabilem,*[2]) populum eximium et charum, idque pretio tanto, videlicet sanguine suo. Unde s. Ambrosius monet: *„Servus es, qui creatus es; servus es, qui redemptus: et quasi Domino servitutem debes et quasi Redemptori.“*[3])

Quodsi Deus absolute omnium Dominus est, procul dubio *jurisdictionem supremam* et *illimitatam,* ac proinde pariter *potestatem legislativam universalem et absolutam* habet. Dehinc etiam in divinis scripturis dicitur *Dominus legifer noster, Dominus rex noster* Isai. 33. imo *unus legislator* Jac. 4., qui nimirum independens omnino ab alio, auctoritate propria leges imponere omnibus potest.

3. — Ab auctoritate hac divina omnis jurisdictio, adeoque potestas omnis legislativa, cum *supernaturalis* in Ecclesiae Praesides, tum *naturalis* in reipublicae principes, descendit, ut amplius infra demonstrabitur.

* Leonard. Lessius: De perfectionibus moribusque divinis, lib. X. cap. I.—VII. Neva editio. Friburgi 1861.

§. 27.

De materia et forma legis.

1. — *Materia legis* omne id potest esse, quod ad bonum commune obtinendum et promovendum requiritur, quia bonum commune est finis legis, ut satis constat.

Etiam actus indifferentes possunt constituere objectum legis; quia ad bonam communitatis quandoque necessarium vel utile est, ut actus indifferentes aut praecipiantur aut prohibeantur. Sic Deus in lege antiqua sapientissime multa ceteroquin indifferentia partim vetuit, partim fieri jussit; itemque Ecclesia catholica esum carnis certis temporibus, opera servilia diebus festis, justissime interdicit.

Omnis lex aliquo modo respicit ordinem; est enim lex pro ordine servando, sicut ordo pro fine obtinendo.

Cohaerentiam finis, ordinis et legis praegnanter s. Augustinus sic exprimit: *„Pax hominis mortalis, ordinata in fide sub aeterna lege obedientia. Pax domus, ordinata imperandi atque obediendi concordia cohabitantium. Pax civitatis,*

[1]) 1. Cor. 6, 20.

[2]) Tit. 2, 14.

[3]) Lib. I. de Jacob et vita beata cap. 3. n. 12.

ordinata imperandi atque obediendi concordia civium. Pax coelestis Civitatis, ordinatissima et concorditissima societas fruendi Deo et invicem in Deo, Pax omnium rerum tranquillitas ordinis"[1])

2. — *Forma et quasi anima legis est ejus promulgatio,* sub qua intelligitur *publica legis denuntiatio a legitima auctoritate communitati facta.* Etenim legi proprium est, ut virtutem obligandi obtineat, minime vero vim obligandi obtinere poterit, nisi communitati, ad quam spectat, sufficienter innotuerit; innotescere autem communitati nequit, nisi auctoritate legislatoris ipsi denuntietur. Jam s. Augustinus dicit, *leges, postquam institutae et firmatae sunt, non posse a subditis judicari;*[2]) quae verba Gratianus explicans dicit: *Leges instituuntur, quando promulgantur, firmantur autem, quando moribus recipiuntur.*[3])

* S. Thomas: Summa Theol. 1. 2. q. 90. a. 4. — Suarez: Lib. I. de lege in communi, cap. 11.

§. 28.

De principali legis effectu.

1. — Principalis legis effectus in *obligatione,* qua subditi afficiuntur, consistit, quia imperium superioris legem statuentis sine obligatione subditorum, legi obsequendi, concipi nequit. Hinc „vinculum" in s. literis lex frequenter vocatur.

Porro obligatio haec necessitatem aliquam involvit, quatenus unusquisque, qui in ordine recto vult permanere, atque peccatum poenamque vitare, necessario debet legem observare. *Necessitas* etiam in s. scriptura,[4]) nec non a ss. Patribus[5]) legis obligatio appellatur, magisque exacte *moralis necessitas* a Theologis[6]) dici consuevit, ad bene distinguendam hanc necessitatem, qua per legem moralem libera hominis voluntas obstringitur ad agendum, ab illa necessitate, qua per leges physicas naturae irrationales et sensibiles adiguntur ad actus, quaeque *necessitas physica* vocatur.

[1]) De civitate Dei lib. XIX. cap. 13. n. 1.

[2]) De vera religione, cap. 31.

[3]) In decret., 4. dist. ad cap. *in istis.*

[4]) Rom. 13. 5. 1. Cor. 7, 37. 9, 18.

[5]) S. Chrysostomus dicit: „*Praeceptum necessitatis est, consilium voluntatis.*" Hom. XI. de Poenit. n. 3. Cf. Comm. in Matth. Homil. 63. S. Augustinus ait: „*Qui eam* (continentiam) *voluntate delegerunt, fecerunt eam esse necessitatis, quoniam jam sine damnatione ab illa deviare non possunt.*" De conjugiis adulterinis lib. II. cap. 19. n. 20. S. Hieronymus scribit: „*Ubi praeceptum, necessitas est servitutis.*" Contra Jovin. lib. I n. 12.

[6]) Vid. Suarez: De lege in communi lib. I. cap. XIV.

Ulterius obligatio legis etiam *debitum*[1]) nuncupatur, ex eadem ratione, ob quam necessitas moralis vocatur; denique obligatio adhuc *officium* dici solet, quamvis melius officium dicatur id, ad quod est obligatio, seu quod quis *efficere* seu agere tenetur, (etenim recte s. Ambrosius[2]) (quem s. Isidorus[3]) et d. Thomas[4]) sequuntur) vocabulum hoc ab *efficiendo* deductum esse censet, ita ut officium idem sit ac efficium, efficium autem *seu efficientia importat actionem tendentem in aliud,* quapropter *officia distinguuntur proprie secundum actus, qui referuntur ad alios,* ut d. Thomas[5]) animadvertit.)

2. — Officii vim expositam, quatenus nempe denotat actionem, *ex necessitate morali* seu *ex debito* ponendam aut vitandam, Pantheistae, Materialistae et quicunque Deum personalem, ut supremum omnium Dominum et gubernatorem existere, atque hominem libero arbitrio donatum esse negant, penitus rejiciunt, verbisque solis, dum de officiis loquuntur, ludere videntur; quod consequens esse apparet, quandoquidem Dei veri existentia negata vel libera hominis voluntate sublata de lege morali, adeoque de obligationibus ac officiis hominis vix amplius cogitari potest.[6]) Ista igitur negatio jam

[1]) Loquendi modus, per praecepta „*debitum*" homini imponi, jam apud s. Augustinum occurrit: Libr. de sancta Virginit. cap. 30. n. 30. Scholastici Theologi post d. Thomam duplex debitum distinguere consueverunt, *debitum honestatis,* quod oritur ex jure naturae, et *debitum legale,* quod nascitur ex humanis legibus. Vid. s. Thom. 1. 2. q. 99. n. 5.; 2. 2. q. 44. a. 1.; q. 106. a. 1. ad 2.; a. 5 et alibi. Suarez: lib. I. de lege in communi cap. XIV., lib. II. cap. IX. n. 6.

[2]) De officiis L. I. c. 8. n. 26.; ubi simul n. 25. animadvertit, hoc nomen (officii) non philosophorum tantummodo scholae aptum esse, sed etiam in scripturis reperiri divinis (ut Luc. 1, 23. 2. Cor. 9, 12.) et dein subjungit: „Legimus igitur, officium dici a nobis posse." Eadem super expressione s. Augustinus epist. 82. ad Hieronym. n. 21. scribit: „nisi forte nomen (officiosum mendacium) te movet, quia *non tam usitatum est in ecclesiasticis libris vocabulum officii,* quod Ambrosius noster non timuit, qui suos quosdam libros utilium praeceptionum plenos, de Officiis voluit appellare." Quam circumspecti igitur etiam in vocibus eligendis ss. Patres fuerunt!

[3]) Lib. 6. Etym. c. 19.

[4]) 2. 2. q. 183. a. 3.

[5]) l. c.

[6]) Sic e. g. Schleiermacher dicit: „Die Pflicht ist die Verfahrungsart, worin die Thätigkeit der Vernunft zugleich eine bestimmte, auf das Besondere gerichtete, und zugleich eine allgemeine, auf das Ganze gerichtet ist." Oder: „Die Formel für die Bewegung der Vernunftthätigkeit in einzelnen Handlungen zur Hervorbringung des höchsten Gutes." System der Sittenlehre. §. 112. u. s. f. 1835. Herbart dicit: „Nicht der wirkliche Wille, sondern das Bild des Willens ist gebunden im Sollen, nämlich gebunden an das unvermeidliche Urtheil." Analytische Beleuchtung des Naturrechtes und der Moral. S. 181. Göttingen 1836. De Hegel recte observat philosophus protestanticus Emman. Fichte, quod alioquin de omnibus Pantheistis et Materialistis valet: „Ihm fehlt

ex absurda suppositione, cui innititur, ut absurda omnino cognoscitur, praeterquam quod dictamini ipsius naturae atque sensui communi repugnat. Recentissime Summus Pontifex Pius IX. in Allocutione die 9. Junii 1862. habita inter alios errores hodiedum late disseminatos etiam perversum insipidumque commentum dicentium *omnia hominum officia esse nomen inane,* solemniter proscripsit et damnavit.

3. — Complures ex recentioribus philosophis, qui officia asserunt sive sincere sive ficte, de eorundem *partitione* falsa et absona effutire leguntur. Ecquidem 1) alii officia erga Deum non admittunt, nempe *Kantiani,*[1]) *Pantheistae* (§. 8. n. 4.) et *Materialistae*[2]) (§. 8. n. 8.). 2) Alii demum officia hominis erga semetipsum dari pernegant, ut *Fichte,*[3]) *Schopenhauer.*[4]) 3) Alii postremo hominem officiis erga animalia bruta obstringi defendunt, ut *Emman. Fichte.*[5]) *Schopenhauer,*[6]) *Büchner*[7]) aliique multi naturae inquisitores materialismo addicti. Contra quos errores

Doctrina vera et omnino certa est, omnia hominis officia esse erga Deum, erga semetipsum et erga alios, qui beatitudinem coelestem adipisci queunt, aut jam adepti sunt; quae quidem doctrina ex s. scriptura et ex ratione evincitur. 1) *Ex s. scriptura,* nempe ex illis Christi verbis, quibus Deum super omnia, et proximum sicut nos ipsos diligere jubemur. Matth. 22. 37—39; merito enim exinde

die Möglichkeit, einen Imperativ, ein eigentliches Gesetz für die Freiheit des Subjects anzuerkennen: denn in Wahrheit gibt es für ihn weder jenes, noch diese, ja in eigentlicher letzter Consequenz gibt es für ihn überhaupt keine Ethik, so gewiss diese nur auf dem Standpunkte individueller Freiheit möglich ist." Die philosoph. Lehren von Recht, Staat und Sitte. S. 231. Leipzig 1850. Necdum insolentiae satis! Schopenhauer: Die beiden Grundprobleme der Ethik. II. Ueber das Fundament der Moral. §. 4. Leipzig 1860. 2. Aufl. cum Schleiermacher: Christl. Sitte etc. effutire non dubitat, notionem praecepti et debiti ex lege Mosaica ortum ducere.

[1]) Kant asseveravit: „Der Mensch kann keine Pflichten gegen irgend ein Wesen haben, als gegen den Menschen." — „Es gibt keine Pflicht, theoretisch ein göttliches Wesen anzunehmen; dagegen ist es Pflicht *gegen uns,* Religion zu haben d. h. die Idee Gottes auf das moralische Gesetz anzuwenden, welche sich hier so fruchtbar erweist." Metaphysische Anfangsgründe der Tugendlehre. 1797.

[2]) A Materialismo vix longe distat Herbart, cf. Lehrbuch zur Psychologie, praesertim p. 188. Königsb. 1816. Ceterum hic de Deo nullibi loquitur. Emman. Fichte (Herbartianus modificatus) officia erga Deum expresse inficiatur. System der Ethik. II. Th. I. Absch. S. 254. II. Th. 2. Absch. S. 423. Leipzig 1851.

[3]) Iste loquitur tantum de officiis *circa nos* („Pflichten auf uns selbst") ut nimirum nos geramus tamquam media pro aliis (!). Vid. Herbart: Analytische Beleuchtung etc. S. 195.

[4]) Vid. Die beiden Grundprobleme der Ethik. II. S. 238. u. s. f. Leipzig 1860.

[5]) System der Ethik, II. Th. I. Absch. S. 20. Leipz. 1851.

[6]) Die beiden Grundprobleme der Ethik. S. 238. u. s. f.

[7]) Kraft und Stoff. S. 234, et alibi. 5. Aufl. Frankf. 1858.

conjicitur, hominem erga Deum, erga semetipsum et erga alios officiis obstringi, quod ipsum insuper eruitur ex effato Apostoli Pauli dicentis, Dei filium apparuisse, ad erudiendum nos, ut *sobrie* et *juste* et *pie* vivamus in hoc saeculo, Tit. 2. 12. nimirum sobrie erga nos, juste erga proximum, pie erga Deum, ut recte s. Bernardus [1]) explicat. 2) *Ex ratione.* Officia videlicet ex lege dimanant, lex autem hominem dirigit ad beatitudinem aeternam (cf. §. 25. n. 1.), quapropter omnia officia ad consequendam beatitudinem aeternam referuntur. [2]) Unde prona fit illatio, nos ante omnia officiis *erga Deum* obstringi, in cujus quippe possessione beatitudo nostra sita est, atque deinceps erga eos omnes et solos, qui beatitudinis vel capaces vel jam participes sunt; ergo in specie *erga nos ipsos,* utpote qui ad illam consequendam apti et nati sumus, et deinde *erga proximos,* nempe erga alios homines nobiscum peregrinantes in terra, erga animas in purgatorio detentas, atque erga Beatos et Angelos cum Christo gloriose regnantes in coelo. — Alio modo: Omnia hominis officia ad observantiam moralis ordinis, quem Deus nobis praestituit, referuntur (§. 27. n. 1.) Atqui ordo moralis triplex est, hominis ad Deum, ad semetipsum et ad alios. (§. 18. n. 2. §. 19. n. 3.) Ergo triplicis generis officia dantur.

Unde apparet, officiis *erga animalia bruta* nos non devinciri, quia haec Deum, finem beatitudinis, in se attingere non valent, [3]) atque in longe inferiori ordine posita sunt quam homines. Verum *circa* animalia (in Betreff der Thiere) officia utique habemus, quandoquidem iisdem abuti nullatenus licet; et haec officia ex iis, quibus tenemur ad Deum, redundant; Deus enim non ad temeritatem et saevitiam exercendam, sed ad convenientem utilitatem capiendam homini bruta concessit. [4])

Quod autem allata incredulorum commenta attinet, haec in absurdis praemissis fundantur. Qui enim officia *erga Deum* non admittunt, existentiam Dei veri, et relationem necessariam ac intrinsecam hominis ad Deum inficiantur. Qui officia hominis *ad seipsum* oppugnant, individualitatem seu personalitatem hominis agnoscere detrectant. Qui vero officia hominis *erga bestias* defendunt, essentialem diver-

[1]) In tempore resurrectionis Serm. 2. n. 11.

[2]) S. Augustinus dicit: „*De fine namque boni inter philosophos quaeritur, ad quod adipiscendum omnia officia referenda sunt.*" De Civit. Dei libr. X. cap. 18.

[3]) Apte dicit s. Augustinus: Homo potest animo Deum habere; cetera autem, quamvis a Deo habeantur, non habent Deum. De beata vita n. 34.

[4]) In A. T. plura erant praecepta de animalibus mansuete tractandis, prouti 2 Mos. 22. 28.; 5 Mos. 22. 4. 6—7.

sitatem hominem inter atque bruta animantia negant,[1]) adeo quidem, ut haecce suos amicos, fratres, sorores appellare non erubescant. Ac proinde, quum praemissae evidenter falsae sint, ut tales quoque consecutiones ex iis deductae luce clarius apparent.

Sectio II.

De specibus legis.

Agendum est primum de lege aeterna, deinde de legibus temporalibus, videlicet de lege naturali, de lege positiva divina et de lege humana.

Articulus I.

De lege aeterna.

§. 29.

De natura et vi legis aeternae.

1. — *Lex aeterna est ratio seu conceptus ordinis a creaturis servandi ab aeterno in Deo existens.*[2]) Sub ordine comprehendimus omnem ordinem, qui in mundo habetur, physicum et moralem, naturalem et supernaturalem.

Lex aeterna differt ab idea divina et a providentia divina, cum utraque tamen intime juncta est. Tria namque in rebus spectari possunt. *Primum,* res ipsae in se, secundum suam essentiam seu naturam; *alterum,* ordo seu relatio rerum ad se invicem et ad

[1]) Sic e. g. Büchner dicere non erubescit: „Der Mensch hat kein Recht, sich als Wesen verschiedener und höherer Art anzusehen; mit Allem, was lebt und blüht, theilt er gleichen Ursprung und gleiches Ende. Eine aus Vergleichen und Schlüssen hervorgegangene Ueberlegung leitet die Thiere in ihrem Handeln; der geistige Process, durch den dies geschieht, ist seinem Wesen nach vollkommen derselbe, wie beim Menschen, wenn auch die Urtheilskraft dabei eine weit schwächere ist.“ Kraft und Stoff. S. 262.

[2]) Haec definitio quoad suam essentiam congruit illis, quas s. Augustinus et s. Thomas legem aeternam definientes proponunt. S. Augustinus dicit: „*Lex aeterna est ratio divina seu voluntas Dei ordinem naturalem conservari jubens et perturbari vetans.*“ Contra Faustum Libr. XXII. cap. 27. De Civitate Dei, Lib. XIX. cap. 15. „*Ut igitur breviter aeternae legis notionem, quae impressa nobis est, quantum valeo, verbis explicem, ea est, qua justum est, ut omnia sint ordinatissima.*“ De libero arbitrio lib. I. c. 6. „*Illa lex — summa ratio vocatur, cui semper obtemperandum est.*“ l. c. libr. I. c. 6. S. Thomas haec habet: „*Lex aeterna nihil aliud est, quam ratio divinae sapientiae, secundum quam est directiva omnium actuum et motionum.*“ — „*Lex aeterna est ratio ordinis rerum in finem.*“ 1. 2. q. 93. a. 1. „*Lex aeterna est ratio divinae gubernationis.* 1. 2. q. 93. a. 4. c.

Deum, communem omnium finem; *tertium,* conservatio rerum quoad suam propriam naturam et conveniens earum in finem directio seu gubernatio. Jam vero ratio seu notio rerum in se spectatarum, in divina mente existens, vocatur *idea divina.* Ratio seu notio ordinis a creaturis servandi, a Deo praeconcepta, *lex divina aeterna* audit, ut supra habitum est. Ratio seu notio ordinis hujus ad executionem applicata, ut res conserventur et in fines suos gubernentur, *providentia divina* nuncupatur.[1]) Hinc idea divina praesupponitur legi aeternae, et providentia divina utramque consequitur.[2])

2. — Philosopho *Kant* praecedente *Rationalistae* et *Pantheistae* rationem humanam tamquam supremam et absolutam legem venditant, Deum autem ut principalem regulam actionum humanarum praeterire non expavescunt.[3]) Politici *Liberalismo* addicti et *Socialistae* conclamare audent, voluntatem populi publica quam dicunt, opinione vel alia ratione manifestatam constituere supremam legem ab omni jure divino solutam. Cf. §. 8. n. 4. 5. et 8. Contra quam exsecrandam impietatem sint propositiones sequentes:

PROPOSITIO I.

Existit lex aeterna, a qua omnes aliae leges derivantur.

3. — Existere legem aeternam, est certa doctrina, in s. scriptura Sap. 8. 1; Prov. 8. 23. fundata, quam inter ss. Ecclesiae Patres magnus s. Augustinus copiose edisserit, et quam post Doctorem Angelicum Theologi communissime tradunt.[4]) Ita autem ex veritatibus

[1]) C. s. Thom. de Veritate, q. 5. a. 1. ad. 6. — Lessius dicit: „Conceptio ordinis rerum in divina mente existens a voluntate ad executionem applicita, providentia dicitur.“ De perfectionibus moribusque divinis, libr. XI. cap. 1. n. 2. Suarez ait: „Providentia est veluti ratio exequendi et applicandi legem aeternam.“ De legib. libr. II. cap. 3. n. 12. Continuator Honorati Tournelly (Collet): „— providentia videtur id exequi in tempore, quod lex aeterna praescripsit ab aeterno.“ Tom. III. Tract. de legibus cap. 2. Concl. 1. Habert: „Providentia regulam illam (legem aeternam) in tempore exequitur, et subministrat media per legem aeternam praescripta, quibus unaquaeque res congruenter ad finem suum perducatur.“ Theol. dogm. et moral. Tom. III. Tr. de regula morum P. II cap. 6.

[2]) S. Thomas: „Providentia non nominat legem aeternam, sed aliquid ad legem aeternam consequens.“ De veritate, q. 5 a. 1. ad 6.

[3]) Reinhold philosophus hac de re scribit: „Sowohl in der praktischen Philosophie des *Kriticismus*, als auch in der gesammten gereinigten oder höheren *Transcendentalphilosophie* ist die *Autonomie* das durch sich selbst Begründete und Begründende und keiner weiteren Begründung Fähige und Bedürftige, *das schlechthin Ursprüngliche, durch sich selbst Wahre und Gewisse, das Urwahre,* das prius κατ' ἐξοχήν, *das absolute Princip.*“ Beiträge zur Uebersicht der Philosophie im Anfange des 19. Jahrh. 1801. Heft 2. S. 108.

[4]) Imo et gentilium sapientiores hanc veritatem cognoverunt, ut testatur Cicero, qui dicit: „Hanc video sapientissimorum

jam aliunde notis demonstrari potest. Notum est, existere ordinem, quem Deus ad Sui gloriam et ad hominum beatitudinem servari vult (Tr. I. cap. 2.). Aeque notum est, Deum esse immutabilem, qui in tempore quidquid ad extra agit, ab aeterno in intellectu suo concepit. Quae cum ita sint, Deus certe ab aeterno ordinem rerum sancivit et a cunctis entibus, quae creare voluit, pro modo suo observandum decrevit. Existit itaque in Deo ab aeterno conceptus seu ratio ordinis a creaturis servandi. Haec autem ratio seu notio lex aeterna dicitur. (coll. n. 1.) Ergo existit lex aeterna.

Objicies: *Promulgatio est de ratione legis. Atqui promulgatio non potuit esse ab aeterno, quia non erat ab aeterno, cui promulgaretur. Erga nulla lex est aeterna.*

Resp. Sane ab aeterno non fuit creatura, cui lex promulgaretur; nihilominus tamen ab aeterno fuit lex, quia ad rationem legis satis est, ut vim habeat obligandi, quamvis nondum liget, quia nondum applicata et promulgata.[1])

4. — *Ab hac lege aeterna omnes ceterae leges dimanant.* Haec s. Augustini,[2]) d. Thomae[3]) et reliquorum omnium Theologorum est sententia et doctrina. A lege aeterna enimvero descendit *lex naturalis,* quia haec non est nisi participatio quaedam legis aeternae in mente humana;[4]) — *lex positiva divina,* quae est altior participatio ejusdem legis aeternae;[5]) — *humana* demum, tum quia nihil recti et justi in humanis legibus esse potest, quod ab aeterna lege, naturali et positiva divina mediantibus, non derivetur;[6]) tum, quia ab aeterna lege principes justa decernendi habent potestatem. Utramque hanc rationem involvit hic textus Prov. 8. 15. „*Per me reges regnant,* i. e. a me suam habent auctoritatem suamque leges condendi potentiam, *et legum conditores justa decernunt,*" i. e. in tantum justa praecipiunt, in quantum legi meae sese conformant.[7])

fuisse sententiam, legem neque hominum ingeniis excogitatam, neque scitum aliquod populorum, sed *aeternum quiddam, quod universum mundum regeret imperandi prohibendique sapientia.*" De leg. libr. II. Vid. etiam: De rep. libr. III.

[1]) Card. Gotti: Theol. Tract. 5. q. 2. Dub. 1. n. 13.

[2]) „*Haec* (prima sapientia) *est illa incommutabilis veritas, quae lex omnium artium dicitur, et ars omnipotentis artificis.*" De vera religione c. 31. n. 57. Vid. etiam ibid. n. 58. Quaest. in Exod. Lib. II. q. 67.

[3]) Summa Theol. 1. 2. q. 93. a. 3.

[4]) S. Thomas 1. 2. q. 91. a. 2.

[5]) Idem 1. 2. q. 91. a. 4.

[6]) S. Augustinus: De libero arbitrio Libr. I. c. 6. n. 15. dicit, „in temporali lege nihil esse justum ac legitimum, quod non ex lege aeterna homines sibi derivaverint." Sub temporali lege intelligit civilem, quae quippe circa temporalia bona versatur.

[7]) Vide s. Thomas: 1. 2. q. 93. a. 3. Hinc bene dicit Gregorius de Valentia, omnem auctoritatem humanam, etiam civilem, quatenus derivatur ex lege aeterna, per eamque fulcitur, habere relationem quandam ad ultimum finem hominis. Lib. de Potestate legis humanae, praesertim Ecclesiasticae, Cap. II. Cf. §. 25. n. 1.

Sed an etiam *lex membrorum* seu *fomes* in homine (cf. §. 24. n. 2.) ab aeterna lege dirivatur? Respondet Angelicus, fomitem, in quantum est poena a divina justitia inflicta, habere rationem legis, nempe „legis poenalis" *(jure supplicii enim divino judicio attributa et imposita est haec sarcina premens et urgens,* s. Augustinus inquit), et sic derivari a lege aeterna; in quantum vero inclinat ad peccatum, legi Dei repugnare, adeoque non habere rationem legis sensu proprio acceptae, adeoque nec a Deo esse.[1])

PROPOSITIO II.

Legi aeternae omnes creaturae subjiciuntur.

5. — Veritas doctrinae propositae non minus ex ratione, quam ex auctoritate doctorum, inprimis s. Augustini,[2]) s. Bernardi[3]) et s. Thomae,[4]) evincitur, et quidem sequenti modo: Quia Deus providentia sapientissima in omnibus gloriam suam bonumque universi vult et intendit, et quia hic porro finis ex observantia ordinis ab ipso stabiliti pendet, quod utrumque certum probatumque jam est: ideo necessario ab omnibus ordinem seu legem, ordinem hunc

[1]) S. Thomas: 1. 2. q. 93. a. 3. ad 1. — Perpulchre Angelicus Doctor 1. 2. q. 91. a. 6. poenalem fomitis characterem in hunc ferme modum illustrat: Quemadmodum ille, qui propter culpam quampiam dignitate sua a principe privatur, consequenter transit in aliam vitae conditionem et in aliam quasi legem, ut e. g. nobilis, qui flagitio commisso dignitate sua destituitur, transit in conditionem sive agricolarum, sive mercatorum etc., atque eorumdem onera sustinere cogitur; ita similiter homo, qui propter peccatum divino judicio destitutus est originali justitia, incurrit quodammodo conditionem et legem animalium („*comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis.*" Psalm. 48. 21.), ita ut eorum instar sensualitatis impetu feriatur, et ab ea veluti a sarcina prematur et urgeatur. Et sicuti opera servilia peragere, est lex simpliciter talis agricolarum, mercatorum etc., poenalis autem lex est in nobili illo dignitate sua propter culpam commissam destituto: ita impetus sensualitatis, qui in brutis simpliciter habet rationem legis, pro homine in tantum est lex, in quantum est poenalis sequens ex divinae legis justitia. — Jam s. Augustinus: Op. imp. contra Julianum Pelagianum Lib. IV. n. 38. et 41. scripsit: „*Fatere secundum Christianam fidem, etiam istam esse hominis poenam, quod comparatus est pecoribus insensatis et similis factus est illis. — Carnis concupiscentia pertinet ad naturam pecoris, ad poenam vero hominis.*"

[2]) In Libro Quaest. 83. q. 27. dicit: „*Lex incommutabilis omnia mutabilia pulcherrima moderatur gubernatione.*" In opere de Civitate Dei Lib. V. cap. 11. dicit, nihil esse in universo, quod sit alienum a legibus providentiae divinae, et Libr. X. cap. 7. ait, in illa „*superna civitate, superna quodammodo curia (geritur namque ibi cura de nobis) Dei voluntatem esse intelligibilem atque incommutabilem legem,*" rursus ibidem Lib. XIX. cap. 12. „*nihil,* inquit, *a legibus summi creatoris ordinatorisque subtrahitur; a quo pax universitatis administratur,*" et simili modo loquitur in Libr. I. de libero arbitrio n. 15. etc.

[3]) „*Haec* (charitas) *est lex aeterna, creatrix et gubernatrix universitatis; — sine lege nihil relinquitur.*" Epist. 11. ad Guigonem. n. 4.

[4]) Summa Theol. 1. 2. q. 93. a. 5. et 6.

praescribentem et determinantem, observari vult. Omnes igitur creaturae, quae in coeli, terrae et inferni ambitu continentur, imperio hujus legis penitus subjiciuntur, atque modo, qui singulis congruit, eidem obsequi debent. Creaturae irrationales vi quadam necessaria legi aeternae conformantur, creaturae rationales libera voluntatis potestate ei obtemperare jubentur.

Obstringit autem nos Deus per legem aeternam mediantibus legibus temporalibus, per quas nimirum lex illa promulgatur. Lex enim aeterna, prout in se ipsa est, a nemine cognoscitur, nisi a Deo et beatis, qui Deum per essentiam vident; viatoribus tantum ex effectibus suis innotescit, quemadmodum sol, qui non videtur in sua substantia, ex splendore suo cognoscitur.[1])

6. — Deus autem ipse legi aeternae in agendo nullatenus subjectus est. Quamquam nimirum juxta rationes sapientiae suae operetur: hae tamen vim legis pro eo minime habent, quum non sint jussa superioris; siquidem Deo superius, a quo dependeat, nihil habetur. Ipse summus est, ipse, supra quem nihil est, ultra quem nihil.[2]) Jesus Christus secundum humanam naturam quidem legi aeternae subjectus erat, non autem secundum divinitatem, nam secundum hanc potius ipse est lex per quamdam appropriationem, propter convenientiam, quam lex ad Ipsum habet, quia lex est aliquid rationis, et ratio appropriatur filio. Ita s. Thomas.[3])

7. — *Lex aeterna dispari quidem eventu, pari tamen necessitate omnibus imperat.* Qui videlicet directivam ejus vim probe sequuntur, coërcitivam seu punitivam ejusdem vim non patiuntur, sed meritis potius praemiisque feliciter coronantur. Qui e contra directioni hujus legis non obtemperant, in ejusdem vim coërcitivam incidunt, et culpa poenisque misere cruciantur.

Nemo igitur legem omnipotentis Creatoris superat;[4]) quisquis enim ordinem non tenet, ordine tenetur,[5]) quia juste ordinatur in

[1]) S. Thomas: 1. 2. q. 93. a. 2. — S. Augustinus in Libr. de vera religione cap. 31. tribuit peculiariter mundis animis cognitionem aeternae legis, quia plura solent illi cognoscere, in quibus splendent veluti radii legis aeternae.

[2]) S. Bernardus: Serm. 11. in Psalm. Qui habitat. n. 12. — S. Thom. 1. 2. q. 93. a. 4. Consentit s. Anselmus Lib. I. Cur Deus homo, cap. 12. dicens, Deum esse omnino liberum a lege. Ita et Gregorius de Valentia, in primam secundae Disp. VII. q. 3. Punct. 3. et alii omnes.

[3]) 1. 2. q. 93. a. 4. ad 2. coll. q. 93. a. 1. ad 2.

[4]) S. Augustin. De libero arbitrio Lib. III. c. 15. n. 44.

[5]) *Idem* de Musica Libr. VI. c. 14. n. 46.

poenis, qui injuste se ordinat in peccatis:[1]) atque similiter, qui secundum legem agere non vult, agitur a lege,[2]) quoniam merito ille, qui non voluntarie se subdit legi faciendo, quod praescribit, invitus subjicitur legi poenam luendo, quam dictat, ita, ut quantum deficit ex parte actionis, tantum suppleatur ex parte passionis.[3]) Quid idcirco eligere, efficere quid juvat, nisi ut magno et liberali animo nos Deo offeramus, voluntatemque ejus in omnibus prompte et fideliter exequamur, suppliciter cum Ecclesia orantes: *„Largire nobis, quaesumus Domine, semper spiritum cogitandi quae recta sunt, propitius et agendi, ut qui sine te esse non possumus, secundum te vivere valeamus.“*[4])

8. — Veritatibus, quas demonstrandas suscepimus, evidenter demonstratis, cum adversariis legis aeternae supra n. 2. adductis disceptare multis supervacaneum foret. Animadvertere satis erit, philosophos istos, qui cujusvis *rationem individualem sufficiunt legi divinae et aeternae*, ex futilibus et impiis suppositionibus procedere, cum Deum, a rerum universitate infinite diversum, Dominum et gubernatorem omnium agnoscere malitiose detrectent, atque hominem absolutum sui ipsius finem, Deumque ipsum esse, summa temeritate fingant;[5]) et quod politicos liberales et Socialistas attinet, eos qui *rempublicam civilem a Deo sejunctam* construere audent, rempublicam ipsam facere Deum, idolum inquam; unde consequenti impietate legem civilem ac populi voluntatem tamquam supremam legem proclamant.[6])

[1]) *Idem* Libr. ad Honoratum seu epist. 140. n. 4.

[2]) *Idem* de Musica Libr. VI. c. 11. n. 30.

[3]) *Idem* Libr. de catechiz. rudibus. c. 18. n. 30. De Ordine Libr. II. c. 4. n. 11. S. Thomas 1. 2. q. 93. a. 6. Praeclare etiam s. Bernardus: *„Miro itaque modo aeterna lex fugitivum suum, et posuit sibi contrarium* („posuisti me contrarium tibi“ Job. 7, 20), *et retinuit subjectum; dum videlicet, nec justitiae pro meritis legem evasit, nec tamen cum Deo in sua luce, in sua requie, in sua gloria remansit; subjectus potestati, et submotus felicitati.“* Epist. 11. n. 6.

[4]) Oratio Dominicae VIII. post Pentecosten.

[5]) Apposite auctor lutheranus Chalybaeus scribit: „Der Pantheismus bedarf keines Gottes ausser der Natur und dem Menschen selbst; die Vorstellung einer vom Menschen verschiedenen Gottheit ist nichts anders als der blosse Reflex des menschlichen Selbstbewusstseins.“ System der speculativen Ethik I. B. S. 101. Leipzig 1850. In philosophia demum Kantiana Deus homini plane subjicitur per commentum, Deum quoque teneri lege morali, quae quidem secundum istam philosophiam non est nisi ratio humana, ergo lex mere humana. Generatim in hoc systemate Deus non est nisi *caput constitutionale regni rationis* („das constitutionelle Oberhaupt eines Vernunftreiches“), ut Fr. Jul. Stahl scriptor protestanticus, animadvertit, vel *„summus regni moralis satrapa,“* ut Ambr. Jos. Stapf notat, ergo talis fingitur, qualis revera Deus non est.

[6]) Vere episcopus Ketteler ait: „Quod nobis Christianis Deus est, id filiis saeculi nostri est respublica, respective fractio, quae rempublicam gubernat.“ Ist das Gesetz das öffentl. Gewissen. S. 11. Frankfurt 1866. Hegel nudis verbis rempublicam civilem dixit realem et praesentem Deum esse. *(„Der Staat ist der wirkliche präsente Gott. — Er ist wahrhaft irdisch Göttliches, und*

Ceterum hoc Liberalismi figmentum S. P. Pius IX. in encycl. die 8. Decemb. 1864. censura confixit.

* S. Augustinus (praecipuus auctor, qui de lege aeterna sermonem habuit, ut merito dicit Suarez): De libero arbitrio Lib. I. c. 6. u. 15. et seq. (Op. Tom. I.) De vera religione c. 31. n. 57. et 58. (Tom. I.) De ordine Lib. II. c. 4. n. 11. (Tom. I.) Quaest. in Exod. Lib. II. q. 67. (Tom. III.) Contra Faustum Lib. XXII. cap. 27. et 28. (Tom. VIII.) S. Bernardus: Epist. XI. ad Guigonem Priorem et ceteros Cartusiae majoris religiosos, n. 4—6. S. Thomas: Summa Theol. 1. 2. q. 93. tot. — Suarez: De legibus Lib. II. cap. 1—4, Gregorius de Valentia S. J.: Comment. Theol. in primam secundae d. Thomae Disp. VII. q. 3. tota. Collet: Tractatus de universa Theologia morali, Tom. III. De legibus cap. 2. (In Edit. Paris. 1750. p. 21—34.) Neubauer S. J. Theolog. Wirceburg. Tract. de legibus cap. 1. art. 2. (Ed. nova Parisiis 1852. Tom. III.) Herc. Oberrauch: De lege aeterna. Oeniponti 1776. Sailer: Handbuch der christl. Moral 1. B. §. 70. S. 159—161. Sulzbach 1834. Stapf: Theologia moralis, Tom. 1. §. 31. et sq. Oeniponti 1855. Ed. 7. Probst: Katholische Moraltheol. 1. B. §. 50. S. 214—218. Tübingen 1848.

Articulus II.

De legibus temporalibus.

Quum lex aeterna nobis innotescat per leges temporales, de his consequenter 1. quantum ad earum essentiam, 2. quantum ad earum peculiares determinationes est disputatio instituenda.

DISTINCTIO I.

De legibus temporalibus quantum ad earum essentiam.

Sicut *ordo* moralis duplex est, *naturalis* et *supernaturalis:* ita lex, quae respicit ordinem moralem servandum, principaliter duplex est: *lex naturalis* et *lex supernaturalis* seu positiva divina, a quibus derivantur *leges humanae*, quae rursus sunt vel *ordinis naturalis* vel *ordinis supernaturalis*. De his nobis sermo est.

A. De lege naturali.

Considerabimus 1. existentiam et indolem, 2. materiam, 3. cognitionem, 4. obligationem, et 5. proprietates hujus legis.

muss als solches verehrt werden. — Das Volk als Staat ist die absolute Macht auf Erden. Alle Einzelnen haben derselben sich unbedingt zu fügen und für dieselbe sich zu opfern." Rechtsphil. §. 278.) Item Socialistae democratici societatem humanam excultam pro supremo numine habent. Dietzgen, unus eorum, sic scribit: „*Die cultivirte menschliche Gesellschaft ist das höchste Wesen, woran wir glauben.*" Die Religion der Socialdemocratie, Leipzig 1872.

§. 30.

De existentia et indole legis naturalis.

1. — *Lex naturalis dicitur lex, quae naturae rationali indita, et necessario imposita est a Deo ut auctore naturae, praecipiens ea, quae ordini naturali consentanea sunt.*[1]) Dicitur: 1) *naturae rationali indita*, nempe impressa, ingenita est rationi humanae, quae proinde hujus legis organum seu praeco,[2]) nequaquam autem lex ipsa est;[3]) 2) *a Deo* imposita, si quidem lex naturalis nil aliud est, quam participatio legis aeternae in natura rationali (§. 29. n. 4.); 3) *necessario* imposita,[4]) quia ordinem naturalem servari jubet, qui supposita Dei voluntate creandi naturam humanam, prouti est, necessario a Deo est stabilitus (§. 18. n. 6.), et necessario ab homine est servandus.[5])

2. — Existere veri nominis legem naturalem, negant *Pantheistae* et *Materialistae*, qui aut ex publica opinione et consuetudine hominum certo tempore vigenti, aut ex sensuali hujus vitae felicitate obtinenda, leges omnes deducunt.[6]) Ejusdem legis adversarii porro existunt cultores *Liberalismi* moderni, quatenus

[1]) S. Ambrosius ait: „— nesciat (sapiens) nisi secundum naturam vivere, in cujus instituto et ordine Dei lex est." Lib. II. de Abraham. cap 11. n. 93. S. Augustinus observat. quod lege divina „naturalis ordo servatur". Contra Faustum Lib. XXII. cap. 28.

[2]) Quum lex naturalis in ratione humana contineatur, ideo a Theologis, imo jam a s. Augustino (epist. 157. n. 18.) *lex rationis* dicitur.

[3]) S. Thomas: „Ratio humana secundum se non est regula morum, sed principia ei naturaliter indita sunt regulae quaedam generales et mensurae omnium, quae sunt per hominem agenda." 1. 2. q. 91. a. 3. ad 2.

[4]) S. Conc. Remens. 1853. cap. 16, sub III. „*Praecepta legis naturalis eo ipso, quod essentiales Deum inter et hominem hominumque inter se relationes exprimant, necessaria Dei voluntate continentur.*"

[5]) Reiffenstuel: Theol. mor. Tom. 1. Tr. II. dist. 1. q 1. n. 6. Reuter: Theol mor. par. I. Tr. III. de leg. quaest. 5. n. 128. Voit: Theol. mor. pars I. n. 134. 135. Kleutgen: „Vorausgesetzt, dass Gott die Welt und zwar diese Welt und diese Geschöpfe, die wirklich da sind, erschaffen wollte, konnte er auch kein anderes Sittengesetz, als jenes, das in dem wahren Verhältnisse der Geschöpfe unter sich und zu ihm gegründet ist, geben." Die Theologie der Vorzeit. I. B. S. 608. 2. Aufl. 1867.

[6]) Sic Hobbes (vid. Eman. Fichte die philos. Lehren etc. S. 516. Leipz. 1850), Helvetius (de l'esprit, disc. 3. c. 4.) praeter alios in Gallia, Büchner (Kraft und Stoff, 1. Aufl. S. 243. 248. 257.), Moleschott, Vogt aliique multi in Germania instinctum naturalem et appetitum boni sensualis propriique commodi ut mensuram et regulam operandi praedicant. Schoppenhauer (die beiden Grundprobleme der Ethik, II. Th. S. 121. Leipz. 1861. 2. Aufl.) aliam legem voluntatis humanae non admittit, quam legem motivationis („das Gesetz der Motivation"), sub qua ipsi venit necessitas intrinseca, fortioribus obsequendi motivis.

legem civilem supremam et absolutam agendi regulam fingunt;[1]) denique *Socialistae democratici*, qui indomitam cupiditatem inserviendi carnis voluptatibus et commodis pro lege habent. (Cf. §. 8. n. 4. et seq.)

Alii rursus, *Traditionalismo* addicti, legem naturalem nequaquam naturaliter homini inditam et ingenitam, sed ex revelatione supernaturali acceptam et ope traditionis ac exterioris magisterii seu disciplinae propagatam esse contendunt.[2])

Contra hos duplicis generis errores veritatem duabus insequentibus propositionibus propugnare intendimus.

PROPOSITIO I.

Existit lex naturalis.

3. — Doctrina haec certa est et secundum fidem et secundum rationem.

De *fide* certa est. Patet 1) ex s. scriptura, nam Apostolus Paulus dicit: „*Dum gentes, quae legem* (scriptam, Moysi revelatam) *non habent, naturaliter ea, quae legis sunt, faciunt, ejusmodi legem non habentes ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis.*“ Rom. 2. 14. 15. — 2) Ex Traditione. Etenim ss. Patres, ut s. Basilius,[3]) s. Chrysostomus,[4]) s. Gregorius Nazianzenus,[5]) s. Ambrosius,[6]) s. Augustinus[7]) hanc doctrinam ut omnino certam evictamque tradunt; atque Theologi in eadem asserenda unanimes reperiuntur.

[1]) Hegel in legibus civilibus summam eorum, quae facienda sunt, repouit. (Cf. Imman. Fichte die philos. Lehren u. s. w. S. 211. 218.) Herbart dicit, leges civiles esse exempla eorum omnium, quae subinde Ethica de legibus moralibus dicere consuevit („die bürgerlichen Gesetze sind das Vorbild alles dessen, was weiterhin die Moral von Sittengesetzen zu sagen pflegt.“ Lehrbuch der Psychologie S. 181. 2. Aufl.) De antinomismo Liberalismi egregie scripsit: Riess S. J. Der Liberalismus und seine Verzweigungen (Stimmen aus Maria Laach, V.) §. 7. Freib. 1866.

[2]) Praelusit Traditionalistis recentissimis Melanchthon dicens: „— *mihi paene libet vocare legem naturae non aliquod congenitum judicium seu insitum et insculptum natura mentibus hominum, sed leges acceptas a patribus et quasi per manus traditas subinde posteritati.*“ Loc. theol. p. 67. Apud Möhler Symbolik. S. 83. Mainz 1843.

[3]) Dicit, in nobis esse „*judicium quoddam naturale, quo ab iniquis bona facile discernimus.*“ Homil. in princ. Proverb.

[4]) Praesertim in Homilia 12. et 13. de statuis, ubi haec lex persaepe etiam *naturalis* vocatur.

[5]) Oratio XXVIII. n. 6: ubi expressio: *naturalis lex* quoque occurrit.

[6]) „*Lex autem gemina est, naturalis et scripta. Naturalis in corde, scripta in tabulis.*“ De fuga saeculi cap. 3.

[7]) „*Nulla est anima, in qua non loquatur Deus. Quis enim scribit in cordibus hominum legem naturalem, nisi Deus.*“ De Sermone Domini in monte, L. II. c. 6. — Confess. Lib. II. c. 4. Enarr. in Psalm. 118. Serm. 25. n. 4. De natura et gratia cap. 2. n. 2. Epist. 157. n. 15. et alias.

Eadem doctrina etiam *ex ratione* ut omnino certa innotescit. Profecto enim unusquisque alia ordini recto, qui per rationem innotescit, convenire, alia eidem repugnare perspicit, simul atque ad illa ut moraliter bona sectanda, ad haec vero ut moraliter mala repudianda se obstringi vivide persentiscit. Haec jam dictamina ex educatione, aut assuetudine, aut mutua hominum conventione repeti nequeunt, quum universalia et perpetua sint, quam ob rem interno lumini et imperio tribui debent. Atqui hoc est, quod legem naturalem dicimus. Ergo exstat in homine lex naturalis.

* S. Joa. Chrysostomus: Homilia 12. et 13. de Statuis. S. Thomas: Summa Theol. 1. 2. q. 91. a. 2. S. Alphonsus: Widerlegung des im J. 1759 vom P. Clemens XIII. verdammten Werkes: de l'esprit von Helvetius n. 11—17. (die Wahrheit des Christenthums. II. S. 328—333).), Regensb. 1843. *Con. Prov. Burdigal.* a. 1868. cap. 4. n. 3. et seq. — Neubauer S. J.: Theologia Wirceburg. Tom. III. de legibus cap. 1. art. 3. Edit. nova Parisiis 1852. Collet: Tractatus de universa Theologia morali, Tom. III. Tract. de legibus, cap. III. Dmowski S. J.: Institutiones philos. Vol. II. p. II. a. 2. p. 102—111. Romae 1840. Liberatore S. J.: Institut. philos. Vol. III. cap. 3. p. 82—87. Romae 1855. Ed. S. Roselli O. P. Summa Philosophica, P. III. Quaest. 3. a. 1. p. 112—125. Ed. 3. Bononiae 1859.

PROPOSITIO II.

Lex naturalis est lex indita homini.

4. — Propositio adserta spectat ad doctrinam certam et catholicam, quia satis clare ex s. scriptura, ex sensu Ecclesiae traditionali, nec non ex ipsa legis hujus indole patescit: 1) Ex s. scriptura, etenim s. Paulus legem hanc dicit *scriptam* esse *in cordibus hominum*. Rom. 2. 15. — 2) Ex sensu Ecclesiae traditionali. Ecquidem ss. Patres in hac doctrina profitenda concordes inveniuntur. Sic s. Chrysostomus iterato legem naturalem omnibus hominibus, gentilibus non exceptis, *inhaerere, innatam, insertam, implantatam* esse affirmat.[1]) Etiam s. Gregorius Nazianz. eandem appellat legem *omnibus implantatam*.[2]) Egregie s. Ambrosius dicit: „*Esse autem legem naturalem in cordibus nostris, etiam Apostolus docet, qui scribit: „gentes naturaliter, quae legis sunt, faciunt etc.“ Ea igitur lex non scribitur, sed innascitur, nec aliqua percipitur lectione, sed profluo quodam naturae fonte in singulis exprimitur, et humanis ingeniis hauritur.*“[3]) S. Augustinus legem naturalem vocat *legem rationis*,[4])

[1]) Homil. 12. et 13. de statuis.

[2]) Homil. 28. n. 16.

[3]) Epist. 74. n. 2. et 3.

[4]) Epist. 157. n. 18.

legem, quae est in ratione,[1]) *legem manu formatoris scriptam in cordibus hominum,*[2]) etiam *legem naturaliter in corde conscriptam,*[3]) *legem naturaliter insitam,*[4]) *legem intimam.*[5]) S. Gregorius M. eandem legem *inspiratam* nuncupat.[6]) — Patribus Theologi concinunt, qui quidem solent dicere, legem naturalem esse naturae inditam, naturae insertam, insitam, naturae inhaerentem, proprietatem naturae, congenitam nobis cum natura, eam inesse unicuique inde a suo ortu etc. — *Catechismus Romanus* docet: „*Nemo est, quin sibi a Deo legem in animo insitam esse sentiat.*“[7]) Idem attestatur *Concilium Prov. Viennense,* a. 1858. celebratum, dum Tit. I. cap. 5. *de veri rectique principiis naturae humanae insitis* loquitur.[8]) Et Summus Pontifex glor. mem. Pius IX. in encycl. epist. 10. Aug. 1863. *naturalem legem in omnium cordibus a Deo insculptam esse* dicit. — 3) Denique ex ipsa indole legis hujus veritatem colligere licet. Nam lex naturalis dictat, quae ordini naturali consentanea sunt, juxta definitionem n. 1. datam; atqui innotescit ordo hic servandus per ipsam rationem; quare in ratione ipsa quodammodo continetur et cum ratione naturae humanae insita est.

5. — Ad quaestionem, *quo sensu lex naturalis nobis ingenita dicatur,* cum d. Thoma,[9]) s. Bonaventura,[10]) aliisque permultis sic respondemus: lex naturalis in subjecto, nempe in homine duplici modo considerari potest, uno modo, ut *actus* i. e. ceu actualis cognitio principiorum moralium, altero modo, ut *habitus* seu dispositio ad actum,[11]) nempe ut facilitas prima morum principia naturaliter cognoscendi; porro lex naturalis non quatenus actus est, sed quatenus in habitu consistit, homini indita et ingenita est.[12])

---

[1]) Ibid. n. 15.

[2]) De Sermone Domini in monte Lib. II. c. 9. n. 32. Confess. Lib. II. c. 4. Enarr. in Psalm. 57. n. 1.

[3]) Epist. 157 n. 15.

[4]) Enarr. in Ps. 118. Serm. 26. n. 5.

[5]) Enarr. in Psalm. 57. n. 1.

[6]) In Evang. Hom. 31. n. 3.

[7]) Libr. III. cap. 1. q. 3.

[8]) Item *Conc. Prov. Burdigal. anno* 1868. cap. 4. n. 4.

[9]) Summa Theol. 1. 2. q. 90. a. 1. ad 2.; q. 94. a. 1.

[10]) In Libr. II. Sent. Dist. XXXIX. art. II. q. 1. ad. 5.

[11]) S. Thomas: „Habitus non est terminatio actus, sed dispositio ad actum. 1. 2. q. 54. a. 1. ad 3: „Habitus est quodammodo medium inter potentiam puram et purum actum.“ 1. q. 87. a. 2.

[12]) S. Thomas ait: „*Promulgatio legis naturae est ex hoc, quod Deus eam mentibus hominum inseruit naturaliter cognoscendam.*“ 1. 2. q. 90. a. 4. — S. Bonaventura scribit: „Quemadmodum cognitio principiorum primorum ratione luminis naturalis dicitur esse nobis innata, quia lumen illud sufficit ad illa cognoscenda, — — sic et primorum principiorum moralium cognitio nobis innata est pro eo, quod judicatorium illud sufficit ad illa cognoscenda.“ In Lib. II. Sent. Dist. 39. a. 3. q. 2.

* S. Thomas: 1. 2. q. 90 a. 1. ad 2; q. 94. a. 1. (Cf. q. 79. a. 12.) — Suarez: De lege Libr. II. cap. V. n. 13. et 14. Liberatore S. J.: Die Erkenntnisstheorie des hl. Thomas von Aquin. Aus dem Italien. übersetzt von Eugen Franz. Cap. VII. Art. 7. n. 282—285. S. 234—237. Mainz 1861. D. Bouix: Tractatus de principiis juris canonici P. I. Sect. I. ca. 3. §. II. cap. 21—28. Monasterii 1853.

Refutatio adversariorum.

6. — Pseudophilosophi supra commemorati, qui legem naturalem in homine existere negant, redarguuntur ab ipsis gentilium philosophis. Namque Platonem,[1]) Aristotelem,[2]) Ciceronem,[3]) Senecam,[4]) legem naturalem firmiter asseruisse legimus. Et quilibet sane ex rationis dictamine, intimaque sui ipsius conscientia non potest non de legis hujus existentia sibi persuadere.[5]) Vere *Conc. Prov. Burdigal.* a. 1868. cap. 4. n. 4. dicit, *hominem vel a cunabulis instinctive et confuse sentire hanc legem, quam postea pro aetatis incremento, voluntario studio, ingeniique acie rationabiliter clarissimeque percipit.* Hinc qui legem naturae negant, contra impulsus naturae suae pugnant. Ceterum radix istius neotericorum deliramenti invenire est in illa perversitate, qua Deum omnium Dominatorem, sanctissimum et justissimum existere, atque animam hominis spiritualem liberaque voluntate praeditam esse, inficias eunt. In quam rem recte animadvertit s. Alphonsus: „Si non est Deus, tunc obligatio bonum faciendi malumque vitandi non datur, quia si nullus est legislator, lex quoque nulla habetur.“[6]) Idque a potiori valet, quando simul animae spiritualitas ac liberum arbitrium tollitur. Numquid enim cum ejusmodi negatione ullo modo conceptus moralitatis atque legis moralis componi et consistere potest? — Liberalismi denique sectatores in scitis humanis legi divinae substituendis tam dementer et turpiter offendunt, quam insipide et nefarie rempublicam a Deo avulsam construere moliuntur. Porro si rejicitur lex a Deo cordibus nostris inscripta, ipsa lex civilis nec fundamentum nec vim obligandi habet.[7])

7. — Traditionalistae, qui legem naturalem homini congenitam esse inficiantur, in suppositione nituntur, rationem humanam per peccatum originale adeo

---

[1]) De legibus L. I.

[2]) Pol. L. V. c. 17.

[3]) De legib. L. I. c. 6. Oratio pro Milone c. 10.

[4]) De benefic. L. IV. c. 17. Epist. 124.

[5]) Sapienter Card. Rauscher observat: „Der Mensch fühlt sich einem Gesetze unterthan, von welchem er das Auge des Geistes abwenden, das er aber nicht ändern kann, und wenn er es mit allen Kunstgriffen eines fertigen Sachwalters umdeutet, so wird er der Falschheit überwiesen, indem er es höchst verwerflich findet, wenn das, was er an Andern that, an ihm selbst verübt wird. Es ist eine Gewalt, welche über seinem Wollen oder Nichtwollen steht.“ Der Staat ohne Gott. S. 9.

[6]) Widerlegung des vom Papste Clemens XIII. verdammten Buches de l'esprit n. 12.

[7]) Stöckl: Der Materialismus geprüft in seinen Lehrsätzen und deren Consequenzen, Mainz 1877. „Das Staatsgesetz ist ein- für allemal Nichts ohne das sittl. Gesetz, das Gott in unser Herz geschrieben; wer letzteres leugnet, der raubt damit auch dem Staatsgesetze sein Fundament; letzteres schwebt ohne dieses Fundament in der Luft, und vermag nimmermehr als wirkliches, obligirendes Gesetz sich aufrecht zu erhalten.“ S. 86.

esse debilitatam, ut absque exteriori instructione, quae a traditione, per eamque a revelatione divina proveniat, impotens omnino sit ad veritates religiosas et morales naturalis ordinis detegendas, et potens tantum existat ad hujusmodi veritates revelatas in se suscipiendas, intelligendas, demonstratione collustrandas, explanandas. Verum haec assertio doctrinae catholicae, in divinis scripturis et in Traditione firmissime fundatae, manifeste adversatur, ut Dogmatica ostendit.

§. 31.

De materia legis naturalis.

1. — Lex naturalis *ea generatim* complectitur, quae ordini morali in natura hominis fundato ita conveniunt vel repugnant, ut a Creatore naturae necessario praecipi vel prohiberi debeant. Cf. §. 30. n. 1.

In specie lex naturae versatur 1) circa prima et universalissima morum principia, quae primo statim intuitu innotescunt, prout e. g. bonum est faciendum, malum vitandum; Deus est colendus; quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris; — 2) circa secundaria morum principia, seu immediatas primorum principiorum conclusiones, cujusmodi sunt omnia Decalogi praecepta, si circumstantiam Sabbati in tertio praecepto excipias; — 3) circa conclusiones mediatas et magis remotas, ut e. g. contractus usurarius est illicitus.

2. — Quum tres sint naturales relationes necessariae, quibus homo implicatus existit, nempe ad Deum, ad semetipsum et ad alios (§. 18. n. 2.), ideo legis naturalis praecepta partim circa Deum, partim circa hominem ipsum, partim circa proximum versantur. Imprimis autem lex naturae respicit hominis erga Deum officia: nec enim ullus in rerum natura datur nexus sanctior arctiorque eo, qui inter hominem et creatorem suum intercedit.

3. — Lex naturalis non solum praecipit, ut quae naturae rationali consentanea sunt, operemur, sed etiam, ut eo modo, qui rationi rectae consonat, eadem peragamus, seu praecipit modum honestum operandi; unde illud Deut. 16. 20. *„juste, quod justum est, persequeris.“*

* S. Thomas: Summa Theol. 1. 2. q. 94. a. 3. — Suarez: De legib. L. II. cap. 10. n. 11—14. Continuator Honorati Tournely (Collet): Tom. III. Tractatus de Legibus cap. III. Sectio II. Neubauer S. J.: Theol. Wirceburg. Tom III. de legibus cap. 1. a. 6. et 7.

4. — Praecepta naturalia, quamvis plura sint, in eo tamen uniuntur, quod singula eorum praescribunt, quae ordini rationis conformia sunt, quocirca lex naturae *una* est in quolibet homine. [1])

* S. Thomas: Summa Theol. 1. 2. q. 94. a. 1. — Suarez: De legib. Lib. II. cap. 8. n. 2—4. Gregorius de Valentia: Comm. Theol. in 1. 2. Disp. VII. q. 4. Punct. 2.

§. 32.

De cognitione legis naturalis.

1. — Circa hanc rem diversi reperiuntur errores. Et quidem 1. *Traditionalistae* (ut Bonald, Bonetty, Gioberti), qui omne ferme jus rationi adimere, omnesque veritates religiosas et morales in solam revelationem supernaturalem transferre student, principia legis naturalis absque revelatione divina, solo naturalis rationis lumine cognosci posse, non concedunt (cf. §. 30. n. 7.) 2. Quidam *Rigoristae* cum *Sinnichio*, praeeuntibus Pelagianis, docuerunt, legem naturae nec in ulla re invincibiliter et inculpabiliter ignorari. 3. Denique *Lutherus* et *Calvinus*, *Bajus* et *Jansenius* tradiderunt, dari quidem ignorantiam legis naturalis invincibilem, eam vero semper culpabilem esse, quum ex peccato originali proveniat. [2])

2. — Dicimus I. contra Traditionalistas: *Primaria et secundaria morum principia per se non possunt ignorari, sed cuilibet ratione utenti ipso naturae lumine innotescunt.* — Assertio haec in s. scriptura

[1]) Collet: „Lex naturalis est una unitate finis, quia universa ejus praecepta in id unum tendunt, *ut servetur ordo.*“ Tract. de Legib. c. 3. a. 3.

Unitatem legis moralis Herbart philosophus inficiatur, asserens, quinque dari leges morales, quas ideas practicas, judicia aesthetica („praktische Ideen“, „den Willen betreffende aesthetische Urtheile“, „Musterbilder“) nuncupat. Sunt autem istae ideae Herbartianae sequentes: idea libertatis, idea perfectionis, idea benevolentiae, idea juris, et idea aequitatis seu retributionis. („Die Idee der Freiheit“, „die Idee der Vollkommenheit“, „die Idee des Wohlwollens“, „die Idee des Rechtes“, „die Idee der Billigkeit oder Vergeltung“.) Porro contra legis moralis unitatem praedictus philosophus obmovet, quod hacce unitate supposita omnis immoralitas unius ejusdemque tantum speciei foret. (Analytische Beleuchtung des Naturrechtes und der Moral. S. 56. 59. Göttingen 1836.) Ad quod breviter reponimus, per legis naturalis unitatem supra indicatam nequaquam multiplicitatem immoralitatis excludi, quum multa sint et moraliter diversa praecepta, quae in una hac lege includuntur, ut diximus. Quod vero istas quinque ideas Herbartianas attinet, quae uni legi naturae substituuntur, dicendum est, eas nequaquam quinque leges morales constituere, quum nec una quidem rationem legis moralis habeat, quandoquidem ad essentiam seu rationem legis pertinet vis obligandi, quae certe non in idea quapiam, et minime quidem in idea aesthetica vel in judicio aesthetico includitur; quod idem etiam Imman. Fichte isti philosopho merito objicit (vid. Die philosophischen Lehren von Recht, Staat und Sitte u. s. w. S. 302. Leipzig 1850).

[2]) Lutherus in c. 12. Genes. scripsit: „Scholastici invincibilem ignorantiam dixerunt excusabilem, quae simpliciter a toto excuset, id est, peccatum prorsus tollat; tanta coecitas est in Papae scholis.“

fundatur, cum Apostolus Paulus dicat: „*gentes, quae legem* (scriptam, revelatam) *non habent, naturaliter ea, quae legis sunt, faciunt.*“ Rom. 2. 14. Dicit ergo Apostolus, gentes ea, quae *legis scriptae* sunt, quae nempe Decalogi lege continentur, facere; unde liquet, gentes eadem etiam cognovisse, secus enim illa observare non potuissent. Haec jam vero praecepta non sunt nisi principia legis naturalis, et quidem secundaria (coll. §. 31. n. 1.), unde conficitur, quod gentes haec principia cognoverunt. An vero lumine naturae? Sane, ut constat ex eo, quod Apostolus dicit, gentes *legem revelatam* non habere, porro, quod addit, eas *naturaliter*, quae legis sunt, facere; naturaliter enim hic significat: duce ipsa natura, seu naturali rationis lumine absque exteriori legis magisterio et lumine revelationis supernaturali. Hunc esse verum effati Apostolici sensum, confirmatur ex propositione 22. Bajana damnata: „*Cum Pelagio sentiunt, qui textum Apostoli* ad Romanos c. 2: *Gentes, quae legem non habent, naturaliter ea, quae legis sunt, faciunt, intelligunt de gentibus fidei gratiam non habentibus.*“ Si jam vero ipsi gentiles quaedam legis naturalis praecepta lumine rationis cognoverunt, exinde assertio proposita optime probatur. — Et eadem haec doctrina ulterius ex concordi ss. Patrum et Theologorum sententia corroboratur.[1])

[1]) S. Chrysostomus dicit, legislatores gentilium leges suas quoad matrimonia et testamenta, porro leges contra homicidium, contra proximi oppressiones, aliasque multas hujusmodi leges derivasse ex illa lege, quam Deus cordibus hominum inseripsit. Homil. 12. de Statuis. — S. Ambrosius: „— id, quod malum est, *naturaliter intelligimus* esse vitandum, et id, quod bonum est, *naturaliter* nobis intelligimus esse praeceptum.“ Lib. De Paradiso, cap. 8. n. 39. „*Natura ipsa boni operis magistra est. Scis non furandum, et servum tuum si furtum tibi fecerit, verberas: et si quis ad uxorem tuam affectaverit, persequendum putas.*“ Lib. De fuga saeculi, cap. 3. n. 15. — S. Augustinus dicit: „*Quid ergo tibi non vis fieri, noli alteri facere. Judicas enim malum esse in eo, quod pati non vis: et hoc te cogit nosse lex intima, in ipso tuo corde conscripta. — Furtum bonum est? Non. Interrogo, adulterium bonum est? Omnes clamant, non. Homicidium bonum est? Omnes clamant detestari se. Concupiscere rem proximi, bonum est? Non, vox omnium est. — Omnes ergo de his rebus interrogati clamant, haec bona non esse.*“ Enarr. in Ps. 57. n. 1. Vid. Enarr. in Ps. 118. Serm. 25. n. 4. — S. Gregorius M. „(Dominus) venit ante legem (scriptam), quia per *naturalem intellectum* quid unusquisque exemplo sui, qualiter erga proximum agere debuisset, innotuit.“ Homil. 31. in Evang. Latius Libr. XXVII. Moral. in Job. cap. 25. n. 48. — S. Bernardus docet, „eos quoque, *qui Christum nesciunt*, satis per *legem naturalem* ex perceptis bonis corporis animaeque moneri, quatenus Deum propter Deum et ipsi diligere debeant. — — Proinde *inexcusabilis est*, inquit, *omnis etiam infidelis, si non diligit Dominum Deum suum ex toto corde, tota anima, tota virtute sua. Clamat nempe intus ei innata, non et ignorata rationi justitia, quia ex toto se illum diligere debeat, cui se totum debere non ignorat.*“ Tractatus de diligendo Deo, cap. 2. n. 6. Item *Conc. Prov. Remens.* 1853. c. 16. III.

3. — Nihilominus tamen concedendum est, quod principia *secundaria* legis naturalis *quandoque*, etiam invincibiliter, *ignorari possunt* absque instructione seu disciplina, propter nonnulla rationis impedimenta, quae quidem sunt: a) pravae consuetudines et passiones, quibus lumen rationis obscuratur, b) insufficiens rationis cultura, in pueris nimirum et in rudibus omnino ad breve tempus, et c) deceptio rationis per circumstantias, quae peccatum apparenter cohonestant. Ita docet s. Alphonsus[1]) juxta d. Thomae[2]) et communem Theologorum[3]) sententiam. Sic e. g. Aegyptus et Chanaan propter peccata nefanda, quibus erant inquinati, in tanta legis naturalis ignorantia versabantur, ut testante s. scriptura etiam abominationes pessimas vocarent legitima.[4]) Jephte invincibiliter ignorasse videtur, filiae suae immolationem[5]) sibi non licere, quae quidem ignorantia prodiisse videtur ex circumstantia homicidium apparenter cohonestante, videlicet ex voto illo, quod antea nuncupaverat; — saltem s. Hieronymus aliique per ignorantiam invincibilem eum a peccato excusant.[6])

4. — Dicimus II. contra Rigoristas: *invincibiliter possunt ignorari et saepe ignorantur principia remota seu conclusiones mediatae non solum a rudibus, sed etiam a doctissimis*, quando Ecclesiae definitiones vel desiderantur vel non cognoscuntur. Probatur assertio haec 1) ex ingnorantiam invincibilem, quod intentio offerentis esset bona, etiamsi oblatio mala, eo quod illo aevo rudi non esset propheta, imo nec summus sacerdos (ait Abul.), qui sciret casum hunc resolvere.“ Comment. in Libr. Jud. c. 11. v. 30.

Alia exempla: Cassianus aliique putarunt, mendacium officiosum aliquando esse licitum, v. g. si per illud posset patria ab interitu, aut homo ab aeterna damnatione eripi. Narrante Sarasa quidam ex zelo gloriae et salutis animarum baptizabat Maurorum infantes a parentibus abductos, statimque eos trucidabat, ut certo salvarentur et ne reducti ad parentes iterum seducerentur. Alius teste Vasquez existimabat, se honeste et pie facere, versando aegrotum in alteram partem, ut tanto citius animam exhalando liberaretur a gravissimis doloribus. Vid. Lacroix, Theol. moral. L. I. n. 723.

[1]) Theol. mor. Lib. I. n. 170. coll. II. A. Tr. I. n. 5.

[2]) 1. 2. q. 94. a. 6.

[3]) Inter quos sunt Albertus M. in II. D. 22. a. 10. et S. Bonaventura in Libr. II. Sent. dist. 39. a. 1. q. 2.

[4]) Levit. 18.

[5]) Jud. 11.

[6]) Dicit Cornelius a Lapide: „Erat rude hoc saeculum et casuum conscientiae ignarum. Ac Jephte erat homo militaris: milites autem putant se suis juramentis et votis, etiamsi perperam factis obligari ex religione et veneratione, quam Deo debent. Ita S. Hieronym. in cap. 7. Jerem. sub finem excusat Jephte per

eo, quod ejusmodi principia sunt valde recondita et remota a primis principiis, a quibus sine longo ac difficili discursu deduci nequeunt, quapropter facile ignorari possunt invincibiliter. — Accedit 2) experientia, qua attestante doctissimi viri, etiam in Sanctorum numerum relati, veritatem in pluribus assequi non potuerunt. [1]) — Ultro 3) assertio, quam adstruximus, unanimi consensu a Theologis traditur, a s. Alphonso [2]) acriter contra adversarios defenditur. — Denique 4) fortius adhuc sententia nostra comprobatur et firmatur ex propositione subsequenti a Sacra Sede die 8. Augusti 1685. damnata: *Nullam admittimus ignorantiam invincibilem juris naturalis in ullo homine, dum hic et nunc contra jus naturae agit;* unde bene infertur, dari utique posse ignorantiam invincibilem in aliquibus difficilibus reconditisque rebus ad legem naturae spectantibus.

Nec ideo tamen, ut sapienter Reuter animadvertit, [3]) providentiae divinae quidquam derogatur. Reliquit in nobis, per baptismum justificatis, rebellionem concupiscentiae ad occasionem victoriae et meriti; cur non relinquat ignorantiam aliquorum, etiam quae sunt juris naturae, ad majorem nostram humiliationem, frequentioremque ad eum per orationem recursum; — atque, ut nos subjungimus, ad firmandam nostram de necessitate Ecclesiae infallibilis persuasionem?

5. — Dicimus III. contra Reformatores, Bajum et Jansenium: *Ignorantia legis naturalis, quando invincibilis, etiam inculpabilis est.* Ratio in promptu est. Etenim non potest dici ignorantia culpabilis, ubi non est voluntaria. Voluntaria autem non est ignorantia invincibilis; quia non est in nostra potestate, eam repellere. Hinc s. Augustinus: *„Quis peccat in eo, quod nullo modo caveri potest?“* [4]) Adde, quod ab Alexandro VIII. damnata est haec propositio II.

---

[1]) Apposite s. Augustinus: „Aliter aliquid sapere, quam res se habet, humana tentatio est; in nullo autem aliter sapere, quam res se habet, angelica perfectio est.“ Contra Donat. Lib. II. cap. 5. Porro ipse in litteris ad s. Paulinum lacrymose profitetur, quod plures circa hujus vitae rectam regulam versantes quaestiones definire nequiverit, atque concludit: „omnis haec ignorantia et difficultas hinc mihi videtur existere, quod in magna varietate morum et animarum occultissimas voluntates atque infirmitates habentium, rem populi gerimus.“ Epist. 95. (al. 250.) n. 2—5.

[2]) Theol. mor. L. I. *Dissertio, in qua ostenditur, dari ignorantiam invincibilem in nonnullis ad naturalem legem spectantibus* n. 170. et sq.

[3]) Theol. moral. par. 1. Tract. III. n. 133.

[4]) De Libero arbitrio L. III. c. 18. n. 50.

Bajana: *„Tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturae, haec in statu naturae lapsae operantem ex ipsa, non excusat a peccato formali.*

Nec valet dicere, hanc ignorantiam ideo esse culpabilem, quia ex peccato originali sequitur. Quemadmodum enim concupiscentia, ita etiam obfuscatio rationis, ex qua consequitur ignorantia, peccati quidem effectus, at vero ipsum peccatum non est, nec ad peccatum imputari potest, cum non sit voluntaria. [1])

* S. Thomas: Summa Theol. 1. 2. q. 94. a. 6.; q. 76. a. 3. q. 100. a. 1. S. Alphonsus: Theol. mor. L. I. Tr. II. n. 170—174. — Neubauer S. J. Theolog. Wirceburgens. Tract. de act. humanis cap. 1. art. I. (Edit. nova Parisiis 1852. Tom. III.) Reuter: Theol. mor. P. I. n. 132—133. La Croix: Theologia moralis, Lib. I. n. 720—755. Dmowski: Institut. philosoph. Vol. II. par. II. c. 2. art. I. p. 124—128. Romae 1840.

§. 33.

De obligatione legis naturalis.

1. — Praeeunte *Kantio,* [2]) *Fichte* [3]) aliique multi pseudophilosophi Germaniae, et inter theologos catholicos *Hermes* [4]) sic dictam *autonomiam* rationis humanae defenderunt, in eo sitam, quod ratio sit sibi ipsi legislatrix ab imperio divino omnino independens (cf. §. 8. n. 2.). Cum istis recentissime faciunt nonnulli *Pseudomoralistae* Galliae, qui contendunt, naturam humanam independenter a Deo totam sibi legem et unicum finem et denique omnia esse. [5])

---

[1]) Perperam Jansenius provocat ad s. Augustinum; hic quippe, ubi ignorantiam invincibilem appellat peccatum, intelligit per synecdochen effectum seu poenam peccati originalis. Audiatur ipse magnus Eccl. Doctor ita mentem suam explicans: *„Illud quod ignorans quisque non recte facit, et quod recte nolens facere non potest, ideo dicuntur peccata, quia de peccato illo liberae voluntatis originem ducunt. Illud enim praecedens meruit ista sequentia* etc.“ De libero arbitr. L. III. c. 19. — *„Ipsa ignorantia in eis, qui intelligere noluerunt, sine dubitatione peccatum est; in eis autem, qui non potuerunt, poena peccati,“* nempe originalis, Ep. 194. ad Sixt. n. 27.

[2]) Sic e. g. in opere: Kritik der praktischen Vernunft 4. Aufl. 1797. S. 35. scripsit: *„Reine Vernunft ist für sich allein praktisch und gibt ein allgemeines Gesetz, welches wir das Sittengesetz oder den kategorischen Imperativ nennen. Die Autonomie des Willens ist sonach das alleinige Princip aller moralischen Gesetze und der ihnen gemässen Pflichten.“*

[3]) Hic inter alia dicit: *„Man darf sich nicht verleiten lassen, das Bewusstsein, dass wir Pflichten haben, weiter zu erklären und aus Gründen ausser ihm ableiten zu wollen, weil dies der Würde und Absolutheit des Gesetzes Eintrag thut.“* System der Sittenlehre S. 49. Jena 1798. Idem asseverat: *„Das einzige rein Wahre ist meine Selbstständigkeit.“* (!) System der Sittenl. S. 12.

[4]) Vid. Philosophische Einleitung. S. 470. u. f.

[5]) Vid. *Concilium Prov. Burdigalens.* a. 1868. Append. II. in Collectione Lacensi Tom. IV. pag. 867. et seq. Dupanloup: Der Atheismus und die sociale Gefahr, deutsch von Rütjes. S. 74. u. f. Essen 1867.

Traditionalistae, quum praecepta illa, quae legem naturae constituunt, ex sola revelatione per adminiculum traditionis et exterioris disciplinae cognoscibilia esse asserant (§. 30. n. 1.), consequenter obligationem eadem implendi, non possunt non ex sola revelatione divina derivare.

Contra hos itaque sibi mutuo adversantes errores doctrinam veram et certam vindicaturi subsequentes adstruimus propositiones.

PROPOSITIO I.

Lex naturalis dependenter a Deo legislatore obligat.

2. — Haec propositio spectat ad catholicam doctrinam, non solum, quia communi consensu a Theologis traditur, sed praeterea, quia P. M. Pius IX. in Allocutione die 9. Junii 1862. habita, nec non in encycl. die 8. Decembr. 1864. per syllabum sub n. 2. doctrinam oppositam, scilicet *humanam rationem, nullo prorsus Dei respectu habito, unicum esse veri et falsi, boni et mali arbitrum, eamdemque humanam rationem sibi ipsi esse legem*, solemniter reprobavit, proscripsit et damnavit. [1]) Porro propositio adserta ipso naturali rationis lumine evidenter patet. Sequentibus autem argumentis evincitur:

1) Lex naturalis procul dubio ab eo vim obligandi habet, a quo profecta est. Atqui Deus est, qui hanc legem dedit, ergo a Deo vim obligandi habet. Porro, Deum esse hujus legis auctorem, non solum revelatio docet, sed ipsa quoque natura clamat, siquidem lex haec naturae ingenita est (§. 30. n. 4.), quocirca non minus quam natura ipsa a Deo auctore repeti debet. Huc spectant doctoris Angelici verba: „*In omnibus causis ordinatis effectus plus pendet a causa prima, quam a secunda, quia causa secunda non agit, nisi in virtute primae causae. Quod autem ratio humana sit regula voluntatis humanae, ex qua ejus bonitas mensuretur, habet ex lege aeterna, quae est ratio divina. Unde in Psalmo 46. dicitur: „Multi dicunt, quis ostendit nobis bona? Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine“, quasi diceret: Lumen rationis, quod in nobis est, in tantum nobis potest ostendere bona et nostram voluntatem regulare, in quantum est lumen vultus tui, id est, a vultu tuo derivatum.*“ [2]) Si vero ratio humana, quod est regula

[1]) *Concilium Prov. Burdigal.* a. 1868. cap. 4. n. 18. systema, quo contendunt, morum humanorum scientiam institui nec non moralem rectitudinem atque perfectionem obtineri ab hominibus posse ac debere *secluso omnino Deo*, nempe seclusis ejus auctoritate, imperio, sanctione, influxu, tamquam *falsum, impium, scandalosum, in atheismum inducens, rationis offensivum, religioni christianae injuriosum, societati perniciosum, juris publici et privati destructivum*, reprobavit et rejecit.

[2]) Summa Theol. 1. 2. q. 19. a. 4.

voluntatis humanae, habet ex lege aeterna, sane ab eadem hac lege, id est, a Deo vigorem obligandi sortitur.

2) Ex sententia de autonomia rationis seu voluntatis humanae prorsus absurda et impia sequuntur:

a) Si enim ratio humana constitueret supremam et absolutam operandi regulam, tunc homo esset ens independens absolute, seu Deus ipse, quod quidem asserere non minor impietas, quam stultitia est. [1])

b) Si ratio humana foret sui ipsius legislatrix, tunc homo quoad eandem legem tam superior quam subditus existeret, quod sanae rationi indubie repugnat. Dicit s. Thomas: „*Lex est directiva actuum, qui conveniunt subjectis gubernationi alicujus: unde nullus, proprie loquendo, suis actibus legem imponit.*“ [2])

c) Si lex non esset nisi hominis ratio, propter defectum auctoritatis completam et perfectam obligationem seu *necessitatem moralem* inducere nequiret, ac proinde in casibus saltem difficilioribus, ubi homo inquireret, quid sit ista ratio imperans, efficacia necessaria destitueretur. Apposite s. Augustinus: „*Qualis corporis atque vitiorum potest esse mens domina, veri Dei nescia, nec ejus imperio subjugata, sed vitiosissimis daemonibus corrumpentibus prostituta?*“ [3])

[1]) Autotheismus, qui in systemate Kantiano magis delitescit, ab ejusdem audaci explanatore Fichte aperte praedicatus est. Autotheismus, inquam, non solum speculativus, sed etiam practicus. Attende ad supremum Ethicae principium, hisce formulis a *Fichte* propositum: *Tende ad absolutam independentiam. — Dilige te ipsum super omnia. — Ita age, ac si solus esses.* — Vere desuper in ephem. Der Katholik, 1862. VIII. S. 143. scribitur: „*Das ethische Princip Fichte's hat eine Bedeutung für das Leben; nicht nur dies, es ist aus dem Leben selbst abstrahirt, es ist der speculative Ausdruck der Welt- und Rechtsordnung, welche der Teufel gründete, als er sich zu Gott zu erheben versuchte, und welche im Grunde jeder Willküract der sündigen Leidenschaft statuirt. Liebe dich selbst über Alles! sagt Fichte. Das ist unvergleichlich treffend, wer hat je präciser das Princip der negativen Ethik und das Princip alles Unrechten aufgestellt?*“ — Ἓν καὶ πᾶν ἐγώ est principium fundamentale totius ejusdem philosophiae!

[2]) 1. 2. q. 93. a. 5.

[3]) De civitate Dei libr. XIX. cap. 25. Perbene Reinhold, primum propugnator, postea autem impugnator Autonomiae scribit: „Nur allein die von dem Urwahren ausgehende und auf dasselbe zurückweisende volle Gewissheit der Wahrheit kann in dem irdischen, gebrechlichen, wankelmüthigen Menschen, dessen bald übermüthiges, bald kleinmüthiges Herz ihm selber nur ein Räthsel ist, jene wahrhaft überirdische Kraft ausmachen, welche nicht ein blosses Wohlmeinen, ein frommes Wünschen, eine thatlose Gutwilligkeit (velleitas), sondern der wahre und bleibende Ernst eines Willens ist, der ohne anmassenden Eigendünkel, ohne Selbsttäuschung den heroischen Entschluss: der Pflicht

d) Si legem moralem constitueret natura rationalis, tunc sanctio deesset necessario requisita. Opus enim habet haec lex, ut efficaciter inducat homines ad obediendum sibi, sanctione divina; quod jam ex natura rei colligitur,[1]) et quod praeterea piae memoriae P. M. Pius IX. expresse declaravit in Allocutione superius laudata, nec non in encycl. die 8. Dec. 1864. per Syllabum sub n. 7., scilicet commentum eorum, qui blaterant, *morum leges divina haud egere sanctione,* — — ac propterea asserunt, *nullam divinam existere legem,* solemniter proscribendo et damnando.

Imo e) per doctrinam istam de autonomia rationis character et vis legis moralis prorsus tollitur, ut ex consideratione eorum, quae ex asserta autonomia rationis hactenus deduximus, luculenter patescit. Etenim non datur amplius pro homine veri nominis lex, si (coll. *a.*) homo dicitur ens absolutum, tunc enim est supra omnem legem; porro, si (coll. *b.*) homo spectatur ut superior et ut subditus simul quoad eandem legem, quia repugnat quempiam in eadem re superiorem simul ac subditum esse; rursus, si lex (coll. *c.*) necessitate morali, et (coll. *d.*) perfecta sanctione caret, tunc enim vi completa et efficacia necessaria destituitur.

* *Concilium Provinciae Burdigalensis* a. 1868. cap. 4. n. 9. et 10. (Collectio Lacens. Tom. IV. a. 1873. pag. 816. et 817.) Suarez: De legib. Libr. II. cap. 5. et 6. Du-Hamel: Theol. m. Tr. I. Lib. 1. cap. 2. (Uterque diserte et egregie refutat opinionem a P. Vasquez 1. 2. Disp. 150. c. 3. prolatam, nempe naturam ipsam rationalem esse legem naturalem, per se et independenter a Deo Legislatore. Vasquez in eo erravit, quod legis naturalis fundamentum pro ipsa naturali lege acceperit.) Liberatore S. J.: Institut. philosophic. Vol. III. (Ethica et jus naturae) cap. III. p. 87—89. Romae 1855. Ed. 8. Sailer: Handbuch der christlichen Moral, I. B. S. 30—39. Sulzbach 1834. Kleutgen S. J.: Die Theologie der Vorzeit. I. B. 5. Abh.; 2. Aufl. Münster 1867. Theod. Meyer S. J.: Die Grundsätze der Sittlichkeit und des Rechtes n. 43—63. (Stimmen aus Maria-Laach IX. Freiburg 1868.)

gegen alle Reize und gegen alle Schrecknisse der Sinnlichkeit getreu zu bleiben, fassen und ausführen soll und kann.“ Apud. Sailer: Handbuch der christlichen Moral, 1. B. S. 39. Sulzbach 1864. Similiter alius scriptor protestanticus Adolph Wuttke notat: „Es ist leicht gesagt, der Mensch müsse das Gute um seiner selbst willen thun, oder das Sittengesetz trete als kategorischer Imperativ auf; aber in der Wirklichkeit des Lebens halten solche Redensarten nicht Stich. — — Wahrhaft mächtig wird die sittliche Idee für den persönlichen Geist erst dadurch, dass sie des persönlichen Gottes eigener Wille ist.“ Handbuch der christlichen Sittenlehre. I. Band. S. 366. 368.

[1]) Lactantius: „Nihil ponderis habent illa praecepta, quia sunt humana, et auctoritate majore, id est, divina illa, carent.“ Inst. div. Lib. III. cap. 27. Lehmkuhl S. J.: „Die vernünftige Natur verkündet freilich die Pflicht, aber sie begründet die Pflicht nicht, oder thut dies doch nur in einer sehr unvollkommenen und uneigentlichen Weise. Sie ist eben kein vom Menschen selbst unterschiedenes Wesen, ist nicht sein Oberer.“ Der Gehorsam gegen die menschl. Gesetze. (Stimmen aus Maria-Laach 1877. Heft 8. S. 303.)

Objectiones.

3. — 1) Apostolus Paulus dicit: *Cum enim gentes, quae legem non habent, naturaliter ea, quae legis sunt, faciunt, ejusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex.“* Rom. 2. 14. Ergo ratio practica per se sola est hominis lex. Ita concludit Hermes. — 2) Homo est sui ipsius finis, quapropter ab alio ipsi lex imponi nequit; ergo est sibi ipse lex. Ita omnes Kantiani. — 3) Practica ratio est sufficiens legislatrix, nam ipsa imperat: *Tu debes,* atque simul sanctione legem suam munit, nempe *reprobatione* seu *repudiatione suimet ipsius,* quando violata est. Sic Hermes Kantium sequutus. — 4) Moralitas ex principio externo provenire nequit; atqui hoc fieri posse affirmatur, si rationem seu voluntatem humanam sibi ipsi legem esse negatur. Ita Kant, Herbart, Hermes et alii. — 5) Saepe honeste agimus, juxta solius rationis dictamina, quin de Deo cogitemus; ergo natura rationalis per se legem perfectam constituit; — et profecto 6) si lex naturalis necessario ex divina auctoritate vim obligandi hauriret, tunc gentiles, qui Deum ignorant, omni obligatione solverentur. Haec Hermes opponit.

4. — Respond. ad 1. Apostolus docet, hominem sibi legem esse, quatenus legem in se scriptam habet, non autem quasi ipse esset auctor legis. Probatur haec explicatio ex verbis, quae s. Apostolus subjungit: *„qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis.“* Eodem modo effatum s. Apostoli explicat Angelicus dicens: *„Lex est in aliquo etiam sicut in regulato; et hoc modo unusquisque sibi est lex, in quantum participat ordinem alicujus regulantis; unde et ibidem subditur: qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis.“*[1])

5. — Ad 2. Homo quidem sibi finis est, sed tantum subordinatus, nullatenus ultimus et absolutus. Probatur: Homo sui ipsius finis dici potest, quatenus ad Dei imaginem creatus praecelsa dignitate praeditus est, ob quam res omnes visibiles ut media ipsi subjectae sunt, et ob quam merito aestimandam tuendamque malum vitare bonumque sectari tenetur. At vero pro hac sua dignitate homo non est nisi finis subordinatus et relativus, quandoquidem dignitas humana non est nisi similitudo excellentiae divinae; unde fit, quod et aestimatio dignitatis humanae ultimo ad Dei glorificationem referri debet, quae finis ultimus et absolutus hominis totiusque universi existit. — Adde si homo esset absolutus sui finis, tunc non esset homo, sed Deus; si Deus, non amplius sub lege, sed supra legem foret.[2]) En, qua ratione Autonomistae, quin velint, sibi repugnent; et dum hominem per imperativum categoricum arcte ligare somniantur, re intus perspecta eum omni prorsus vinculo solvant.

6. — Ad 3. Reprobatio seu repudiatio sui ipsius, quam violata lege homo sentit, nostram plane confirmat doctrinam, nam manifestum quoddam indicium est, rationem practicam per se non esse hominis legislatricem, sed solummodo prae-

[1]) 1. 2. q. 90. a. 3. ad 1.

[2]) Perin: „Das Wesen des Rationalismus ist die Empörung gegen die Souveränität Gottes. Der Mensch setzt sich im rationalistischen Irrthume selbst an Gottes Stelle; er allein will Herr in der Welt sein.“ Christl. Politik. S. 25. Freiburg 1877.

conem, per quem Deus legislator homini imperat, quandoquidem autonomia rationis supposita homo non amplius esset sub lege, ergo hujusmodi reprobatio impossibilis foret. Ceterum pudor, confusio, angor et cruciatus internus, quo quis scelere patrato afficitur, nonnisi imperfectam hujus legis sanctionem constituunt, perfecta enim in aeternis praemiis vel poenis a Deo distribuendis consistit.

7. — Ad 4. Moralitatem non posse provenire ex principio exteriori dirigente hominem contra ordinem naturalem et finem proprium, ultro concedendum; eam non posse dependere ex principio exteriori dirigente naturam rationalem secundum ordinem naturae consentaneum in finem proprium, omnino negandum, quia voluntas tali directioni se subjiciendo moraliter bona redditur atque continuo perficitur. (cf. §. 21.) Jam vero hujusmodi principium et supremum quidem et omnino necessarium est voluntas divina, quae quippe suprema et infallibili auctoritate ordinat et dirigit hominem sibi subditum ad finem ultimum assequendum. Unde sane efficitur, quod bonitas moralis non solum potest dependere, sed necessario et principaliter dependet a voluntate divina, et quod consequenter per doctrinam, legem moralem esse divinam, conceptus moralitatis vere et solide fundatur, omnino vero concutitur, imo penitus evertitur per impiam ejusdem doctrinae negationem.

8. — Ad 5. Etsi legis naturalis praecepta exsequentes non semper explicite et distincte de Deo cogitemus, implicite tamen et in confuso Deum apprehendimus, prouti praeprimis ex eo patet, quod peccato utcunque occulto et interno commisso, inviti pavore quodam statim afficimur, vividaque persuasione agitamur, nos non impune id esse laturos.

9. — Ad 6. Etiam gentiles, quamquam erroneas et depravatas de Deo notiones teneant, nihilominus tamen legem naturae ut divinam apprehendere possunt et revera apprehendunt, vocem quippe conscientiae spectando ut jussum supremi numinis cum Deo convertibilis, cui contraire non licet. [1])

PROPOSITIO II.

Lex naturalis licet a Deo habeat vim obligendi, non tamen ex sola revelatione eam deducit.

10. — Doctrina proposita est communis omnium Theologorum (Traditionalistis solis exceptis), quae in s. scriptura fundatur, porro ex ipsa legis naturalis indole et ex absurditate, in quam sententia contraria deducit, evidenter probari potest.

---

[1]) Quam clare sapientiores antiquorum gentilium, legem naturalem esse divinam, cognoverint, videre est ex his Ciceronis verbis: „Est quidem vera lex recta ratio, naturae congruens, diffusa in omnes, constans, *sempiterna etc. Nec vero aut per senatum, aut per populum solvi hac lege possumus*; neque est quaerendus explanator aut interpres ejus alius; nec erit alia lex Romae, alia Athenis, alia nunc, alia posthac: sed et omnes gentes, et omni tempore una lex et sempiterna et immutabilis continebit, *unusque erit communis quasi magister et imperator omnium Deus. Ille legis hujus inventor, disceptator, lator:* cui qui non parebit, ipse se fugiet, ac naturam hominis aspernatus, hoc ipso luet maximas poenas, etiamsi cetera supplicia, quae putantur, effugiet.“ De republ. Lib. 3. Alia huc spectantia habet *Concil. Prov. Burdigal.* a. 1868. cap. 4. n. 10.

1. Fundatur in *s. scriptura;* etenim Apostolus dicit: „*legem non habentes, ipsi sibi sunt lex*“, Rom. 2, 14. i. e. legem revelatam et externe scriptam non habentes, nilominus illa lege obstringuntur, quam intus scriptam habent in cordibus suis; unde manifeste eruitur, legem naturalem etiam absque revelatione supernaturali efficacia obligationis esse instructam. Et rursus: „*qui sine lege peccaverunt, sine lege peribunt*“ Rom. 2, 12; peribunt nimirum propter peccata, quae contra legem naturae patrarunt, etsi legem positivam divinam ignoraverint; qua re supponitur, legem illam etiam praescindendo a divina revelatione obligationem in homines inducere.

2. Probatur ex *hujus legis indole.* Est quidem lex naturalis quaedam participatio immediata legis aeternae in ratione humana (§. 29. n. 4. §. 30. n. 1.); unde sequitur, quod ab eadem hac lege seu a divina voluntate immediate vim obligandi sortitur. Porro, naturalem legem esse divinam, ideoque virtute divinae auctoritatis hominem obstringere, ipso naturali lumine patescit. Unde merito infertur, quod certe tunc quoque obligaret, si numquam per revelationem positivam externe annuntiata fuisset. [1])

3. Confirmatur ex *absurditate,* in quam sententia contraria excurrit. Si nimirum lex naturae vim suam ex sola revelatione hauriret, homines in statu legis naturae sine legis ullius obligatione remansissent, atque adhuc remanerent infideles illi, quibus Evangelium Christi nondum est praedicatum: quod quidem asserere absurdum est. [2])

---

[1]) In hanc rem faciunt, quae Suarez de promulgatione legis naturalis perbene animadvertit: „*Dicitur, — ipsummet judicium rectae rationis inditum naturaliter homini, esse de se sufficiens signum talis* (nempe *obligantis*) *voluntatis divinae, nec esse necessariam aliam insinuationem.* Probatur, quia judicium rationis indicat de se divinam providentiam — moraliter necessariam ad plenum dominium Dei et debitam subjectionem hominis ad ipsum, in qua providentia haec legislatio continetur. Item hac de causa *per lumen naturale cognoscitur, Deum offendi peccatis, quae contra legem naturalem fiunt, et ad ipsum pertinere illorum punitionem et judicium; ergo ipsum naturale lumen est de se sufficiens promulgatio legis naturalis, non solum, quia manifestat intrinsecam disconvenientiam vel convenientiam actuum, quam lumen Dei increatum ostendit, sed etiam quia intimat homini, contrarias actiones displicere auctori naturae, tamquam supremo Domino et curatori, ac gubernatori ejusdem naturae.*“ De legib. Lib. II. cap. 6. n. 14.

[2]) Cf. Reuter: Theol. mor. P. I. Tract. III. n. 131. Nec dicas, ethnicos habuisse vel adhuc habere Traditionem primitivam; quamvis enim influxus salutaris hujus Traditionis in genus humanum vix negari possit, confitendum tamen est, eandem tractu temporis at plurimum deperditam vel saltem foede corruptam et depravatam fuisse. Ceterum non ad Traditionem, sed ad opus legis scriptum in cordibus Paulus appellat.

Ceterum lex naturae, postquam gratuita Dei benignitate externe est annuntiata et firmata, strictius sane obligat, atque ideo, qui eam per Decalogum cognitam violat, gravius peccat, [1]) sed non committit duo peccata.

§. 34.

De proprietatibus legis naturalis.

PROPOSITIO.

Lex naturalis est indelebilis, immutabilis et legis positivae fundamentum.

1. — *Lex naturae est indelebilis.* Ratio est, quia cum natura nostra est necessario connexa et congenita, quocirca penitus deleri non potest, nisi ipsa natura humana deleatur (cf. §. 30. n. 1.). Unde S. Augustinus sic Deum alloquitur: *„Lex tua scripta est in cordibus hominum, quam nec ulla quidem delet iniquitas.“* [2])

Quamvis autem non penitus deleri, obfuscari tamen lex illa utique potest, ita nimirum, ut principia ejusdem secundaria et remota non cognoscantur. (Cf. §. 32. n. 2. et 3.)

2. — *Lex naturae est immutabilis.* Ratio est, quia respicit ordinem naturalem, quem servari jubet (§. 30. n. 1.), hic autem immutabilis est, nec ab ipso Deo aliquatenus immutari potest. [3]) Nec obstat, quod Deus praecepit Abrahamo, ut occideret filium suum, permisit Judaeis, ut vasa Aegyptiorum mutuo accepta non amplius restituerent; quae quidem contra praecepta legis naturalis esse videntur. Deus enim utendo dominativa sua potestate per illa mandata conditionem posuit, qua fierent honesta, quae per se sunt conditionate tantum inhonesta (§. 23. n. 1.). Et profecto, cum sit vitae hominum eorumque bonorum supremus dominus, potuit praecipere Abrahamo, ut filium suum sacrificio immolaret, pariterque Hebraeis permittere, ut vasa Aegyptiorum non amplius restituerent. in ipsos nempe transferendo dominium.

* S. Bernardus: Liber de Praecepto et Dispensatione, Cap. III. S. Thomas: Summa Theol. 1. 2. q. 94 a. 5. *Concilium Prov. Burdigalens.*

[1]) Vid. S. August.: Enarr. in Ps. 118. Serm. 25. n. 4.

[2]) Confess. Lib. II. c. 4. n. 9. Tertullianus: „Potest obscurari, quia non est Deus; extingui non potest, quia a Deo est.“ Liber de Anima, cap. 41.

[3]) Lactantius: *„Hinc legi nec praerogari fas est, nec derogari ex hac aliquid licet, neque tota abrogari potest.“* Lib. VI. div. Inst. cap. 8. *Concilium Prov. Burd.* a. 1868. cap. 4. n. 7.: *„Lex naturae tamen ab hominibus et etiam a Deo nunquam abrogatur, imo nec mutatur.“*

a. 1868. cap. 4. n. 7. et 8. (Collectio Lacens. Tom. IV. a. 1873. pag. 815. et 818.) — Gregorius de Valentia: Comment. Theol. in primam secundae d. Thomae Disp. VII. q 4. Punct. 5. et 6. Suarez: De legibus Lib. II. cap. 13. 14. et 15. Roselli: Summa Philosoph. P. III. Quaest. IV. a. 3.

3. — *Lex naturalis est fundamentum omnis legis positivae.* Ratio est, quia leges positivae, tam divinae quam humanae, praesupponunt principia moralia naturaliter nota, qualia sunt: Deo revelanti esse credendum, Deo praecipienti obediendum, saluti animae modis mediisque a Deo statutis esse consulendum. [1]) Exempla: Praecepta fidei, confessionis et communionis sacramentalis sunt positiva divina, sed fundantur in lege naturali ac simul vi hujus legis obligant, quatenus haec dictat, Deo revelanti esse credendum, Deo praescribenti media salutis esse obediendum. Unde liquet, quod qui legem naturae oppugnant, simul omnes alias succutiunt leges, et idcirco omnem ordinem evertunt, ruinam societatis moliuntur.

§. 35.

Recollectio.

Ex s. Joannis Chrysostomi Homil. XII. de statuis.

„Ab initio Deus hominem formans, legem ipsi naturalem indidit. Et quid tamen est lex naturalis? Conscientiam nobis impressit, et a natura inditam esse voluit bonorum et contrariorum scientiam. Non enim opus habemus dicere, quod malum est fornicatio, et bonum continentia, sed ab initio hoc scimus. Et ut discas, quod ab initio hoc scimus, legislator postea leges ferens, et dicens: *Non occides,* non intulit, malum enim caedes; sed simpliciter: non occides, inquit, prohibuit enim peccatum duntaxat, non docuit. Quare igitur, qui dixit: non occides, non addidit, quod malum caedes? quoniam prius conscientia nos hoc docuit, et tamquam scientibus et intelligentibus ita loquitur. Cum igitur de alio loquitur mandato, non nobis per conscientiam noto, non tantum prohibet, sed et causam apponit. De sabbato enim legem ferens et dicens: *Septima*

[1]) De lege positiva divina d. Thomas dicit: „Sicut gratia praesupponit naturam, ita oportet, quod lex divina praesupponat legem naturalem.“ 1. 2. q. 99. a. 2. ad 1. Suarez hac de re generaliter scribit: *„Natura est fundamentum tam gratiae, quam cujuscunque legis humanae. Principia etiam naturalia, per quae homo in moralibus gubernari debet, tam sunt generalia, ut virtute (virtualiter) comprehendant omnem obligationem, ita, ut nulla possit homini applicari, nisi mediantibus illis principiis.“* De legib. Lib. II. cap. 9. n. 10. *Conc. Prov. Burdigal.* a. 1868. cap. 4. n. 7. legem naturalem dicit *fundamentum necessarium* esse legum positivarum.

die non facies opus, (Exod. 20.), subjunxit quoque causam; qualem vero? quia *in die septima requievit Deus ab omnibus operibus suis, quae coeperat facere.* Et rursum: *Quoniam servus fuisti in terra Aegypti.* (5. Mos. 24.) Quare igitur, dic mihi, si sabbato quidem causam adjecit, in caede vero nihil tale fecit? Quoniam hoc mandatum non de principalibus (naturalibus) erat, nec per conscientiam nobis exquisitis, sed particulare quoddam et temporaneum, propterea postea solutum est. — Nec inde tantum, sed et aliunde vobis demonstrare conabor, quomodo a natura institutus erat homo ad virtutis cognitionem. Primum Adam patravit peccatum, et post peccatum statim se occultavit. Neque enim erant literae, non lex, non Moses: unde igitur novit peccatum, ut se absconderet? — Rursum in Cain et Abel idem videre licet. — Quod homo peccatum esse malum jam sciret, demonstravit Adam; quod autem virtutem esse bonum etiam sciret, Abel manifestavit. Non enim ab alio discens, neque legem de primitiis haec disserentem audiens, sed a sua conscientia doctus, sacrificium illud obtulit. — Sed gentilis haec non fert. — Quid tandem est, quod dicunt? Non est nobis per se aperta lex in conscientia posita, nec eam naturae Deus inseruit? Unde igitur, unde, inquam, de nuptiis, de caedibus, de testamentis, de depositis, de proximis non opprimendis, de infinitis aliis leges apud eos scripserunt legislatores? Hi quippe praesentes forte a majoribus natu didicerunt, et illi a prioribus, et rursum a superioribus isti. Qui vero ab initio et primi apud eos leges tulerunt, a quo didicerant? an non utique a conscientia? neque enim dicere possent, quod cum Moyse fuerint, quod prophetas audierint; quomodo enim, qui gentiles erant? Sed patet, quod a lege, quam hominem fingens Deus ab initio ipsi posuit, ab hac et leges posuerunt, et artes invenerunt; — sic et judicia, sic et poenae definitae sunt; quod etiam Paulus dicit (Rom. 2.). — Legem propterea nobis naturalem indidit, et scriptam postmodum dedit, ut poenas exigat peccatorum, et recte agentes coronet. Multo itaque studio, tamquam ad tremendum conventuri judicium, actiones nostras componamus, scientes quod nullam assequemur veniam, si post naturalem et scriptam legem, et doctrinam tantam et admonitionem continuam, salutem nostram negligamus. — Unanimiter igitur omnes dicamus: Deus nolens tam mortem peccatoris, quam ut convertatur et vivat, et hanc et alias leges omnes nos custodientes dignare sic assistere tribunali Christi Tui, ut fiduciam multam assecuti in regnum

perveniamus ad gloriam Tuam: quoniam Te decet gloria, una cum unigenito Filio Tuo et sancto Spiritu, nunc et semper et in saecula saeculorum. Amen."

Articulus II.

B. De lege divina positiva.

§. 36.

Notio et divisio legis divinae positivae.

1. — *Lex positiva divina est lex a Deo ut auctore gratiae libera voluntate data, quae hominem dirigit ad finem supernaturalem.* Dicitur: 1) *lex libera Dei voluntate data,* quatenus videlicet a naturae humanae conditione non exigitur, naturae non est debita,[1]) sicuti lex naturalis (cf. §. 30. n. 1.); quamvis alio sub respectu necessario data est, nempe ex suppositione finis supernaturalis, ad quem nos Deus creare dignatus est, ea docens ac praecipiens, quibus humana vita dirigitur ad hunc finem.[2]) Data est 2) *a Deo ut auctore gratiae,* in quo pariter differt a lege naturae, quae Deo ut auctori seu Creatori naturae tribuitur (cf. l. c.) 3). *Hominem dirigens ad finem supernaturalem,* ut mox habuimus, nempe ad beatitudinem coelestem, quo rursus distinguitur a naturali lege, quae per se ad naturalem tantum finem dirigit hominem.

2. — Lex divinitus revelata est duplex: *lex vetus* et *lex nova.* De utraque nunc agere instituimus.

I. De lege veteri.

Agemus 1. de indole et fine, 2. de materia, 3. de obligatione et 4. de cessatione hujus legis.

§. 37.

De indole et fine veteris legis.

1. — *Lex vetus est lex supernaturalis populo Israëlitico a Deo per Angelos data et per Moysen promulgata, ut populus a Deo electus*

[1]) Vid. Reuter: Theol. mor. P. I. Tr. III. n. 128. Reiffenstuel: Theol. mor. Tom. I. Tr. II. dist. 1. q. 1. n. 6. et 7. Voit: Theol. mor. P. I. Tr. II. cap. 1. n. 135. Habert: Theol. Dogmat. et Moralis Tom. III. Tract. de regula morum Par. II. cap. 6. q. 8. (cap. 7. q. 1.) *Conc. Prov. Remens.* a. 1853. cap. 16. n. in fine.

[2]) S. Thom. 1. 2. q. 91. a. 4. *Conc. Prov. Burdigal.* 1868. cap. 4. n. 11.

in Christi honorem peculiariter sanctificaretur et disponeretur ad ipsius adventum. Dicitur 1. Lex *supernaturalis,* etenim data est a Deo ex providentia supernaturali, et ut suscipienda et credenda fide supernaturali, ad finem supernaturalem. — Dicitur 2. data *per Angelos;* quod expresse docet s. Paulus: *„ordinata per Angelos“* (Gal. 3, 19.), et contestatur s. Stephanus: *„accepistis legem in dispositione Angelorum.“* (Act. 7, 53). Et convenienter quidem vetus lex per Angelos, nova autem per Christum lata est. Quemadmodum enim, ut pulchre Angelicus animadvertit, in omnibus actibus ille, qui est superior, perfectum actum per se ipsum operatur; ea autem, quae disponunt ad perfectionem ultimam, operatur per suos ministros: ita aeque convenienter lex nova ut perfecta data est per ipsum Deum hominem factum, vetus autem lex, quae ad illam perfectam legem disposuit, per Dei ministros, Angelos videlicet, data est hominibus.[1]) — Dicitur 3. *promulgata per Moysen;* namque Apostolus dicit: *„ordinata per Angelos in manu mediatoris.“* (Gal. 3, 19.) Hic quidem mediator non est nisi Moyses, qui Deum inter et populum intervenit. Moyses itaque ipse legem non tulit, sed a Deo per Angelos acceptam populo tantum promulgavit. Atque ideo, quia Deum ipsum habet auctorem, lex illa est vere *divina;* quod magna quondam impietate negarunt Simon Magus, Marcionitae, Manichaei et Priscillianistae, qui malo principio eam tribuerunt,[2]) atque nefaria stultitia hodiedum inficiantur Rationalistae, qui eandem a Moyse excogitatam, adeoque mere humanam esse fabulantur. — Dicitur 4. data populo *in honorem Christi.* Ideo quippe Deus populo Israëlitarum legem tamquam praerogativam singularem dedit (Psalm. 147. 19., 20.), quia Christus ex hoc populo carnem assumpturus erat. Decebat enim, ut ille populus, ex quo Christus nasciturus erat, speciali sanctificatione polleret. Ita egregie d. Thomas.[3])

2. — Itaque 1. *finis primarius* legis veteris erat honor et gloria Christi, ut modo diximus. 2. Finis *secundarius* legis, isque *proximus* erat specialis populi sanctificatio, non solum externa, sed et interna, ejusque condecens praeparatio ad Christi adventum; etenim lex proxime ad id tetendit, ut populum ab erroribus et idololatria gentium sub cultu veri Dei peculiari custodiret, utque eum reverentia divini

[1]) Summa Theol. 1. 2. q. 98. a. 3.

[2]) S. Thom.: 1. 2. q. 98. a. 2. — Suarez: De legib. libr. IX. cap. 2. — Collet: Tract. de legib. cap. IV. art. 2. Sectio. 1. Habert: Theolog. Dogm. et Moral. Tom. III. Tract. de regula morum. P. II. cap. 14.

[3]) 1. 2. q. 98. a. 4. et 5. c.

imperii ad virtutum opera excitaret, a peccando compesceret; praeprimis vero, ut fidem vivam Messiae venturi in populo conservaret et foveret; quum enim, ut s. Thomas [1]) observat, ex Judaeis nasciturus erat Christus, ideo oportebat in eis potius, quam in gentibus fidem Christi vigere. *Finis ultimus* legis erat supernaturalis et aeterna Israëlitarum beatitudo obtinenda per Christum, ad quem tota lex tetendit, vocavit et veluti manu duxit eos, ut nempe per fidem ipsius operibus instructam gratiam sanctificantem et gloriam aeternam consequerentur, Apostolo testante: *„Finis legis Christus, ad justitiam omni credenti.“* Rom. 10. 4. Jac. 2. 24. *„Itaque lex paedagogus noster fuit in Christo, ut ex fide justificemur.“* Gal. 3. 24.

* S. Thomas: Summa Theol. 1. 2. q. 98. a. 1. 2. 3. et 4.; q. 99. a. 2. c. — Suarez: De legibus, Lib. IX. cap. 2. et 3. Petavius: De Deo Deique proprietatibus, Lib. X. cap. 25. et 26. De lege et gratia, Lib. I. cap. 6. (de fine legis). Becanus S. J.: Analogia Veteris et Novi Testamenti. Moguntiae 1620., nova ed. Mechliniae 1831.

§. 38.

De materia veteris legis.

PROPOSITIO I.

Vetus lex continet praecepta moralia, caeremonialia et judicialia, omnino convenienter respectu ad ejusdem finem habito.

1. — Omnia veteris legis praecepta esse moralia, caeremonialia et judicialia, satis luculenter in ipsa hac lege declaratur; etenim dicitur: *„Haec sunt praecepta et caeremoniae atque judicia“* (5. Moys. 6. 1.), qualia alibi saepius leguntur. Hinc Apostolus loquens de veteri lege, eam vocat *mandatum sanctum et justum et bonum* (Rom. 7, 12.); *sanctum* quidem quoad praecepta caeremonialia, *justum* propter judicialia, *bonum* propter moralia.[2])

Jamvero haec triplicis generis praecepta omnino *convenienter,* respectu ad ejusdem finem habito, in A. T. contineri, ex subsequenti praeceptorum expositione patebit.

2. — I. *Praecepta moralia* A. T. ordinabant hominem ad Deum, ad semetipsum et ad alios, atque plane eadem sunt cum iis, ad quae jam ex lege naturae est obligatio. Ideo autem Deus

[1]) In III. Sent. Dist. 25. q. 2. Sol. 2. ad 3.

[2]) S. Thom.: 1. 2. q. 99. a. 4. — Omnia veteris legis praecepta fuisse sexcenta et tredecim. dicit Guilelm. Paris: de fide et gratia, apud Suarez: De legib. Libr. XI. cap. 4. n. 26.

benignissimus revelavit haec praecepta, quia lex naturalis, ad quam pertinent, propter consuetudinem peccandi in cordibus hominum multum erat obscurata.[1]) Unde Apostolus ait: *„Peccatum non cognovi, nisi per legem; nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret: non concupisces.“* Rom. 7. 7. Insuper Deus eadem in tabulis lapideis summatim conscribi voluit, ut foris possint oculis percipere legem, quam intus in cordibus scriptam legere non valebant vel nolebant.[2])

Decalogus ut summa omnium praeceptorum moralium A. T. jure meritoque habetur.[3]) Etenim praecepta in ipso exhibita certe sunt moralia, reliqua autem omnia ad illa reducuntur, duplici modo: alia nimirum ad Decalogi praecepta *praesupponuntur*, ut praeceptum fidei et dilectionis, alia ex Decalogi praeceptis *consequuntur*, ut prohibitio mendacii (Exod. 23, 1.) et detractionis (Lev. 19, 16.) ex octavo, prohibitio odii (Lev. 19, 17. 18.) ex quinto praecepto.[4])

---

[1]) S. Thom. 1. 2. q. 99. a. 2. ad 2. S. Alph.: Die wunderbare Leitung Gottes im Erlösungswerke, I. Abth. cap. 3. n. 8. S. Ambrosius scribit: *„Non fuisset (haec lex) necessaria, si illam legem naturalem observare potuissemus, sed quia non servavimus, ista necessaria facta est. Quia illam legem excluserat praevaricatio, ideo necessaria est ista.“* Epist. 73. ad Irenaeum n. 9. Inde Catechismus ad Parochos: „Hanc igitur divinam (nempe naturalem) paene jam pravis moribus et diuturna perversitate obscuratam, quum Deus Moysi legem dedit, eam potius illustriorem reddidisse, quam novam tulisse docendum est, ne forte, quum populus audit, legi Moysis derogatum esse, putet his legibus se non teneri.“ P. III. cap. I. q. 3.

[2]) S. Augustinus ait: *„Ne sibi homines aliquid defuisse quererentur, scriptum est et in tabulis, quod in cordibus non legebant. Non enim scriptum non habebant, sed legere nolebant. Oppositum est oculis eorum, quod in conscientia videre cogerentur; et quasi forinsecus admota voce Dei, ad interiora sua homo compulsus est dicente scriptura: In cogitationibus enim impii interrogatio est* (Sap. 1, 9.) *Ubi interrogatio, ibi lex. Sed quia homines appetentes ea, quae foris sunt, etiam a se ipsis exules facti sunt, data est etiam conscripta lex: non quia in cordibus scripta non erat; sed quia tu fugitivus eras cordis tui, ab illo, qui ubique est, comprehenderis, et ad teipsum intro revocaris.“* Enarr. in Ps. 57. n. 1. Similiter serm. 81. (alias ex Sirmond. 33.) n. 2. S. Bonaventura haec habet: *„Quoniam scriptura cordis interior propter peccatum erat obnubilata, et homo, qui fuerat spirituali mente praeditus, effectus erat sensibilis et carnalis; opportunum erat, ut exterius legeret, et audiret per sensus corporis ea, per quae posset in rectitudinem justitiae regulari.“* In Libr. III. Sentent. Dist. XXXVII. art. I. q. 3. concl.

[3]) Apposite s. Augustinus observat: „In decem praeceptis lex constituta est: propterea, quia videtur in isto denario numero quaedam perfectio. Usque ad eum quippe numerum progressus est numerantis, et inde redit ab uno usque ad decem, rursus ad unum.“ Serm. 270. (alias 22. ex Sirmon.) n. 3.

[4]) Vid. d. Thom. 1. 2. q. 100. a. 3. Addit s. Bonaventura: *„Ad illud vero, quod quaeritur, quare magis ista decem verba scripta fuerint in tabulis lapideis, quam alia, cum minus spectent ad legem scriptam, dicendum, quod hoc fuit, quia in ipsis maxime consistebat regula justitiae, et alia habebant reduci ad haec; et ipsa quidem stabilia erant, nec evacuari habebant per legem supervenientem: ideo in tabulis lapideis scripta fuerunt, ut ostenderetur eorum praerogativa quantum ad dignitatem et quantum ad stabilitatem.“* In Libr. III. Sent. Dist. 37. art. I. q. 3. ad 5.

3. — Per haec itaque praecepta Israëlitae instruebantur in eis, quae spectant ad morum honestatem communem seu omnibus necessariam ex lege naturae.[1])

Ut vero populus electus in honorem Christi, qui ex illo nasciturus erat, *speciali* sanctificatione polleret (§. 37. n. 1. et 2.), oportuit eum strictius Deo conjungi et quasi „conglutinari“ (5. Mos. 10, 15.); atque ideo moralibus addita sunt caeremonialia et judicialia, quae tamen fundamentum in ipsis moralibus habent.

* S. Augustinus: Serm. 8. de decem plagis et decem praeceptis (vitiis per plagas signatis Decalogi praecepta opponit). Serm. 9. (al. 96. de tempore) de decem chordis (psalterio decem chordarum comparat decem praecepta, quae exponit). S. Petrus Damiani: Opusc. 44. de decem Aegypti plagis atque Decalogo (similiter ac s. Augustinus vitiorum vulneribus per plagas significatis medicinam praestari per Decalogum, ingeniose exponit). S. Thomas: Summa Theol. 1. 2. q. 99. a. 1. et 2.: q. 100. a. 1. 2. 3. 4. 5. 6. et 11. S. Bonaventura: Expos. in Lib. III. Sent. Dist. XXXVII. art. I. q. 1. et 3. art. II. q. 1. 2. et 3. Opusc. Sermones de decem praeceptis. — Gregorius de Valentia: Comment. Theol. in primam secundae d. Thomae Disp. VII. q. 7. Punct. 4.

4. — II. *Praecepta caeremonialia* ordinabant populum ad Deum, ita quidem, ut determinarent cultum peculiarem illo tempore Deo exhibendum, simul atque mysterium Christi praefigurarent.

Praecepta haec versabantur circa *sacrificia*, in quibus Dei cultus praecipue consistebat, circa *sacramenta*, qualia erant circumcisio, esus agni paschalis, circa *res sacras*, ut tabernaculum, vasa etc., et circa *observantias*, in cibis, vestimentis, et aliis hujusmodi.[2]) Per haec igitur ex una parte specialis Deo cultus praestabatur, ut patet; et ex altera parte mysterium Christi praesignabatur, ut sat superque s. scriptura docet et disertis verbis *Consilium Florentinum* declaravit.[3])

---

[1]) Hinc perbene s. Ambrosius dicit: *„Lex Judaeis data est, — ut a naturae finibus culpae studio demeantes, ad naturae observantiam poenae terrore revocaret.“* Lib. de Viduis, cap. 12. n. 72.

[2]) De his eruditissime Jos. Danko: Historia Revelationis Divinae V. T. Vindob. 1862.

[3]) Decretum pro Jacobitis: „— *quem* (Jesum Christum Dominum nostrum) *aliquando venturum omnia Veteris Testamenti sacra, sacrificia, sacramenta, caeremoniae praesignarunt.“* Apte s. Augustinus notat: *„Quomodo in hordeo medulla sub patea latet, sic in velamento mysteriorum Legis latet Christus.“* Serm. 130. n. 1.

Per sacrificia videlicet Christus immolatus figurabatur, [1]) per sacramenta et res sacras hujus legis sacramenta et sacra novae legis, per observantias conversatio populi christiani, quae quidem omnia ad Christum Dominum pertinent. Docet d. Thomas, caeremonalia *principaliter* fuisse instituta ad mysterium Christi praefigurandum. [2])

5. — Copiosa erant caeremonialia praecepta, et convenienter quidem, propter duplicem finem jam indicatum: a) propter cultum Dei illo tempore exercendum, ut nempe multiplices idololatriae species per multa praecepta reprimerentur, porro ut populo ejusmodi praescriptis onerato, idololatriae servire non vacaret, utque ejus mens assidue diversisque modis ad Deum referretur. Item b) propter Christum venturum praesignandum, ut scilicet mysterium redemptionis, circa quod erant multa consideranda, multipliciter figuraretur. [3])

* S. Cyrillus Alexandrinus: Libr. XVII. de adoratione in spiritu et veritate. Libr. IX—XVII. (Op. Tom. I.) Homilia 16. 19. 29. 30. (Op. Tom. V. Par. II.) S. Thomas: Summa Theol. 1. 2. q. 101. et q. 102. — Martin. Becanus S. J.: Analogia veteris et novi Testam. cap. 13., 14. et 15. Gregorius de Valentia: Comm. Theol. in primam secundae Disp. VII. Quaest. 7. Punct. 5.

6. — III. *Praecepta judicialia* ordinabant homines ad se invicem sub imperio Dei, unius eorum regis, [4]) ita quidem, ut *primarie* disponerent statum populi electi politicum et socialem per determinationes justitiae et aequitatis inter homines servandae, *secundarie* [5]) autem (non primarie, ut caeremonialia, coll. n. 4.), seu *„ex consequenti,“* ut Angelicus ait, [6]) futura quaedam novae legis figurarent, quatenus nimirum totus illius populi status, ad quem ordinandum erant instituta, propheticus erat et figuralis, ut s. Augustinus verissime docet. [7]) Quae cum ita sint, merito a ss. Patribus et ab aliis tum gesta et facta illius populi, tum praecepta judicialia passim mystice exponuntur.

[1]) Ipsa s. Ecclesia teste, quae ita precatur: *„Deus, qui legalium differentiam hostiarum unius sacrificii perfectione sanxisti etc.“* Secreta in Domin. VII. post Pentec.

[2]) Summa Theol. 1. 2. q. 104. a. 1. c.

[3]) S. Thom. 1. 2. q. 101. a. 3.

[4]) Hinc dicit S. Thomas, quod etiam judicialia referebantur ad Dei cultum. 1. 2. q. 104. a. 2. ad 3.

[5]) Suarez: „Figuralis ratio in caeremonialibus est primaria, in judicialibus autem secundaria.“ De leg. Lib. IX. cap. 3. n. 13.

[6]) 1. 2. q. 104. a. 1.

[7]) Contra Faustum Libr. XXII. cap. 24. *„Dico — — totum illud regnum gentis Hebraeorum magnum quemdam, quia et magni cujusdam fuisse prophetam.“* Catechismus ad Parachos: „— populi Israëlitici historia mysteriorum est plena.“ P. III. cap. 1. q. 11.

7. — Omnia haec praecepta ad quatuor revocari possunt. Alia enim determinabant ordinem inter principem et populum servandum; alia statuebant ordinem subditorum ad invicem, ut e. g. in contractibus; alia dabantur de ordine servando in familiis, ut inter parentes et filios, inter dominos et servos; alia denique respiciebant ordinem populi ad extraneos, et agebant inter alia de bello gerendo aut vitando cum ceteris nationibus.

* S. Thomas: Summa Theol. 1. 2. q. 99. a. 4.; q. 104. a. 1. et 2.; q. 105.

PROPOSITIO II.

Vetus lex actus non modo exteriores, verum etiam interiores praescripsit, atque convenienter per temporales potissimum promissiones et comminationes ad praeceptorum observantiam populum induxit.

Propositio haec duas complectitur veritates, quarum utraque probanda est.

8. — *Prima pars* propositionis abunde constat ex sacra V. T. scriptura, qua attestante lex ex una parte praecepit actus bonos mere internos, ut actus fidei (Exod. 20. Deut. 6.), actus spei, actus charitatis et timoris Dei (Exod. 20. Lev. 19. 18. Deut. 6, 5—9. et al.) actus gratitudinis erga Deum (Lev. 19, 10. 12. 14.), actus poenitentiae (Lev. 16.), dilectionem inimicorum (Exod. 23, 4. 5. Prov. 25, 21.) etc.; atque ex altera parte prohibuit actus malos mere internos, ut luxuriam internam seu cogitationibus et desideriis impudicis habitam (Exod. 20, 17.), desiderium injustum bonorum alienorum (Exod. 20, 17.), odium proximi (Lev. 19, 17.) etc. Unde manifeste apparet, Deum sola exteriori mandatorum executione haudquaquam fuisse contentum, quod ceteroquin jam ex consideratione Dei legislatoris sanctissimi conjici debet.

9. — *Secunda pars* propositionis ex eo probatur, quod populus Israëliticus erat durae cervicis, populus imperfectus, carnalis, cujus affectus ad temporalia maxime erant proclives. Profecto quidem hujusmodi populum per temporales promissiones et comminationes ad exequenda mandata manu duci oportuit. [1])

[1]) D. Thomas apta comparatione hanc veritatem illustrat: „Sicut in scientiis speculativis inducuntur homines ad assentiendum conclusionibus per media syllogistica: ita etiam in quibuslibet legibus homines inducuntur ad observantias praeceptorum per poenas et praemia; videmus autem in speculativis, quod me-

Itaque ratio, ob quam Deus sapientissimus bona malaque temporalia proposuit, haec fuit, ut homines sive timore poenarum, sive spe praemiorum temporalium incitarentur ad serviendum et adhaerendum Ipsi, Domino suo, per praeceptorum observantiam. Atque ideo si homines non propter sola terrena egerint seu in temporalibus finem non constituerint, sed per haec tamquam media ad Deum, ut finem supremum quaerendum amandumque moti fuerint, imperfecte quidem, verum inhoneste seu peccaminose nequaquam egerunt. Egregie more suo Angelicus desuper scribit: „*Perfectio hominis est, ut contemptis temporalibus, spiritualibus inhaereat — —; imperfectorum autem est, quod temporalia bona desiderent, in ordine tamen ad Deum; perversorum autem est, quod in temporalibus bonis finem constituant.*“ [1]) — Merito igitur P. M. Clemens XI. damnavit propositionem 64. Quesnelli ita sonantem: *Sub maledicto legis numquam fit bonum, quia peccatur sive faciendo malum sive illud nonnisi ob timorem evitando.*

10. — Lex antiqua principaliter quidem, sed non unice per spem temporalium bonorum et timorem malorum temporalium inducebat populum ad praeceptorum observantiam. Etenim proponebantur ab eadem *nobiliora quoque motiva*, videlicet *spes bonorum spiritualium et aeternorum, nec non charitas* erga Deum. a) De charitate quidem omnino constat ex Lev. 19, 18. Deut. 6, 5; 10, 12; 11, 13. Nec minus b) constat de spe bonorum spiritualium et vitae aeternae. Etenim jam ante legem scriptam promissiones talium bonorum Patribus factae, legis autem tempore per Prophetas innovatae multumque ampliatae sunt; quocirca Ecclesia in Missis defunctorum orat: „*Signifer sanctus Michael repraesentet eas in lucem sanctam, quam olim Abrahae promisisti et semini ejus.*“ Accedit, quod juxta s. Augustinum per temporalem felicitatem populo promissam, aeterna figurate praenuntiabatur; [2]) et quod deni-

dia proponuntur auditori secundum ejus conditionem: unde sicut oportet ordinate in scientiis procedere, ut ex notioribus disciplina incipiat; ita etiam oportet, qui vult inducere hominem ad observantiam praeceptorum, ut ex illis eum movere incipiat, quae sunt in ejus affectu; sicut pueri provocantur ad aliquid faciendum aliquibus puerilibus munusculis.“ 1. 2. q. 99. a. 6. c.

[1]) l. c. Consuli etiam potest Petavius legis sanctitatem contra obtrectatores hoc obtutu vindicans: De Deo Deique proprietatibus Lib. X. cap. 27.

[2]) Liber ad Honoratum seu Epistola 140. n. 5. Praeterea in op. contra Faustum Libr. IV. cap. 2. ait: „in illis temporalibus promissis figurae fuerunt futurorum spiritualium.“ Idem dicit in Enarr. in Ps. 89. n. 17. Serm. 25. (alias de Diversis 19.) n. 1.

que tota V. T. oeconomia Christum venturum, auctorem gratiae et gloriae, spectabat. His autem omnibus spes spiritualium et coelestium bonorum non poterat non in populo vivide excitari atque continuo foveri.

Aderant igitur procul dubio in V. T. praeter timorem et spem temporalium alia adhuc et nobiliora quidem motiva, ex quibus agebant, quiqui erant spirituales seu perfecti in populo. Cf. Ps. 118, 2. Mach. 6. et 7. Tob. 2. Sap. 2—5. Hebr. 11. „*Non itaque,*“ inquit s. Augustinus, „*spes nostra in temporalium rerum promissione defixa est, quandoquidem nec ipsos illius temporis sanctos et spirituales viros, Patriarchas et Prophetas, his terrenis rebus fuisse deditos credimus.*“ [1]) Hinc P. M. Clemens XI. jure optimo proscripsit propositionem 65. Quesnelli, quae sic jacet: *Moses, prophetae, sacerdotes et doctores legis mortui sunt absque eo, quod ullum Deo dederint filium, cum non effecerint, nisi mancipia per timorem.* Nam timor ipse, quo Moyses et Prophetae Judaeos adimplebant, ad justitiam conducebat, juxta illud Eccli. 2, 20: „*Qui timent Dominum, sanctificabunt animas suas,*“ ac praeterea dilectio Dei quoque ab ipsis populo praecipiebatur. [2])

* S. Thomas: Summa Theol. 1. 2. q. 99. a. 6. — Suarez: De legib. libr. IX. cap. 6. n. 18—21. Petavius: De Deo Deique proprietatibus, Lib. X. cap. 2. et 27. Becanus S. J.: Analogia Veteris et Novi Testamenti cap. 3. et 4.

11. — Theologus Hirscher affirmavit, prophetas Mosaismum effecisse spiritualem, pretium cultus a lege praescripti in „moralitate“ eorum, qui cultum peragerent, reponentes, ita ut Mosaismus per prophetas veluti supra seipsum elevaretur. [3]) — Sed sententia haec supponens, legem Mosaicam internum hominis statum cultumque Dei internum ac spiritualem parum curasse, clarissimis hujus legis documentis (coll. n. 8.) repugnat, atque talem statuit legem, quae Deo indigna foret. Non legem Dei bonam et sanctam (Rom. 7, 12.), sed vitam populi non bonam, legique prorsus difformem reformare intenderunt prophetae.

Audacius adhuc Theologus alius asseruit, 1) legem Mosaicam a vaticiniis Messianis sejunctam charactere profundiori, proprieque ethico caruisse, atque institutionem coactivam fuisse, ita, ut in statu veteris legis vera et pura „moralitas“ subsistere non potuerit ob defectum libertatis; 2) nec legis finem fuisse, ut homines faceret bonos et justos; quin imo legem debuisse hominem peccati conscium reddere, quodammodo peccatum progignere; et hac ratione legem fuisse paedagogum in Christum. [4]) — Sed haec doctrina sustineri nequit. Quod *1mum* attinet: a) lex

[1]) Libr. IV. contra Faustum cap. 2.

[2]) Vid. Collet: Tractatus de Legib. cap. IV. Sect. II. (p. 97, 98. Edit. Paris. 1750.)

[3]) Die christl. Moral, I. B. S. 332. 333. Tübing. 1851.

[4]) „Lösen wir das Gesetz von der (messian.) Weissagung ab und bleiben wir bloss bei den Satzungen stehen, so fällt uns jener Gesetzcharakter in die Augen, wodurch das Gesetz sich als eine Zwangsanstalt erweist; es wird ihm seine

antiqua actus non modo externos, sed internos quoque praecepit bonos, prohibuit malos coll. n. 8.; omnium praeceptorum fundamentum habuit dilectionem Dei et proximi Lev. 19, 18. Deut. 6, 5; 11, 13. Matth. 22, 37—40.; sanctitatem a populo exquisivit: „*Sancti estote, quia ego sanctus sum, Dominus Deus vester.*“ Lev. 19, 2. Quid tenoris ac spiritus profundioris et vere ethici defuit legi? Porro b) si in statu veteris legis libertatem defuisse vir doctus asseveret, tantum abest, ut eum de arbitrii libertate cogitasse praesumamus, ut potius statum servilem, qualis per se erat status veteris legis, ipsius menti obversatum fuisse supponamus; qui status consisebat in caeremoniis copiosis, quibus Judaei arctabantur, et magis adhuc in timore poenarum temporalium, quo ad legem observandam adigebantur (Rom. 8, 15.) Verum tamen multitudo caeremonialium populum carnalem convenienter detinebat in cultu veri Dei, et dirigebat ad Messiam promissum, ex cujus fide justitiam consequi poterant coll. n. 4. et 5.; atque timor poenarum per se honestatem operandi minime tollebat, quod ex prop. 64. et 65. Quesnelli ab Apostolica Sede damnatis invicte confirmatur coll. n. 9. et 10. An ergo sub lege bonitas moralis („moralitas“, ait idem auctor) consistere nequibat? Quod si ita foret, pejor evasisset conditio populi a Deo peculiariter electi ratione legis supernaturalis, quam conditio gentium fuit ratione legis naturalis, quando quidem nec omnium infidelium opera sunt peccata, neque philosophorum virtutes sunt vitia coll. prop. 25. Baji ab Apostolica Sede damnata. c) Sancti Patres non minus quam theologi ex praestantia veteris legis divinam ejusdem originem probare consueverunt; ipse Apostolus hanc legem praedicat bonam, sanctam et justam, eamque spiritualem appellat. (Rom. 7, 12. 14.) Et hujusmodi lex profundiori et vere ethico charactere destituta censetur? [1]) — Quod *2dum* attinet, vir doctus effectum legis praeter Dei voluntatem secutum cum fine legis a Deo directe intento confundit. Ex accidenti enim et praeter Dei voluntatem evenit, ut homines (Rom. 4, 15.; 5, 20., Gal. 3, 19.) occasione ex lege accepta (non data) in majora et plura diffluerent peccata; Deus autem, qui mala fieri permittit, ut bona ex illis procuret, Judaeos de viribus suis praesumentes in peccata ruere permisit, ut humiliati et compuncti ad ipsius misericordiam confugerent, et gratiam quaererent, quae ipsis data est per Christum. Ita post ss. Patres theologi catholici omnes. Porro si lex peccatum quodammodo debuisset progignere (ut satis dure loquitur auctor), an munus paedagogi ad Christum lex perfecte implevisset, cum paedagogi intentio directa et principalis sit, puerum custodire, a vitiis coërcere, primis elementis instruere, ad altiora praeparare? Corto lex vetus, positiva et supernaturalis, debuit prosequi et prosecuta est finem positivum, eum-

---

tiefere, ideelle, eigentlich ethische Seite genommen; es hat nicht mehr den Zweck, den Menschen gut und gerecht zu machen; denn sonst wäre die Verheissung der Erlösung überflüssig. Das Gesetz soll lasten auf dem Nacken des Volkes, damit dieses seinen Druck verspüre und seine Blicke in die messianische Zukunft richte; das Gesetz soll dem Menschen die Sünde zum Bewusstsein bringen, gewissermassen die Sünde erzeugen (Gal. 3, 19. Rom. 4, 15.) und in dieser Weise ein Zuchtmeister werden auf Christus hin. — Immerhin kann der Standpunkt des A. B. ein Standpunkt der Unfreiheit genannt werden, welcher mit echter, reiner Sittlichkeit nicht zusammen besteht. Israël sollte ja nicht durch das Gesetz gerecht werden.“ *Tübing. Quartalschrift* 1871. S. 90—92.

[1]) Quod Kant (Religion innerhalb der Grenzen der Vernunft S. 177.), Hegel (Religionsphilosophie S. 74.) aliique increduli dixerunt, legem Mosaicam actus tantum externos postulasse ac mere coactivam fuisse, nemo mirabitur. Sed absit, quin vir catholicus eundum vel similem errorem sectetur.

que supernaturalem, qui duplex erat: *proximus* quidem, disponere peculiarem populum ac praeparare ad Christi adventum, *ultimus* vero supernaturalis et aeterna populi beatitudo per Christum obtinenda. Vid. §. 37. n. 2. Certum est, quod auctor asserit, legem non fuisse datam, ut justificaret; sed aeque certum est, legem datam fuisse, ut ad justificationem disponeret, quod etiam, quantum de se erat, optime praestitit, fidem unius Dei, timorem et amorem Dei, poenitentiam, mandando et nutriendo, praeprimis fidem Christi venturi in populo fovendo per praecepta caeremonialia, quae principaliter instituta erant ad mysterium Christi figurandum. Sit igitur vaticiniis Messianis excelsa vis et gravitas sua, sed non denegetur legi dignitas et praestantia, quae ipsi competit.

§. 39.

De veteris legis obligatione.

PROPOSITIO.

Praecepta moralia cunctos, caeremonialia et judicialia nonnisi Judaeos obligarunt.

1. — Lex vetus, ut (§. 38. n. 2—7.) vidimus, manifestavit legis naturalis praecepta, propriaque ipsi fuerunt caeremonialia et judicialia praecepta.

Ad praecepta moralia hujus legis omnes tenebantur, non ideo, quia illa in vetere lege continebantur, sed quia per se legis naturalis erant, qua quippe omnes mortales obstringuntur.

Quoad praecepta caeremonialia et judicialia, quae lex vetus superaddidit, nonnisi populus Judaeorum ad observantiam veteris legis tenebatur: quia illa populo electo data sunt, ut quandam praerogativam sanctitatis obtineret propter reverentiam Christi, qui ex hoc populo nasciturus erat (§. 38. n. 3.); ea vero, quae ad specialem aliquorum sanctificationem statuuntur, non obligant nisi illos. Quaemadmodum ad quosdam virtutum actus obligantur clerici, ad quos laici non obligantur; et religiosi ad certa perfectionis opera vi professionis suae tenentur, ad quae saeculares non obstringuntur: ita similiter ad specialia praescripta obligabatur ille populus, ad quae alii populi non erant obstricti. Ita egregie d. Thomas. [1])

2. — Quia autem gentiles perfectius et securius salutem consequi poterant sub observantiis legis, quam sub sola lege naturali: ideo ad eas admittebantur, prouti etiam nunc laici transeunt ad clericatum, et saeculares ad statum religiosum, quamvis absque hoc

---

[1]) Summa Theol. 1. 2. q. 98. a. 5. c.

possint salvari; ut idem Doctor Angelicus animadvertit. [1]) Imo voluit Deus — sic Catechismus ad Parochos [2]) — per legem et beneficia populo suo praestita „ceteras gentes ad aemulationem provocare, ut perspecta Israëlitarum felicitate omnes homines ad veri Dei cultum se conferrent; quemadmodum etiam Paulus (Rom. 11, 14.) testatur, se gentium felicitate proposita, et vera Dei cognitione, qua eas instruxerat, ad aemulationem carnem suam provocare."

§. 40.

De cessatione veteris legis.

PROPOSITIO.

Praecepta moralia nunquam, caeremonialia et judicialia pedetentim et diverso modo cessarunt.

1. — Dico I. *Praecepta moralia V. T. nunquam cessarunt.* Hoc de fide est, sancitum a Concilio Tridentino Sess. VI. can. 19.; atque ex eo probatur, quod illa praecepta sunt juris naturae, quod immutari et solvi nequit (§. 34. n. 2.), et praeterea in lege evangelica per Christum innovata et confirmata sunt (vid. §. 43. n. 2).

2. — Dico II. *Praecepta caeremonialia et judicialia cessarunt;* quod itidem de fide est, ut patet ex Act. Ap. 15., ex tota epistola s. Pauli ad Galatas, nec non ex constanti Ecclesiae catholicae persuasione et doctrina. Ratio patet. Illa siquidem praeparatoria erant ad Christi adventum, quapropter praeparatione impleta non amplius persistere valent. [3])

3. — *Diverso* tamen *modo* cessarunt. Nam *caeremonialia* adeo sunt evacuata, ut non solum evaserint *mortua,* i. e. nullius amplius obligationis, sed etiam *mortifera,* seu mortem animae afferentia, cum jam non potuerint sine peccato observari. *Judicialia* vero sunt abolita, ut evaserint quidem *mortua,* non tamen *mortifera.* Ratio primi est, quia caeremonialia principaliter fuerant instituta ad praefiguranda Christi mysteria; ergo illa adhuc observare, perinde esset

[1]) 1. c. ad 3.

[2]) P. III. cap. 1. q. 12.

[3]) Sapienter S. Leo M. dicit, *merito cessasse nuntios, postquam nuntiata venerunt.* Serm. 62. De Passione Domini XIII. feria 4. cap. 2. et rursus: *„denuntiationibus* (Christus) *cessationem imposuit, quoniam denuntiatus advenit."* Serm. 63. De Passione Domini XIV. cap. 5. *„In adventu rerum nuntiatarum finita sunt officia nuntiorum."* Serm. 67. de Passione Domini XVIII. cap. 2.

ac profiteri, Christum nondum in mundum venisse, passionem et crucem sustinuisse, ex mortuis resurrexisse, mundum redemisse, ad Patrem rediisse; quod quidem aperte contra fidem adeoque grave peccatum foret. Ratio secundi est, quia judicialia principaliter fuerant instituta ad ordinandum populi statum secundum justitiam et aequitatem, et secundarie tantum ad aliquid figurandum (§. 38. n. 6.); hinc propter *naturalem* suam convenientiam et aequitatem absque fidei laesione et peccato possunt observari, imo et de novo praecipi ab eis, quorum est condere leges. [1]) Sit exemplum: decimas solvere erat judiciale praeceptum veteris Testamenti, quod idem ab Ecclesia est statutum secundum quandam humanitatem et aequitatem, ut videlicet non minus populus novae legis ministris suis exhiberet, quam populus veteris legis suis exhibuit ministris. [2])

4. — Caeremonialia et judicialia non illico, sed *pedetentim* cessarunt: *„decebat enim,* ait s. Augustinus, *ut Synagoga cum honore sepeliretur."* [3]) In specie quoad caeremonialia Theologi cum s. Augustino [4]) tria stadia distinguere solent. *Unum* quidem est ante Christi passionem, in quo legalia *nec mortifera, nec mortua* erant, quia mysterium Christi nondum erat consummatum; tunc currebant simul Lex et Evangelium, Angelicus dicit. [5]) *Alterum* est inde a Christi passione usque ad Evangelii divulgationem, quo tempore legalia quidem *mortua, sed non mortifera erant.* Mortua, quia mysterium redemptionis in passione Christi fuit consummatum seu completum. Nondum mortifera, quia Judaeo-Christiani licite adhuc poterant illa observare, dummodo non necessaria sibi eadem reputarent ad salutem. Ideo autem placuit Spiritui sancto, legalium observantiam aliquamdiu tolerare, ut Judaei facilius ad Christi fidem traducerentur, animadvertentes, caeremonias suas, utpote bonas in se atque sanctas, non ita subito repudiari et abrogari, sicuti gentilium ritus. [6]) *Tertium*

[1]) S. Thomas: 1. 2. q. 104. a. 3.; ubi tamen simul adjungit, quod intentio, eadem observandi tamquam habentia vim obligandi *ex veteris legis* institutione, *praejudicaret fidei veritati,* atque *mortifera* esset; quia per hoc haberetur, statum prioris populi adhuc durare, et Christum nondum venisse.

[2]) S. Thomas 2. 2. q. 87. a. 1. c., ubi addit aliud exemplum: „praeceptum judiciale erat, quod qui furatus fuerit ovem, reddat quatuor oves (Exod. 22.); quod si ab aliquo rege statuatur, tenentur ejus subditi observare."

[3]) Epistol. 82. ad S. Hieronym. n. 16. et n. 20.

[4]) 1. c.

[5]) 1. 2. q. 103. a. 3. ad 2.

[6]) S. Thom. 1. 2. p. 103. a. 4. ad 1.

denique est post tempus Evangelii divulgati (nempe, ut communiter dicunt, post tempus urbis excidii), in quo caeremonialia sunt *mortua et mortifera*, quum omnis aequa ratio excusationis et indulgentiae sublata sit. [1])

* S. Augustinus: Epist. 82. (alias 19.) ad Hieronymum (Op. Tom. II.) S. Thomas: Summ. Theol. 1. 2. q. 103. a. 3. et 4.; q. 104. a. 3. — Suarez: De legib. Libr. IX. cap. 9—22. Neubauer S. J.: Theol. Wirceburg. de legibus cap. 2. a. 1—5. (Nova Ed. Paris 1852.) Continuator Honorati Tournely (Collet): Tract. De Legib. Cap. IV. Sect. VI.—X. Anacl. Reiffenstuel: Theol. mor. T. I. Tract. II. Le Leg. Dist. II. q. 1. n. 5—11. Fr. Patric. Kenrick: Theol. mor. Vol. I, p. 40. Mechlinae 1880.

§. 41.

Recollectio.

Ex opere sancti Augustini: Contra Faustum. [2])

„De praeceptis et sacramentis veteris Testamenti — multa jam diximus, ut intelligeretur aliud ibi fuisse, quod per gratiam novi Testamenti faciendo donaretur implendum, aliud quod per veritatem patefactam removendo demonstraretur impletum: cum Dei et proximi dilectione susciperetur Legis perficienda praeceptio, circumcisionis autem atque aliorum illius temporis sacramentorum cessatione ostenderetur Legis persoluta promissio. Praeceptum quippe reos faciebat ad desiderandam salutem, promissum autem figuras celebrabat ad exspectandum Salvatorem: ut per adventum novi Testamenti illos liberaret gratia donata, illas auferret veritas reddita. Ipsa enim Lex, quae per Moysen data est, gratia et veritas per Jesum Christum facta est.

Proinde prima sacramenta, quae observabantur et celebrabantur ex Lege, praenuntiativa erant Christi venturi: quae cum suo adventu Christus implevisset, ablata sunt; et ideo ablata, quia impleta; non enim venit solvere Legem, sed adimplere: et alia sunt

[1]) Aptissime magnus s. Augustinus animadvertit: *„Proinde nunc quisquis Christianorum, quamvis sit ex Judaeis, similiter ea celebrare voluerit, tamquam sopitos cineres eruens, non erit pius deductor, vel bajulus corporis, sed impius sepulturae violator.“* Epist. 82. ad Hieronym. n. 16. Si lex vetus dicitur futura *in aeternum* (Baruch. 4, 1.), ita laudatur „secundum moralia quidem simpliciter et absolute, secundum caeremonialia vero quantum ad veritatem per ea figuratam.“ S. Thom. I. 2. p. 103. a. 3. ad 1. Vid. etiam s. Bonaventura: Comment. in Libr. IV. Sent. Dist. III. art. 3. q. 1. ad 1.

[2]) Lib. XXII. cap. 6. Lib. XIX. cap. 13. et 14.

instituta virtute majora, utilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora, tamquam justitiâ fidei revelatâ, et in libertatem vocatis filiis Dei jugo servitutis ablato, quod duro et carni dedito populo congruebat. Verumtamen si antiqui justi pro illis praenuntiativis sacramentis et rerum nondum impletarum figuris, omnia dura et horrenda perpeti parati fuerunt, et plerique perpessi sunt: si tres pueros, Danielemque praedicamus, quia de mensa regis contaminari noluerunt, quod erat contra illius temporis sacramentum: si Machabaeos cum ingenti admiratione praeferimus, quia escas, quibus nunc Christiani licite utuntur, adtingere noluerunt, quia tunc pro tempore prophetico non licebat: quanto magis nunc pro baptismo Christi, pro Eucharistia Christi, pro signo Christi ad omnia perferenda paratior debet esse Christianus, cum illa fuerint promissiones rerum complendarum, haec sint indicia completarum?“

II. De nova lege.

Tractare proponimus 1. de indole et fine novae legis, 2. de materia novae legis, 3. de hujus legis duratione, atque 4. de relatione novae legis ad naturalem et veterem legem.

§. 42.

De indole et fine novae legis.

1. — *Lex nova est lex supernaturalis a Christo Domino omnibus hominibus allata, quae dirigit et adjuvat eos, ut, quemadmodum filios Dei adoptivos decet, vivant, eoque ad aeternam in coelo haereditatem a Christo partam perveniant.* In hac definitione exprimitur ratio novae legis et differentia ejus a lege vetere sequentibus: 1. Data est haec lex ab *ipso Christo*, Filio Dei, homine facto, dum antiqua lex data est a Deo per Angelos, ipsius ministros (§. 37. n. 1.); 2. *omnibus hominibus*, lex vetus tantum populo electo data est; 3. *quae eos dirigit*, per praecepta et consilia, *et adjuvat*, per gratiae dona, quia non tantum externe est tradita, sed simul indita menti et cordi per donum fidei et charitatis, adnexasque habet copiosas gratias actuales; qua re maxime differt a lege vetere, quae per se erat litera nuda sine gratiae donis; 4. *ut, quemadmodum filios Dei decet, vivant;* sicut enim lex antiqua direxit et coarctavit Israelitas tamquam servos (Gal. 3, 23. 24.; 4, 22.); ita lex nova nos regit et provehit ceu filios Dei adoptivos, qui revera per Christum effici-

mur (Gal. 4, 4. Rom. 8, 16. et al.); ideoque sicuti praecepta veteris legis accommodata erant statui servorum: ita praecepta legis evangelicae accommodata sunt statui filiorum; 5. *eoque ad aeternam in coelo haereditatem perveniant,* quae est finis immediatus legis, qua gloriamur, dum lex Mosaica tantum mediate eundem finem respexit. Sed singula ex eis, quae mox disputabimus, accurate firmiterque evincentur.

2. — Tantum breviter adhuc innuimus, quod aliunde constat, Christum fuisse verum legislatorem; id quippe Concilium Tridentinum contra Reformatores definivit his verbis: *„Si quis dixerit, Christum Jesum a Deo hominibus datum fuisse ut redemptorem, cui fidant, non etiam ut legislatorem, cui obediant, a. s.“* Sess. VI. can. 21.

* Bellarmin: De Justificatione Lib. IV. cap. 1. Suarez: De legib. Lib. X. cap. 1. Neubauer S. J.: Theol. Wirceburg. Tom. III. de legibus cap. 2. a. 6. Schwetz: Theologia dogmat. Tom. II. §. 75.

PROPOSITIO.

Lex nova primarie est lex supernaturaliter indita menti et cordi Christi-fidelium, secundarie est lex externe tradita.

3. — Id enim principaliter est quaelibet res, in quo potissime ejus indoles et perfectio consistit. Jam vero indoles et virtus legis novae potissime in eo consistit, quod supernaturaliter indita est Christi-fidelibus; quod ex utroque fonte revelationis evincitur. Nam constat 1. ex divinis scripturis. Etenim in V. T. Deus praedixit per prophetam: *„Feriam domui Israel et domui Juda foedus novum“*, nempe: *„Dabo leges meas in mentem eorum, et in corde eorum superscribam eas.“* Jerem. 31, 31. 33. Quod vaticinium per Christum Dominum adimpletum fuisse, Paulus Apostolus docet. Hebr. 8, 10. Ergo lex Christi juxta verba allata est lex aliqua interna, cum dicatur: Dabo leges meas *in mentem* eorum, et *in corde* eorum superscribam eas. Jam vero haec interna esse nequit lex naturalis, quae jam prius aderat, utpote naturae cujuslibet hominis congenita. Relinquitur igitur, quod lex Christi est lex supernaturaliter addita naturae per gratiae donum, et quidem menti et cordi inserta, ut Propheta l. c. edicit. Vid. etiam Joa. 1, 17.; Rom. 5, 5.; 8, 2.; 2. Cor. 3, 3. — Constat 2. ex Traditione. Invenitur enim haec doctrina a sanctis Patribus et Doctoribus clarissime asserta. S. Joannes Chrys. dicit: *„Quae igitur lex, quam hodie* (die Pentecostes) *de coelo datam dicis? Spiritus sancti gratia.“* [1]) S. Ambrosius haec habet: *„Lex Christi non atramento scripta, sed spiritu Dei vivi: non in charta exarata, sed in corde signata: lex gratiae non cruoris.“* [2]) Rursus: *„Lex Dei in sensibus hominum et in cordibus eorum scribitur, non in tabulis lapideis.“* [3]) S. Augustinus docet: *„Sicut lex factorum scripta fuit in tabulis lapideis, ita lex fidei scripta est in cordibus fidelium.“* [4]) Porro: *„Quae sunt leges Dei ab ipso Deo scriptae in cordibus, nisi ipsa praesentia Spiritus sancti?“* [5]) Id ipsum aliis verbis persaepe repetit.[6]) Cum ss. Patribus d. Thomas [7]) et s. Alphonsus [8]) sentiunt, aliique Theologi communissime tradunt. [9]) — Ex dictis igitur liquide apparet, legem Christi sua indole et principali virtute esse legem fidelibus inditam per gratiam Christi.

4. — Sed necessario explicandum venit, quo sensu lex nova juxta Prophetae verba sit indita menti et cordi, porro in quo praecise haec lex consistat.

1. Lex Christi indita est *menti* per abundantiam luminis fidei, qua firmiter amplectimur et tenemus, quae Christus per Ecclesiam nobis proponit credenda et agenda, ut ad coelestem beatitudinem perveniamus; indita et superscripta est *cordi* per abundantiam amoris, per quem suaviter inclinamur et impellimur ad facienda et vitanda, quae ut talia per fidem cognita sunt. 2. Igitur lex, quatenus nobis inhaeret, proprie consistit *in practicis principiis et dictaminibus fidei* (seu rationis per fidem illustratae) *de bonis faciendis et malis vitandis;* quae dictamina certo vim divinae legis habent, quia Deus

---

[1]) Homil. I. De Sp. s. in die Pentecostes.

[2]) Concio 1. de Basilicis non tradendis.

[3]) In Psalm. 118. Serm. 18. n. 37. Ambrosiaster ait: *Nova lex in anima scribitur, hoc est in corde, non per calamum, sed per spiritum,“* Comm. in 2. Cor. c. 3. v. 3.

[4]) Lib. de spiritu et litera cap. 17. n. 26.

[5]) Libr. de spiritu et litera cap. 21. n. 36.

[6]) In Enarr. in Psalm. 18. n. 18. haec habet: *„„Lex Domini immaculata convertens animas.““ Hoc est Spiritus sanctus „„Praeceptum Domini lucidum illuminans oculos.““ Hoc est Spiritus sanctus.“* Lib. de Spiritu et litera cap. 17. Contra Faustum Lib. XVII. cap. 5. et al.

[7]) Summa Theol. 1. 2. q. 106. a. 1.

[8]) *„Das neue Gesetz Jesu Christi ist ein innerliches, unseren Herzen eingegossenes Gesetz.“* Die Wahrheit des Christenth. III. Abth. cap. 1. n. 3.

[9]) F. Sylvius: Comment. in 1. 2. q. 106. a. 1. Suarez: De legibus. Lib. X. cap. 3. Gregorius de Valentia: De vera et falsa differentia Veteris et Novae Legis. Pars prior. cap. II. Comm. in 1. 2. q. 106. a. 1. Disp. VII. q. 6. Punct. 2. Bellarmin.: De Justif. Lib. IV. cap. 4. initio. Habert et alii.

ipse per illa nobis ostendit voluntatem suam implendam; nihilominus aliquo modo etiam *in piis motibus et impulsibus charitatis* merito reponitur, quatenus per illos Deus nos incitat ad voluntatem suam implendam.[1] In habitibus fidei et charitatis lex est tamquam in radice, cum ex his illa dictamina, illique impulsus procedant;[2]) quocirca *lex fidei, lex charitatis,* vel *charitas* simpliciter dicitur.[3] Et quatenus habitus fidei et charitatis inhaerent gratiae sanctificanti et cum hac infunduntur, lex nova remote in hac gratia sita est.[1])

Denique ad doctrinam hanc complendam addi debet, quod sicut lex Christi infunditur per gratiam sanctificantem, et menti cordique inseritur per donum fidei et charitatis: ita *gratias* quoque *actuales*

---

[1]) Bellarmin: „Lex per Mosem data est, per Christum facta est gratia propter infusionem fidei et charitatis." De Justif. Lib. IV. cap. 4. Suarez: „Praecepta hujus legis debuerunt interius scribi per specialem Dei gratiam et providentiam. Scripta sunt *in intellectu*, — per abundantiam fidei et supernaturalis doctrinae, et *in voluntate* per abundantiam spiritus et amoris. Praecepta hujusmodi *proprie* et *formaliter* scribuntur in intellectu, vel in actu primo per species et lumen, vel in actu secundo per judicia et dictamina ad hanc legem pertinentia, — in voluntate suo modo scribuntur, non solum per impulsum, sed etiam quatenus voluntas ad illa bene affecta est. Nam sicut amans dicitur esse in amato, et e converso, ita qui amat legem, recte dicitur habere illam impressam in corde suo." De leg. Lib. X. cap. 3. n. 8.

[2]) Gregorius de Valentia: „Lex divina ut irradiatione quadam divinae sapientiae in mentibus hominum imprimitur, tum *per dona divina*, ut fidei vel etiam gratiae, quatenus his illustrata mens certissime judicat, quid sit propter supernaturalem finem necessario faciendum, tum *per hoc ipsum certum judicium*, in quo divinae legis ratio magis adhuc, quam in donis ipsis fidei aut gratiae elucet: quoniam in actu quasi essentiale, ut ita dicam, statutum lex omnis habet (cum definiri soleat rationis rectae dictamen), in *habitibus* autem, qualis fides et gratia sunt, non est nisi *in radice*, a qua procedit rationis actus, neque in literis, nisi ut in signis." De vera et falsa differentia Veteris et Novae legis. Pars prior cap. 2.

[3]) S. Gregorius M.: „*Lex Dei — charitas, per quam semper in mente legitur, praecepta vitae qualiter in actione teneantur.*" Lib. X. Moral. in Job. cap. 6. n. 7. Huc spectant splendida verba Benedicti XIV. in Bulla Canon. S. Camilli de Lellis die 1. Julii 1746. §. 1. „*Charitatis lex non lapideis Israëlitarum cordibus insculpta, non Levitico generi haereditate transmissa, non Aaronis stirpi . . . tributa fuit, sed in fidelium cordibus per Sp. S. suaviter copioseque diffusa, — universas orbis terrarum nationes fraternitatis vinculo inter se copulavit.*"

[4]) Gregorius de Valentia: „Ipsum *gratiae donum*, quo Spiritus sanctus mentem inhabitat, vocat s. Augustinus leges Dei, quia velut radix continet certum illud fidei judicium, quod ostendit nobis, quid ad supernaturalem finem requiratur; quod judicium, quia in eo relucet divini decreti lumen, rationem divinae legis participat." In 1. 2. Disp. VII. q. 6. P. 2. S. Thomas ait: „Principalitas legis novae est gratia Spiritus sancti, quae manifestatur in fide per dilectionem operante." 1. 2. q. 108. a. 1.

ad praecepta implenda adnexas habet juxta verba Psalmi 83, 8.: „*Etenim benedictionem* (i. e. gratiam ad observanda legis praescripta) *dabit Legislator, ibunt de virtute in virtutem.*"[1]) Et ex duplici hac ratione dicitur *lex gratiae* seu *gratia* simpliciter, *primo* nempe, quia radicatur in gratia sanctificante, *secundo,* quia auxilia gratiae subministrat ad credendum et bene operandum supernaturaliter.

5. — Lex nova, lex Christi, cum *principaliter* sit interna per gratiae donum, consequenter in doctrina a Christo externe tradita *secundarie* tantum consistit. Et in hac doctrina homines necessario instrui debent, infideles quidem, ut ad fidem perveniant, fideles, ut quae habitu fidei tenent, etiam actu credant et in vita moribusque observent.[2])

Itaque lex a Christo Domino nobis allata duplici quasi parte coalescit, internâ et externâ, spiritu et litera. Porro relatio utriusque ad invicem et connexio haec est: Quae discimus per literam legis (verbum Dei praedicatum), per Spiritum (gratiam fidei et charitatis) amplectimur et tenemus mente et corde. Praecepta Christi, quae exterius nobis posita sunt, interius nobis inseruntur a Spiritu sancto per fidem et charitatem, crebras mentis illustrationes ac pios voluntatis impulsus, ut habiles promptique reddamur ad firmiter credendum et rite operandum, quidquid Christus Dominus per Ecclesiam suam credendum agendumque proponit. Hinc Apostolus ad Corinthios scribit: „*Epistola estis Christi, ministrata a nobis, et scripta non atramento, sed spiritu Dei vivi: non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus.*" 2. Cor. 3, 3. Epistolam eos vocat a Christo veluti scriptam, quatenus Christus per Apostoli ministerium seu praedicationem non atramento, sed gratiâ Spiritus sancti, legem suam non in tabulis lapideis ac duris, sicuti veterem legem, sed in cordibus carnalibus seu mollibus ac docilibus inscripsit. Itaque lex externe tradita, et mentibus cordibusque indita una est lex Christi perfecta.[3])

6. — Quod *finem* legis evangelicae attinet, paucis innuere sufficiet, quod jam ex dictis evidens fit, videlicet *primarium* hujus legis

---

[1]) Bellarmin: De Justific. Lib. IV. cap. 4. Suarez etc.

[2]) Suarez dicit: „Verbum, quo lex annuntiata est, fuit quasi instrumentum ad scribendam hanc legem in mentibus et cordibus hominum." De leg. Lib. X. c. 3. n. 2.

[3]) Vid. Suarez op. c. Lib. X. c. 3. n. 4.

finem esse gloriam Dei et Christi, *secundarium* consistere in interna perfectaque hominum sanctificatione per gratiam et doctrinam Christi, atque in obtinenda per illam beatitudine aeterna in regno coelorum jam reserato per Christum, ut late declarat Apostolus in epist. ad Hebraeos 9.

* S. Augustinus: De spiritu et litera (opus lectu dignissimum, Op. Tom. X.). S. Thomas: Summa Theol. 1. 2. q. 106. a. 1. et 2. — Suarez: De legib. Libr. X. cap. 3. et 5. Francisc. Sylvius: Comm. in primam secundae s. Thomae q. 106. a. 1. Gregorius de Valentia: Comment. Theol. in eundem locum. Disp. VII. Quaest. 6. Punct. 2. Ludov. Habert: Theol. Dogm. et Moralis, Tom. III. Tr. de regula morum P. II. cap. 15. §. 1. (Augustae Vindelicor. 1751. p. 479—485.)

§. 43.

De materia novae legis.

1. — Certum ex apostolica doctrina est (coll. §. 42. n. 1.), statum novi Testamenti esse statum filiorum Dei adoptivorum, quemadmodum status veteris Testamenti status servorum Dei fuit. [1]) Hinc omnia, quae Jesus ceu Propheta ac Legislator docuit et praecepit, referuntur ad statum filiorum, in quem ipse qua Redemptor nos restituit (§. 19. n. 2.). Nimirum 1. doctrina Christi exhibet praescriptiones quoad Sacramenta, per quae in statum gratiae et filiorum Dei introducimur, in eo confirmamur et perficimur; quae praescriptiones communiter *praecepta caeremonialia* dici consueverunt. Et Christus quidem ea tantum, quae de se pertinent ad essentiam Sacramentorum instituit perpetuo sine immutatione duratura; reliqua, quae ad mysteria illa rite peragenda cultumque Dei debite exercendum requiruntur, Ecclesiae suae instituenda et determinanda commisit. [2]) 2. Doctrina Christi continet veritates fidei et morum,

[1]) S. Alph. ait: „Gott schloss zum ersten Male durch Moses, der als Mittler diente, einen Bund mit dem israelitischen Volke. — Dies war die erste Vermittlung auf dem Berge Sinai, durch welche die Juden indess noch immer *Knechte* blieben, im Gegensatze zu der späteren durch Jesus Christus gewirkten Vermittlung, Der, als Er für unser Heil starb, bewirkte, dass wir aus Knechten *Kinder Gottes* wurden, wie der heil. Paulus (Gal. 4, 24. Rom. 8, 17.) lehrt.“ Die wunderbare Leitung Gottes im Erlösungswerke. c. 3. n. 9. Fuerunt quidem omnes justi, etiam ante Christum, filii Dei adoptivi, non tamen ex lege, sed ex fide et gratia Christi venturi et sic magis ad legem novam, quam veterem pertinebant, ut fuse et eleganter docet s. Augustinus l. 3. contra duas epist. Pelag. cap. 4.

[2]) Vid. s. Thom.: 1. 2. q. 108. a. 1. c., a. 2. c. et ad 2.

credenda et agenda, ut tamquam veri filii Dei (adoptivi) viventes digni efficiamur haereditate coelesti a Deo Patre capienda; ideoque exhibet quoque praecepta duplicis generis, praecepta fidei et morum, quae communi nomine *praecepta moralia* compellari solent. Perperam reformatores negarunt, praeter fidem alias in lege Christi praecipi virtutes; [1]) contra quos Concilium Tridentinum Sess. VI. can. 19. sancivit: „*Si quis dixerit, nihil praeceptum esse in Evangelio praeter fidem, cetera esse indifferentia, neque praecepta neque prohibita, a. s.*“ Porro Dominus ac Legifer noster ea tantum praecepta moralia tulit, „quae de se pertinent ad rationem virtutis,“ [2]) qua filii Dei praediti sint oportet; alia autem, quae ad exteriorem magis sanctimoniam spectant, Ecclesiae praesulibus disponenda reliquit. — *Judicialia* praecepta, quae per se non sunt de necessitate salutis, et pro tempore et loco varia esse oportet, Christus ipse particulariter non dedit. Quum vero Ecclesia sit regnum spirituale quidem, sed visibile, adeoque hujusmodi praeceptis indigeat, divinus Salvator eadem condendi potestatem ministris suis contulit. [3])

Itaque distinctio praeceptorum, quae in lege evangelica habentur, ex consideratione status filiorum Dei, ad quem referuntur, sponte sua fluit.

2. — Sed eadem praecepta, tam caeremonialia quam moralia etiam secundum suam conditionem seu naturam statui filiorum Dei, qui proprius est populo christiano, optime congruunt; quod nunc paucis explicabimus.

1. Caeremonalia legis evangelicae praecepta versantur circa Sacramenta et Missae sacrificium, ut supra dictum est. In V. T. plurima erant caeremonialia, et observatu difficilia et nuda sine

[1]) Lutherus in cap. 2. epist. ad Galatas haec habet; „cetera (praeter fidem) omnia liberrima, neque praecepta amplius, neque prohibita. Si conscientia dictat, peccasti, responde peccavi. Ergo Deus puniet et damnabit? non. At lex hoc dicit: sed nihil mihi cum lege. Quare? quia habeo libertatem.“ Luthero concordat Calvinus: Lib. 3. Instit. cap. 19.

[2]) Vid. d. Thom. 1. 2. q. 108. a. 1. et 2. S. Bernardus ait: „*Haec quippe* (quae de virtutibus tam in novo quam in veteri Testamento contrahuntur) *talia sunt, quae nec liceat, nec expediat aliquando non haberi.*“ Lib. de Praecepto et Dispens., cap. 3. n. 7.

[3]) S. Thom.: „Judicialia secundum se considerata non sunt de necessitate virtutis quantum ad talem determinationem, sed solum quantum ad communem rationem justitiae; et ideo judicialia praecepta reliquit Dominus disponenda his, qui curam aliorum erunt habituri.“ 1. 2. q. 108. a. 2. ad 4. Lemkuhl: Quare leges judiciales ad hanc unam revocari possunt: Subjectus esto Ecclesiae.“ Theol. mor. Vol. I. n. 198.

gratia, sicuti congruebat statui et conditioni servili Judaeorum; ast in N. T. caeremonialia sunt numero paucissima, actu facillima, utilitate praestantissima, prouti congruit statui filiorum, qualis est status populi christiani. [1])

2. Praecepta moralia novae legis *quoad substantiam* plane eadem sunt ac praecepta moralia veteris legis; [2]) et Christus Dominus nequaquam (ut delirarunt novatores) moralia V. T. abrogavit, cum per se sint legis naturalis [3]) (§. 38. n. 2.), adeoque de necessitate salutis pro omnibus hominibus, filiis Dei minime exceptis; sed potius ea innovavit et confirmavit Matth. 5, 17., Luc. 18, 18—20.; quocirca fideles ab obligatione Decalogi minime eximuntur, quod insuper Concilium Trid. Sess. VI. can. 19. contra reformatores definivit: *„Si quis dixerit, — decem praecepta nihil pertinere ad Christianos, anathema sit.“*

Quamvis autem praecepta moralia quoad substantiam conveniant cum praeceptis antiquae legis, Christus tamen haec in lege sua ita perfecit, ut congruant statui filiorum, praesertim in sermone, quem in monte habuit (Matth. 5. 6. et 7.); hic enim sermo totam informationem vitae christianae continet, ut s. Augustinus verissime docet. [4])

Christus, inquam, moralia praecepta veteris legis in sua lege *perfecit*, illa accomodans statui filiorum, nempe 1. explicite credenda manifestavit, quae in V. T. implicite tantum et obscure tradebantur, praesertim mysterium ss. Trinitatis et Incarnationis; quia non tam servorum, quam filiorum est, patris consilia et secreta perfecte scire Joa. 15, 15., ad quod significandum Moses cum loqueretur ad populum, faciem velabat, nobis autem Christus facie ad faciem locutus est 2. Cor. 3, 13. 18. Porro 2. moralia praecepta clariori lumine

[1]) S. Augustinus: Contra Faustum Lib. XIX. cap. 13.

[2]) S. Thomas: dicit: „— *quantum ad ipsam substantiam praeceptorum* (moralium) *Novi Testamenti omnia continentur in Veteri Testamento.*“ 1. 2. q. 107. a. 3. ad 2. Vid. etiam 1. 2. q. 108. a. 2. c.

[3]) S. Thomas: „— ad opera virtutum dirigimur per rationem naturalem; — et ideo in his non oportuit aliqua praecepta dari ultra moralia legis praecepta, quae sunt de dictamine rationis.“ 1. 2. q. 108. a. 2. ad 1. Hinc Catechismus ad Parochos infert: *„Certissimum enim est, non propterea his praeceptis parendum esse, quod per Moysem data sunt: sed quod omnium animis ingenita et per Christum Dominum explicata sunt et confirmata“*. P. III. cap. 1. q. 3.

[4]) Ita dicit: *„Considerandum est, quia cum dicit, qui audit verba mea haec, satis significat, sermonem istum Domini omnibus praeceptis, quibus Christiana vita formatur, esse perfectum.“* — *„Sic ipse sermo concluditur, ut appareat, in eo praecepta esse omnia, quae ad informandam vitam pertinent.“* Lib. I. De Sermone Domini cap. 1. n. 1.

revelavit et contra perversas scribarum et Pharisaeorum traditiones integre interpretatus est, verbis utens: *Audistis, quia dictum est antiquis, — ego autem dico vobis;* quia patris est, filios suos perfecte instruere et educare in disciplina, eosque de perversionis periculis studiose admonere. Dein 3. motiva nobiliora agendi docuit, pro temporalibus suppliciis et praemiis, quae lex vetus proponebat, spiritualia et aeterna proponens. Alia enim conditio servorum, alia filiorum; servi accipiunt temporalem mercedem, filii succedunt in perpetuam haereditatem; servi mali virgis coërcentur, filii degeneres ab haereditate excluduntur. Praeprimis autem Christus charitatem urget, nam *filiorum est amare, servorum timere,* prout s. Hieronymus observat. Denique 4. praeceptis addidit consilia perfectionis, quia patri convenit, omni meliori modo saluti filiorum prospicere, et filiorum est, patri liberaliter servire.

Ceterum veritas modo pertractata, novae legis praecepta moralia quoad *substantiam* eadem esse cum praeceptis moralibus antiquae legis, quoad *perfectionem* autem ab his differre, tam ss. Patrum eloquiis, quam Theologorum suffragiis egregie confirmatur. [1])

[1]) Id exprimere videtur s. Ambrosius, cum ad verba Psalmi 61: *Semel loquutus est Deus,* observat: *Semel loquutus est in Lege, eadem iterum loquutus est in Evangelio. — — Loquutus est in novo Testamento, et vetus auditum est Testamentum quod non audiebatur.*“ In Psalm. 61. n. 33. S. Augustinus ait: *„Si enim discernimus duo Testamenta, Vetus et Novum, non sunt eadem Sacramenta, nec eadem promissa; eadem tamen pleraque praecepta. Nam, Non occides, Non moechaberis — — et nobis praeceptum est. — — Discussa ergo praecepta, aut omnia eadem inveniuntur, aut vix aliqua in Evangelio, quae non dicta sint a Prophetis. Praecepta eadem, sacramenta non eadem, promissa non eadem.*“ Enarr. in Psalm. 73. n. 2. *„Si Christus, ubi quibusdam antiquis sententiis propositis adjunxit: Ego autem dico vobis, neque primorum hominum legem hoc verborum additamento adimplevit, neque illam, quae per Moysen data est quasi contrariorum oppositione destruxit; sed potius omnia ex Hebraeorum lege commemorata ita commendavit, ut quidquid ex persona sua insuper loqueretur, vel ad expositionem requirendam haberet, si quid illa obscure posuisset, vel ad tutius conservandum, quod illa voluisset.*“ Contra Faustum libr. XIX. cap. 26. Item cap. 28. Libr. XVII. cap. 6. — S. Leo scribit: *„In praeceptis autem moralibus nulla prioris Testamenti decreta reprobata, sed Evangelico magistro multa sunt aucta; ut perfectiora et lucidiora essent dantia salutem, quam promittentia Salvatorem.*“ Serm. 63. De Passione Domini XIV. cap. 5. *„Ea quae ut ad regulas morum, vel ad simplicem Dei cultum ratio pietatis* (in A. T.) *instituit, in eadem apud nos forma, in qua sunt condita, perseverant.*“ Sermo 16. cap. I. S. Hieronymus: Libr. 1. Com. in c. 5. Matth. S. Gregor. M.: In Ez. in L. II. Hom. 4. — S. Thomas hoc de argumento disserit: Summa Theol. 1. 2. q. 107. a. 2.; a. 4. ad 3.; q. 108. a. 2. ad 1. Petavius: De Deo Deique proprietatibus Lib. X. cap. 24. n. 10. et sq.

Nec obstat: 1) quod divinus Salvator dixerat Apostolis: „*Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos*“ (Joan. 13, 34. cf. 1. Joan. 2, 8.); et 2. quod nonnunquam ss. Patres asserunt, Christum *nova* vitae praecepta,[1]) vel *novarum* virtutum praecepta,[2]) vel *majora* praecepta [3]) dedisse.

Nam *novum* vocavit Christus mandatum diligendi proximum, quod dedit, quia praeceptum hoc, quod jam in veteri lege tradebatur (3. Mos. 19, 18.), et de se juris naturalis est, de novo proposuit seu innovavit: porro, quia novum et perfectum modum seu motivum diligendi proximum, adjectis verbis: „*sicut dilexi vos,*“ promulgavit; quia ulterius legem charitatis novo modo dedit cordibus nempe fidelium per gratiae donum inscripsit; et quia denique haec lex, sicuti a Christo est tradita, totum renovat hominem.[4]) Hinc 1. Joan. 2, 7. et 8. dicitur mandatum vetus simul et novum: „*non mandatum novum scribo vobis, sed mandatum vetus, quod habuistis ab initio. — Iterum mandatum novum scribo vobis, quod verum est et in ipso et in vobis; quia tenebrae transierunt, et verum lumen jam lucet.*“ — Quod ss. Patrum eloquia supra nota attinet, haec de majore manifestatione seu declaratione atque perfectione legis veteris necnon naturalis intelligenda sunt.[5])

* S. Augustinus: De Sermone Domini in monte secundum Matthaeum, Libri duo. (Tom. III.) S. Thomas: Summa Theol. 1. 2. q. 108. a. 1—3. S. Bonaventura: Breviloquium, P. V. cap. 9. — Suarez: De legibus Libr. X. cap. 2. Gregorius de Valentia: Comment. Theol. in primam secundae d. Thomae. Disp. VII. Quaest. 8. Punct. 2. Habert: Theologia dogmatica et moralis Tom. III. Tract. de regula morum. Par. II. cap. 15. §§. 1. et 2. (Augustae Vindelic. 1871. pag. 485—510.)

§. 44.

De consiliis evangelicis.

1. — In lege evangelica praeter praecepta stricte obligantia contineri quoque consilia, supra (§. 43. n. 2.) innuimus. Cum vero

[1]) S. Gregorius M.: Quia Dominus ac Redemptor noster novus homo venit in mundum, *nova* praecepta dedit mundo. Vitae etenim nostrae veteri in vitiis enutritae contrarietatem opposuit novitatis suae.“ Homil. 32. in Evang.

[2]) S. Ambrosius: „Gaudentes jam canamus hymnum Deo nostro, quia *novarum virtutum praecepta* cognovimus: jam nostra relinquamus, Christum sequentes, et nostros diligamus inimicos. Novos enim hausimus mores, ut pro persequentibus nos precem Domino deferamus. Maledicentes ecce benedicimus. Nescimus opera nostra jactare, aut celare peccata: Angelorum etiam more nuptias refutamus.“ Enarr. in Ps. 39. n. 3.

[3]) S. Augustinus: „Unus Deus per sanctos Prophetas et famulos suos, secundum ordinatissimam distributionem temporum, dedit *minora praecepta* populo, quem adhuc timore alligari oportebat, et per filium suum *majora* populo, quem charitate jam liberari convenerat.“ De Serm. Domini in monte, Libr. I. c. 1. n. 2. — Item s. Joan. Chrysostomus: In Matth. Homil. XVI. n. 1. S. Gregorius M.: In Ezech. Libr. II. Homil. IV. n. 9.

[4]) S. August.: In Joan. Evangel. Tr. LXV. n. 1. Benedictus XIV. in Bulla Canon. S. Camilli de Lellis die 1. Julii 1747. §. 1. affirmare non dubitat: „*Per hunc dilectionis spiritum vere renovata est facies terrae.*“

[5]) Cf. s. Thomas: 1. 2. q. 107. a. 3. ad 2.

hujus veritatis multi extiterint et existant adversarii, eam accurate probare opus est. Hinc sit

PROPOSITIO.

In lege nova praeceptis convenienter addita sunt consilia, quae majus pretium meritumque praeceptis habent.

Propositio haec duas exhibet veritates, nempe 1) in lege nova praeceptis superaddita esse consilia et convenienter quidem, atque 2) consilia haecce majus pretium ac meritum habere, quam praecepta. Utramque nunc contra adversarios multos vindicaturi, ad consulendum perspicuitati praemittere debemus, hoc esse praeceptum inter atque consilium discrimen, a) quod praeceptum importat necessitatem, consilium autem in optione ponitur ejus, cui datur; et b) quod praecepta dantur de eis, quae sunt omnino necessaria ad consequendum finem ultimum, consilia vero de eis, per quae expeditius et perfectius potest homo consequi finem suum.[1])

2. — Prima pars propositionis: *In lege nova praeceptis convenienter addita sunt consilia.*

Hanc veritatem negarunt *Apostolici*, dicentes, non posse salvari eos, qui non viverent in coelibatu et paupertate, more Apostolorum,[2]) *Encratitae*, qui omnes christianos ad coelibatum obligatos esse voluerunt,[3]) *Manichaei*, qui fidelibus jam baptismate renovatis bona terrena possidere ac conjugibus uti non licere, acriter contenderunt,[4]) *Pelagiani*, qui fideles non posse ingredi regnum Dei, nisi omnibus actu renuntiaverint, tradiderunt.[5]) Praedictam veritatem itidem post *Wicleffium* impugnarunt *Reformatores*,[6]) et adhucdum impugnant eorum sectatores, nulla prorsus opera consilii et supererogationis admittentes.[7])

[1]) Vid. s. Thom.: 1. 2. q. 108. a. 4. c.

[2]) S. Epiphanius: Adversus haeres. haer. 61.

[3]) S. Irenaeus: Contra haeres. Libr. I. cap. 30.

[4]) Hoc testatur s. Augustinus: „Quid calumniamini, quod fideles jam baptismate renovati procreare filios, et agros ac domos pecuniamque ullam possidere non debeant?“ De moribus Ecclesiae cathol. Libr. I. c. 35. n. 78. „Nolite jam dicere, catechumenis licere uti conjugibus, fidelibus autem non licere; catechumenis licere habere pecuniam, fidelibus autem non licere.“ l. c. n. 80.

[5]) S. Augustinus inter alia „haeresis illius dumeta“ refert, „quod divites baptizati, nisi omnibus abrenuntient, si quid boni visi fuerint facere, non eis reputetur, neque regnum Dei possint habere.“ De Gestis Pelagii, c. 35. n. 65. Vide etiam Epist. Hilarii ad s. August., inter Epistolas s. Augustini 156, et Epist. 157. s. Aug. ad Hilarium, n. 23. et sq.

[6]) Vid. Bellarmin: De membr. Eccl. militantis Lib. II. c. 8.

[7]) Inter philosophos Kant per principium a se propositum: „*Sic agito, ut tua agendi ratio lex universalis esse possit,*“ doctrinam de consiliis plane sustulit.

3. — In lege evangelica contineri consilia, seu *dari consilia evangelica*, est de fide, quia in divinis litteris N. T. luculenter consilia edocentur, et quia eadem ut revelata nunquam non ab Ecclesia catholica tradita sunt. Et idcirco ex s. scriptura atque ex traditionali Ecclesiae sensu praepositam doctrinam fide divina credendam contra praedictos haereticos vindicabimus.

1) Ex s. scriptura. Quum juvenis Christum interrogaverit: Magister bone, quid boni faciam, ut habeam vitam aeternam? divinus Magister respondit: „*Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.*“ Cumque ille reponeret, se a juventute sua haec omnia custodisse, atque ulterius scire cuperet, quid sibi adhuc deesset, Jesus addidit: „*Si vis perfectus esse, vade, vende, quae habes et da pauperibus et habebis thesaurum in coelis; et veni, sequere me.*“ Matth. 19, 16. et sq. Quibus verbis Christus Dominus manifeste distinguit inter mandata seu praecepta, quae necessitatem obervantiae ad salutem consequendam important, atque inter consilia, quae ad salutis perfectionem spectant et in optione hominis ponuntur. Particulariter consilium paupertatis, et consilium obedientiae arctioris Christus loco commemorato indicat; primum, quum dixerit: „*vende, quae habes et da pauperibus,*“ alterum, quum subjunxerit: „*sequere me.*“ Ultro aliud adhuc consilium, nempe perpetuae castitatis, proposuit alia occasione his verbis: „*Sunt eunuchi, qui castraverunt seipsos propter regnum coelorum.*“ i. e. qui carnis repugnantiam fortiter refrenando vitam coelibem agunt; quod quidem de consilio esse, verbis indicat subnexis: „*Qui potest capere, capiat.*“ Matth. 19, 12.; profecto enim Dominus, si praeceptum statuere voluisset, non de idoneitate quorundam, sed de obligatione omnium ad illud implendum loquutus fuisset. Multo etiam evidentius de consilio virginitatis disserit Christi Apostolus: „*De virginibus praeceptum Domini non habeo: consilium autem do, tamquam misericordiam consecutus a Domino, ut sim fidelis.*“ 1. Cor. 7, 25; quibus verbis s. Paulus consilium a praecepto clarissime discernit.

2) Ex sensu Ecclesiae traditionali. Sancti Patres doctrinam propositam unanimi consensu tradunt, quorum compluria effata invenire est apud Bellarminum aliosque auctores; quapropter unum et alterum hic adducere contenti sumus. S. Chrysostomus in verba Matth. 19, 16. superius citata scribit: „*non praecepit, sed consilium dedit.*“ [1]) S. Augustinus ait: „*Aliud est consilium, aliud*

[1]) In Matth. Homil. 90.

praeceptum. Consilium datur, ut virginitas conservetur, ut a vino et a carnibus abstineatur, ut vendantur omnia et pauperibus erogentur. Praeceptum vero datur, ut justitia custodiatur, ut omnis homo divertat a malo et faciat bonum.“ [1]) Quod ex professo idem s. Ecclesiae Doctor contra Manichaeos [2]) et contra Pelagianos [3]) eruditissime edisserit, atque fortissime propugnat. — Cum sanctis Patribus *scholae Theologicae* concordant. — Demum Summi Pontifices Nicolaus III. [4]) et Clemens V. [5]) disertis verbis declararunt, consilia evangelica a praeceptis evangelicis distincta atque tria esse, videlicet paupertatem voluntariam, castitatem et obedientiam.

Praeter tria praedicta consilia adhuc alia multa sunt, quae tamen ad illa ut particularia ad generalia reducuntur. Sic e. g. dum conjuges aliquo tempore a carnis delectatione abstinent, ut orationibus vacent, consilium castitatis seu continentiae pro tempore illo sequuntur. [6])

4. — Restat adhuc in propositione enuntiata id ostendendum, quod *convenienter* praeceptis addita sunt consilia in lege nova. Ostendere hoc enitimur ex ratione theologica, Angelicum Doctorem [7]) sequentes, quo nemo melius hanc rem explicavit. Cum ipso igitur dicimus, ideo convenienter praeceptis addita esse consilia, a) quia lex nova non est lex servitutis, qualis erat antiqua, sex *lex libertatis*, cui qua tali convenit, ut praeter illa, quae necessitatem homini imponunt, nempe praecepta, alia quoque exhibeat, quae hominis arbitrio relinquantur, quaeque, ut diximus (n. 1.), consilia vocantur; — b) quia evangelica lex est *lex perfecta*, quae perfecte nimirum introducit in beatitudinem aeternam; quare conveniens est, ut non tantum praescribat, quae absolute sunt necessaria ad beatitudinem adipiscendam, sed talia quoque proponat, per quae expeditius potest beatitudo obtineri, quaeque, ut praemissum est (n. 1.), consilia appellantur.

[1]) Serm. 16. de tempore. — Alio loco: „*Neque enim sicut, non moechaberis non occides, ita dici potest: Non nubes. Illa exiguntur, ista offeruntur; si fiant ista, laudantur, nisi fiant illa, damnantur. In illis Dominus debitum imperat vobis. In his autem, si quid amplius supererogaveritis in redeundo reddet vobis.*“ Libr. de sancta Virgin. c. 30. n. 30. Allegare voluimus hunc locum signanter propter vocabulum *supererogationis*. Hoc ergo jam usus est s. Augustinus, a quo Theologi acceperunt.

[2]) De moribus Eccl. cath. Libr. I. c. 35. n. 78—80.

[3]) De Gestis Pelagii c. 35. n. 65. Epist. 157. n. 23—39.

[4]) C. exiit de verb. signif. in 6.

[5]) C. exiit de paradiso de verb. signif. in Clement.

[6]) S. Thom. 1. 2. q. 108. a. 4. c.

[7]) l. c.

Porro *tria* convenienter consilia indicata doceri, sequenti modo demonstrari potest. Consilium (ut constat) illud est, per quod melius et expeditius ad ultimum finem pervenitur. Atqui securius perfectiusque ad illum pervenitur abdicando totaliter, quam servando bona hujus mundi. Quapropter consequenter de abdicandis hujus mundi bonis consilia evangelica dantur. Jamvero haec bona sunt divitiae exteriorum bonorum, quae pertinent ad *concupiscentiam oculorum*, deliciae carnis, quae pertinent ad *concupiscentiam carnis*, atque honores, qui ad *superbiam vitae* pertinent, ut patet 1. Joa. 2. 16. Quam ob rem consilia evangelica convenienter tria sunt, siquidem divitiae derelinquuntur seu abdicantur per *paupertatem*, deliciae carnis per *perpetuam castitatem*, superbia vitae per *obedientiae humilitatem*.

5. — Secunda pars propositionis: *Consilia majus pretium meritumque praeceptis involvunt.*

Veritatem hanc vehementer impugnarunt *Jovinianus*,[1]) *Helvidius*,[2]) *Vigilantius*,[3]) qui dixerunt, virgines, viduas et conjuges ejusdem esse meriti, si in reliquis vitae operibus non discreparent, *Wicleff*, qui adeo vilipenderat consilia evangelica, ut asserere non formidaverit, omnes ordines religiosos indifferenter introductos esse a diabolo, et ingredientes in ordinem religiosum eo ipso inhabiles esse ad observanda divina praecepta,[4]) *Reformatores*, qui praedictorum haereticorum commenta et calumnias adoptarunt.[5]) Ab istis autem nonnulli catholicorum seduci passi sunt, qui, ut recentissime *Hallier* et *Marianus Verhoeven*,[6]) consilia in se perfectiora esse praeceptis divinis pariter inficiantur.

---

[1]) Vid. s. Augustin.: Libr. de haeresibus, n. LXXXII., ubi haec leguntur: „Virginitatem etiam sanctimonialium et continentiam sexus virilis in sanctis eligentibus coelibem vitam conjugiorum castorum atque fidelium meritis adaequabat (nempe Jovinianus) etc.“ S. Ambrosius: Epist. 42. ad Siricium papam. S. Hieronym.: Libr. I. advers. Jovinian.

[2]) Vid. s. Hieronym.: Libr. advers. Helvidium. n. 20. et seq.

[3]) S. Hieronym: Lib. adv. Vigilantium n. 1. „continentiam haeresim; pudicitiam, libidinis seminarium dicit.“ n. 15. „asserit eos melius facere, qui utuntur rebus suis, et paulatim fructus possessionum suarum pauperibus dividunt, quam illos, qui possessionibus venundatis, semel omnia largiuntur.“

[4]) Vid. Bullam Martini V. „Inter cunctas“ 8. Kal. Martii 1418. et Bullam „In eminentis“ ejusdem dici.

[5]) Nuper Adolphus Wuttke auctor protestanticus scripsit: „Die evangelische Kirche verwirft den Gedanken von sittlichen Rathschlägen und der Verdienstlichkeit ihrer Erfüllung, weil sie den Inhalt derselben *nicht als etwas schlechthin Gutes, als etwas an sich Sittliches*, sondern als etwas nur unter bestimmten, nicht allgemein vorhandenen Verhältnissen Gutes, dann aber auch schlechthin Gebotenes erblickt.“ Handbuch der christlichen Sittenl. I. B. S. 394. Berlin 1861.

[6]) In opusculo: *De Regularium et saecularium clericorum juribus*, ubi p. 4. sic legere est: „*Status iste perfectionis dicitur, non ideo quidem, quod consilia perfectiora sint praeceptis, sed quod praecepta Dei simul et consilia in eo observentur.*“

6. — Doctrina, quam contra adversarios evincendam assumsimus, quoad consilium castitatis certa est de fide, ut patet ex Concilio Tridentino, quod pronuntiavit: „*Si quis dixerit, statum conjugalem anteponendum esse statui virginitatis vel coelibatus, et non esse melius ac beatius, manere in virginitate aut coelibatu, quam jungi matrimonio, anathema sit.*“ Sess. 24. can. 10. Quantum ad reliqua consilia doctrina eadem haud minus certa est.

Paucis nunc sententiam praestitutam ex s. scriptura, ex Traditione, nec non ex ratione theologica probabimus.

1. Ex s. scriptura. De praeceptis Dominus dixit: „*Si vis ad vitam ingredi, serva mandata;*“ de paupertate voluntaria et de obedientia praestantius quid et sublimius his praedicat verbis: „*Si vis perfectus esse, vade etc.*“ Pari modo Apostolus Paulus castitatem super matrimonium extollit, dum dicit: „*Qui matrimonio jungit virginem suam, bene facit; et qui eam non jungit, melius facit.*“ 1. Cor. 7. 38.

2. Ex Traditione. Sancti Patres indubie hanc doctrinam profitentur. Sic e. g. s. Cyprianus dicit, *virgines Deo et Christo vacantes majore et meliore parte praecedere.*[1]) S. Ambrosius: „*Honorabile itaque conjugium, sed honorabilior integritas.*“[2]) S. Augustinus: „*Consilium, qui libenter audierit et fecerit, majorem habebit gloriam.*“[3]) Praeprimis s. Hieronymus consilia praestare praeceptis contra sui aevi haereticos fortiter pro more suo defendit.[4]) Porro ss. Patribus scholae theologicae adstipulantur.[5]) Accedit, quod Ecclesia nunquam non vitam religiosam singulari aestimatione et honore dignam censuit, hujusque vitae institutum in multis Conciliis commendavit, et quod Wickleffii[6]) aliorumque haereticorum asserta ordinibus religiosis injuriosa censuris confixit. Jamvero vita

---

[1]) De habitu virginum.

[2]) De viduis cap. 12. n. 72.

[3]) Sermo 16. de tempore. — In Epistol. 157. n. 25. abrenuntiare divitiis ad „*excellentiorem perfectionem*“ pertinere scribit. Vid etiam: De sancta Virginitate cap. 14. n. 14. et 15

[4]) Nempe advers. Jovinianium, Helvidium et Vigilantium.

[5]) Unum pro reliquis Theologis adducimus s. Thomam sic disserentem: „*Quaedam, sine quibus ordo virtutis, qui est ordo rationis, observari non potest, cadunt sub obligatione praecepti; quaedam vero, quae pertinent ad bene esse virtutis perfectae, cadunt sub admonitione consilii.*“ 1. 2. q. 100. a. 2.

[6]) Vid. Art. 35. et 45. (coll. art. 21. 22. 23. 31. et 34.) inter Articulos 45 damnatos a Concilio Constant. et a Martino V. per Bullam „Inter cunctos“ 8. Kal. Martii 1418., et per Bullam „In eminentis“ ejusdem diei. (Penes Henr. Denzinger: Enchiridion etc. p. 132. et sq. Wirceburgi 1854.)

religiosa in consiliis evangelicis fundatur. Exinde igitur luculenter apparet, quod hic semper fuit Ecclesiae sensus, consilia evangelica dignitate ac pretio eminere meris praeceptis.

3. Ex ratione theologica. Si nimirum consilia ad praecepta comparentur, tunc illa hisce praestantiora esse, evidenter apparet. Vel quis dicere velit, consilium paupertatis non excellere praecepto: *Non furaberis;* aut consilium virginitatis nil perfectius esse quam praeceptum: *Non moechaberis?* — Profecto id consilia efficiunt, ut praecepta perfectius observentur et impleantur. Includunt praecepta, et aliquid supra praecepta addunt. [1])

Amplius, praecepta sunt secundum naturam, consilia vero supra naturam, ut patet ex Christi effato: *„Non omnes capiunt hoc verbum. Qui potest capere, capiat“* (Matth. 19, 12.), nec non ex ss. Patrum eloquiis [2]) et Theologorum suffragiis. [3]) Quod autem supra naturam eminet, sane perfectius est, quam illud, quod est secundum naturam.

* S. Hieronymus: Lib. II. adversus Jovinianum (Op. Tom. II.) S. Ambrosius: De officiis ministrorum Lib. I. cap. XI. (ubi officia distinguit in *media et perfecta*, atque officia media in praeceptorum, perfecta in consiliorum observatione reponit: qua re multo melius atque sublimius, quam Cicero (coll. ejus opus de officiis III. 3.) media perfectaque officia definit. Lib. de viduis cap. 12. S. Thomas: Summa Theol. 1. 2 q. 108. a. 4. Summa contra Gentiles. Libr. III. cap. 130. et sq. S. Franciscus Salesius: Theotimus, L. 8. c. 6—9. — Bellarmin. Controvers. de membris Eccl. militantis Libr. II. cap. 7. usque ad cap. 13. Stapf: Theol. moral. Tom. I. p. 85—91. Oeniponti 1855. Ed. 7. Martin: Lehrbuch der kathol. Moral. S. 72—89. Mainz 1859. 4. Aufl. Probst: Katholische Moraltheologie 1. B. S. 776. etc. Tübingen 1848. D. Bouix: Tractatus de jure regularium, Tom. I. par. I. Sect. I. cap. VII. p. 24—25. Parisiis 1857. J. Schwane: De operibus supererogatoriis et conciliis evangelicis in genere. Monasterii 1868.

---

[1]) Cf. s. Thom. 2. 2. q. 189 a. 1. ad 5. S. Franc. Sal.: Theotismus Lib. 8. cap. 7. Bellarm.: De membris Eccl. militantis Lib. II. cap. 7.

[2]) Egregie s. Ambrosius dicit: *„Quis autem humano eam* (nempe virginitatem) *possit ingenio comprehendere, quam nec natura suis inclusit legibus? aut quis naturali voce complecti, quod supra usum naturae sit?* De Virg. Libr. I. c. 3. n. 10. S. Basilius ait: *„Voluit enim Dominus non praeceptum esse ipsum virginitatis recte factum, sed insigne animae virtutis studiosae ex propria ac libera potestate id quod supra mandatum et supra naturam est, a se ipsa perpetrantis.“* Lib. De Virg.

[3]) Bellarmin. loco supra cit. scribit: „Materia praecepti est facilior, consilii difficilior; illa enim sumpta est ex principiis naturae, haec superat quodammodo naturam.“ Vid etiam s. Fr. Sales: Theotimus L. 7. cap. 6.

Objectiones adversariorum.

7. — Ex permultis, quas adversarii effutiunt, objectionibus notabiliores tantum seligimus convellendas.

Adversus doctrinam, dari consilia evangelica, opponunt: 1) Omnes actiones aut bonae aut malae sunt. Si bonae, faciendae, si malae, vitandae; tertium non datur. Ergo consilia non dantur. 2) Quilibet ad summam perfectionem, quae est possibilis, tendere debet, adeoque etiam ad omnia media, quorum ope perfectio acquiritur, studiose adhibenda omnino obligatus existit, quocirca consiliis nullus prorsus locus relinquitur.[1])

Resp. ad 1. Inter actiones bonas distinguendum, aut necessariae, aut expedientes sunt homini ad salutem. Si prius, tunc de praecepto, si posterius, tunc nonnisi de consilio sunt, ut supra probavimus. Afferant argumenta pro assertione, omnia bona esse facienda. Nonne Paulus de homine soluto dixit: *„Quod vult, faciat; non peccat, si nubat“* 1. Cor. 7, 36. Christus Dominus: *„Jugum meum suave est et onus meum leve;“* jam vero, omnia bona perfectaque facere, jugum durissimum et onus prorsus intolerabile foret.

Ad. 2. Dari obligationem perfectionis acquirendae, concedo, summae perfectionis, nego, hoc siquidem prius probandum foret. Potius praeter perfectionem necessariam, ad quam omnes tenentur, datur quoque perfectio utilis, quae arbitrio humano relinquitur, ut jam ex locis s. Scripturae supra relatis: Matth. 19, 12. 16. et sq. 1. Cor. 7, 25. nec non ss. Patrum eloquiis manifeste perspicitur.

8. — Instant, saltem in concreto non dari consilia: 1) Quod quippe videtur in divinis literis tamquam consilium proponi, nihil aliud est, quam praeceptum conditionatum, quod nimirum in peculiaribus rerum adjunctis nonnullos obligat.[2]) Et profecto, 2) si Dei voluntas id postulans, quod consilium vocari solet, homini innotescit, homo non potest non Deo parere, quapropter ille veri nominis praecepto obstringitur.

Resp. ad 1. Explicatio vocis „consilii“ per praeceptum conditionatum omni plane fundamento caret, eoque magis rejicienda est, quia luculentissime praeceptum inter atque consilium s. scriptura distinguit. Verum est, quod aliquid per se pertinens ad consilium, in speciali eventu esse potest de necessitate salutis, ideoque faciendum vel omittendum: non tamen inde sequitur, consilia a praeceptis non distingui: potest esse obligatio ad exequendum consilium, si specialis necessitas hoc requirit. Vid. Lib. II. §. 181.

Ad 2. Quod consilium est, consilium manet, quamquam Deus ipse per gratiam suam illud faciendum suggerat homini, *quia ubi consilium datur, offerentis arbitrium est,* dicit s. Hieronymus.[3]) Verum quidem est, quod homo consilium ejusmodi negligendo peccat, ast non ideo, quasi consilium pro ipso transierit in praeceptum, ad quod exequendum rigorose obstringeretur; sed propterea, quia consilium praetermittendo imprudenter agit, maleque prospicit animae suae saluti. Sic e. g. si quis ad vitam religiosam se vocatum sentiens, divinae non obsequitur vocationi, non peccat ratione consilii, quod praetermittit, sed peccat ratione periculi aeternae salutis, cui gratia divina posthabita imprudenter sese exponit.[4])

---

[1]) Calvinus et alii penes Bellarmin.: De membr. Eccl. mil. Libr. II. cap. 13. — Item Adolph. Wuttke: Handbuch der christlichen Sittenlehre I. Band S. 393. Berlin 1861. Julius Müller: Die christliche Lehre von der Sünde. Seite 69. Breslau, 3. Auflage 1849.

[2]) Adolph Wuttke l. c.

[3]) Adv. Jovinian. Lib. I. n. 12.

[4]) Vid. s. Alphonsus: Theol. mor. L. IV. n. 78.

9. — Contra veritatem, consilia esse perfectiora praeceptis, obmovent passim sequentia: 1) Consilia nec in se bona sunt; si enim bona essent, tunc omnibus expedirent; sed non omnibus expediunt: ergo etc.[1]) 2) Certe consilia non sunt perfectiora praeceptis charitatis, haec enim nobilissimam respiciunt virtutem.[2])

Resp. ad 1. cum d. Thoma: „Consilia, quantum est de se, sunt omnibus expedientia: sed ex indispositione aliquorum contingit, quod alicui expedentia non sunt, quia eorum affectus ad haec non inclinantur: et ideo Dominus consilia evangelica proponens, semper facit mentionem de idoneitate hominum ad observantiam consiliorum. Dans enim consilium perpetuae paupertatis Matth. 19. praemittit: *Si vis perfectus esse* etc. et postea subdit: *Vade, et vende omnia, quae habes.* Similiter dans consilium perpetuae castitatis, cum dixit: *Sunt eunuchi, qui castraverunt se ipsos propter regnum coelorum,* statim subdit: *Qui potest capere, capiat;* et similiter Apostolus 1. ad Cor. 7. praemisso consilio virginitatis dicit: *Porro hoc ad utilitatem vestram dico, non ut laqueum vobis injiciam.*“[3])

Ad 2. Dicimus rursum cum Angelico Doctore,[4]) praecepta charitatis per consilia perfectius observari. Et sane ille quidem, qui omnibus actu renuntiat saeculi bonis, ut Deo adhaereat, praeceptum diligendi Deum multo perfectius adimplet, quam qui nihil eorum, quae possidet, Deo adaequet vel anteponat.

§. 45.

De legis a Christo revelatae duratione.

1. — Lex evangelica pro *omnibus* lata est, ut patet ex Christi verbis Matth. 28, 19: „*Euntes ergo, docete omnes gentes etc.*“ Duratura est usque ad consummationem saeculi, nec alia perfectior illi succedet; etenim dicitur in divinis literis „*testamentum aeternum*“ (Hebr. 13, 20.), „*evangelium aeternum*“ (Apoc. 14, 6). Et sane non potest esse aliquis perfectior status praesentis vitae, (Angelicus inquit), quam status novae legis. Nam tanto est unumquodque perfectius, quanto est ultimo fini propinquius (cf. §. 21. n. 3.). Atqui nihil potest esse propinquius fini ultimo, quam status novae legis, qui quidem immediate introducit in finem ultimum, atque statum patriae praefigurat, quemadmodum status veteris legis statum novae legis praefiguravit.[5])

2. — Per hanc fidei doctrinam diversi excluduntur errores, quos paulisper considerare non superfluum erit.

1. *Almaricus* Benensis († 1204.) tres mundi periodos distinxit, *periodum Patris* in lege veteri, *periodum Filii* per legem novam, quam usque ad suimetipsius tempus viguisse finxit, denique *periodum Spiritus sancti*, quam abhinc per legem spiritus, perfectamque religionem incipere dixit, cum lex nova aeque ac antiqua

[1]) Ita Adolphus Wuttke: Handbuch der christlichen Sittenlehre, S. 394.

[2]) Sic Melanchthon: De locis communibus.

[3]) Summa Theol. 1. 2. q. 108. a. 4. ad 1.

[4]) 2. 2. q. 189. a. 1. ad 5.

[5]) 1. 2. q. 106. a. 4.

esset imperfecta. — Perversam hanc doctrinam, cui etiam Joachim abbas monasterii Florenti aliique saeculi 13. haeretici adhaeserant, Concilium Lateranense IV. cap. 2. condemnavit dicens, illam „non tam haereticam, quam insanam“ esse censendam.

Nihilominus tamen dementia haec novissime complacuit non paucis, qui *ecclesiam Spiritus Sancti* seu *ecclesiam Joannis* (uti eam lubentius appellant) orituram esse somniantur, in quam veluti unitatem sublimiorem *ecclesia Petrina* (catholica) et *ecclesia Paulina* (protestantica), quam imperfectam utramque declarant, colligentur. Ita nonnulli philosophi pantheismo addicti (*Fichte, Schelling, Hegel*) delirarunt, pariterque theologi protestantici non pauci adhuc commentiuntur, qui ea de causa novam Spiritus Sancti effusionem similem illi, quae die Pentecostes evenit, avide expectant: ita vero *Döllinger* quoque tradebat, novam pariter Spiritus Sancti effusionem praestolando, imo jam suspicando in secta Irvinglanorum.[1]) Denique muratorii christianismo, quem exstirpare moliuntur, ecclesiam Joannis, uti appellant, ecclesiam humanitatis (*chiesa dell' Umanità*) sufficiendam esse censent, in qua omni fide excussa solus amor humanitatis depuratus ac universalis vigeat.[2]) — An vero refutare opus est impietatem et vesaniam tantam? An in sanctissimo Deo trino et uno dissensio, in ipsius promissis infidelitas, in operationibus ejus contradictio esse potest? et quae societas lucis ad tenebras? quae autem conventio Christi ad Belial? (2. Cor. 6, 14. 15.). Et quanta sacrilega temeritas, opus divinum humanis inventis evertere?

2. Nonnulli Theologi liberales doctrinam revelatam progressui scientiarum esse accomodandam,[3]) atque fieri posse dicebant, ut dogmatibus ab Ecclesia propositis aliquando secundum progressum scientiae sensus tribuendus sit alius ab eo, quem intellexit et intelligit Ecclesia (§. 8. n. 3.). — Ast sententia prima a Pio IX. in Syllabo n. 5. et 13., altera in Concilio Vatic. Sess. 3. can. 3. *de fide et ratione* proscripta est. Jam ordo rectus postulat, ut inferius superiori subjiciatur: ideoque fidei doctrina non scientiae humanae, sed scientia et intelligentia humana fidei

[1]) In sermonibus, quos Monachi mense Febr. et Martii 1872. habuit. Vid. Scheeben: Periodische Blätter zur wissenschaftl. Besprechung der grossen religiösen Fragen der Gegenwart, 1872, 3. H. S. 116. u. f. 4. H. S. 160. u. f. 5. H. S. 197 u. f.; ubi quoque invenies errorem de ecclesia s. Spiritus seu Joannis nuncupata scitissime explanatum et refutatum.

Döllinger jam ante formalem ab Ecclesia catholica defectionem asseruit, christianismum essentialiter esse historiam (Rede über Vergangenheit und Zukunft der kathol. Theologie. S. 33), porro confessiones religiosas (sectas) in unitate altiori esse conciliandas per Theologiam, praesertim per scientiam historicam, quae et per quam Ecclesia omnia acceptabit, quae vera et bona in diversis confessionibus invenit (op. c. pag. 46); atque simul adjunxit, a Theologia opinionem publicam esse creandam, cui postremo omnes, etiam capita et potestates Ecclesiae se submittent; et per hanc opinionem publicam debere Theologiam exercere suam potestatem (op. c. pag. 47.)

[2]) Vid. doctiss. Scheeben: Die Zukunftskirche der Freimaurer, ein Seitenstück zur Döllinger'schen heiligen Geist- oder Johanneskirche (Periodische Blätter u. s. w. 1872. 7. Heft.)

[3]) *Frohschammer* in opusc.: Das Christenthum und die moderne Naturwissenschaft, Wien 1867, specialiter contendit, „christianismum cum progressibus scientiae naturalis in harmoniam esse redigendum, formulas dogmaticas esse relinquendas.“ Qui libellus a S. Congr. Indicis, ut meruit, damnatus et prohibitus est die 14. Maji 1868.

doctrinae, quam Deus revelavit et Ecclesia infallibiliter declarat, subordinari debet. Crescat et proficiat rerum divinarum scientia, sed in eodem dogmate, eodem sensu eademque sententia. Vid. Conc. Vatic. Sess. 3. cap. 4.

3. Qui liberalismo addicti sunt, et multo magis Socialistae religionem christianam humanae societatis commodis adversari, ideoque a vita sociali arcendam esse comminiscuntur (§. 8. n. 8. et 10.). — Quod commentum P. M. Pius IX. in Syllabo n. 40. jure meritoque proscripsit. Profecto illi solum, qui veram Christi religionem vel veram societatis humanae salutem vel utramque non perspiciunt, ita sentire possunt. Ipse Montesquieu sincere confessus est: *„Chose admirable! la religion chretienne, qui ne semble avoir d'object que la félicité de l'autre vie, fait encore notre bonheur dans celleci.“* [1]) — Alii volunt, religionem Christi „civilisationi“, „ideis modernis“, „liberalismo“, „reipublicae culturae“ (Culturstaat) conciliari. Id est, volunt, ut veritates fidei immutabiles in opinionum commentis, quae delet dies, evanescant; quod vesanum, improbum, ideoque a P. M. Pio IX. in Allocut. die 18. Martii 1861. habita merito rejectum est.

§. 46.

De relatione legis novae ad naturalem et veterem legem.

PROPOSITIO I.

Lex nova ad naturalem legem se habet, sicut perfectum ad imperfectum diversae speciei.

1. — Veritas propositionis adsertae luce clarius perspicitur, si utraque lex intuitu finis, indolis et materiae ad se invicem comparetur. [2])

1. Lex naturalis ad naturalem, lex evangelica ad supernaturalem finem dirigit hominem (cf. §. 36. n. 1.).

2. Lex nova quoad suum principale quidem aeque ac naturalis lex est homini inhaerens, hoc tamen magno cum discrimine, quod lex naturalis est naturaliter insita naturae humanae, nova vero est supernaturaliter indita et superaddita naturae per gratiae donum [3]) (cf. §. 30. n. 4. §. 42. n. 3.). Porro lex naturae, licet sit ita impressa naturae, ut non possit omnino deleri (§. 34. n. 1.), tamen sine auxilio gratiae supernaturali nec plene observari nec immunis ab erroribus servari potest; lex autem nova ita imprimitur mentibus per virtutem

[1]) De l'esprit des loix l. 24. ch. 3. Egregie hoc de argumento s. Alphonsus scripsit: Die Wahrheit des Christenthums, II. Th. 2. cap. 3.

[2]) *Conc. Prov. Remens.* 1853. cap. 16. sub III. urget *realem legis divinae naturalis et legis divinae positivae distinctionem, quae ab omni fuco et ambagine praeservanda est.*

[3]) S. Thomas: 1. 2. q. 1. 2. q. 106. a. 1. ad 2. — Collet: Tract. de Legibus cap. IV. Sect. 2.

Spiritus sancti, ut det etiam vires, quibus tum conservari possit, tum suaviter observari [1]) (cf. §. 42. n. 3. et 4.).

3. Lex nova complectitur non tantum, quae per rationem cognosci possunt, sed etiam, quae sunt supra rationem. Nam a) *praecepta moralia* quoad suam substantiam continentur quidem etiam in jure naturae, ut s. Thomas verissime docet, [2]) sed quoad modum multum excellunt, quoniam ea, quae sunt de lege naturae, in Evangelio *plenarie* traduntur, [3]) atque ad eam perfectionem elevantur, quae statui novae legis consentanea est. Demum b) *caeremonialia* novae legis *superaddita* sunt legi naturae, adeoque, licet ex una parte in hac fundentur et radicentur, ex altera tamen parte eam excedunt, prouti e. g. praecepta, determinatâ a Christo materiâ et formâ conficiendi et dispensandi Sacramenta; quae quidem praecepta pertinent ad caeremonialia novae legis, eique peculiaria sunt, licet radice sua nitantur et fundentur in lege naturali, quae generaliter dictat, Deo quodcunque praescribenti esse obtemperandum atque animarum saluti consulendum per media ab illo instituta. [4]) Cf. §. 35. n. 3.

PROPOSITIO II.

Lex nova ad veterem se habet, sicuti perfectum ad imperfectum in eadem specie.

2. — I. *Lex nova quoad speciem seu substantiam non alia est a veteri lege.* Ita ss. Patres et Theologi docent. [5]) Ratio in promptu est, siquidem utraque lex est supernaturalis, atque eundem finem ultimum respicit (§. 37. n. 2. §. 42. n. 2.)

[1]) Suarez: De Legib. Libr. X. cap. 3. n. 11. Sylvius: Comm. in 1. 2. q. 106. a. 1.

[2]) 1. 2. q. 108. a. 2. ad 1. ubi dicit: „— — *ad opera virtutum dirigimur per rationem naturalem, quae est regula quaedam operationis humanae; et ideo in his non oportuit aliqua praecepta dari ultra moralia legis praecepta, quae sunt de dictamine rationis.*“ Consonat s. Bernardus docens ea, quae in novo et in veteri Testamento de virtutibus traduntur, esse „*naturaliter bona.*“ Libr. de praecepto et Dispens. c. III. n. 7. Fuse hac de re tractat Suarez: De Legib. Libr. X. cap. 2. n. 4. et sq.

[3]) Ut idem Doctor Angelicus dicit: 1. 2. q. 94. a. 4. ad 1.

[4]) Hinc *Conc. Prov. Remens.* 1853. cap. 16. sub III. „*Homo praecepta propria legis divinae positivae cognoscere nequit, quin cognoscat prius, in aliquo gradu, revelationis documenta, quorum Ecclesia depositum custodit.*“

[5]) Vid. s. Thom.: 1. 2. q. 91. a. 5. c. Habert: Theol. dogm. et mor. Tom. III. P. II. De Legib. cap. 15. §. III. *Theol. Wirceburg.* Tom. III. de legibus n. 72.

3. — II. *Lex nova quoad perfectionem alia est a veteri lege*, videlicet perfecta est lex nova, imperfecta autem lex vetus, teste Apostolo: „*Lex vetus nihil ad perfectum adduxit.*“ Hebr. 7, 19. Ratio autem est, quia aliquid dicitur eo perfectius, quo propinquius se habet ad finem (cf. §. 21. n. 3.); jam vero lex Christi immediate introducit in finem beatitudinis coelestis, mediate tantum lex antiqua, ut patet, si illa tum quoad suum principale, tum quoad suum secundarium cum veteri lege conferatur.

4. — 1) Lex nova secundum suam principalitatem est gratia Spiritus sancti, cordibus fidelium infusa, dum lex vetus in lapidibus erat conscripta, et gratiam nullam ex vi sua conferebat. [1]) Aderant quidem etiam in statu veteris legis, et non minus in statu naturalis legis auxilia salutis, — quod perperam negarunt Jansenistae ac Synodus Pistoriensis, a Sede Apostolica merito profligati; [2]) — verum gratiae munera non ad naturalem nec ad veterem legem ut tales spectabant, sed ad legem novam, a qua erant „quodammodo emendicata“, ut Suarez apte dicit, quia non conferebantur nisi propter praevisa merita Christi, qui est auctor novae legis, ac respectu ipsius; quocirca Apostolus de populo antiquo ait: „*Bibebant autem de spiritali, consequente eos, petra: petra autem erat Christus*“ (1. Cor. 10, 4.). Sic igitur gratia erat quidem *cum illis*, sed non *ex illis* legibus; enimvero legi novae *per se* et *proprie* convenit gratia. [3]) Hinc s. Thomas docet, eos, qui in V. T. habuerunt gratiam Sp. s. et charitatem, secundum hoc pertinuisse ad legem novam. [4]) Et s. Augustinus (Libr. 3. ad Bonifacium n. 6. et 11.) scribit, justos, qui sub veteri lege vixerunt, licet non nomine, revera tamen fuisse Christianos: „*Veteris quidem Testamenti*, inquit, *dispensatores et gestatores, sed novi demonstrantur haeredes. Nondum nomine, sed reipsa fuerunt Christiani.*“

Praeterea tempore legis evangelicae abundantius conferuntur gratiae divinae, quam temporibus praecedentibus, eo quidem, quod merita Christi jam actu sunt exhibita, quae tunc solum erant praevisa, atque in futurum exhibenda. [1])

5. — 2) Lex nova quoad *secundarium* suum consistit in documentis ac praeceptis exterius homini positis, atque hoc etiam respectu veteri legi praerogativa perfectionis antecellit. Et quidem

a) *Praecepta moralia* legis evangelicae sane praestantiora sunt moralibus antiquae legis praeceptis, licet quoad ipsam substantiam in his contineantur; videlicet praecepta moralia V. T. in Novo sunt accurate declarata, atque ad perfectionem evecta. (Cf. §. 43. n. 2.)

b) Quoad *caeremonialia* praecepta lex Christi perfectior est, quam vetus, quia caeremoniae in illa praescriptae non erant nisi umbrae et figurae mysteriorum Christi, quae continentur in lege nova. [2]) (§. 38. n. 4.)

---

[1]) S. Augustinus: „*Per novum Testamentum scribitur lex Dei in corde fidelium, quae per vetus in tabulis scripta est.*“ De spiritu et litera cap. 28. n. 48.

Est autem, ut s. Augustinus adnotavit, *praeceptis utriusque legis commune, ut per se considerata, quatenus extra hominem existunt, neminem justificent, sed potius transgressores damnent* (Libr. de Spir. et lit. c. 14. et 17.), h. e. peccati eos redarguant eatenusque, ut Apostolus loquitur, *occidant*. Quo in sensu recte idem Augustinus ad utramque legem pertinere etiam putat, quod in alio loco Apostolus inquit, *literam occidere*.

[2]) Huc spectant proposit. 6. et 7. Quesnelli damnatae a Clemente XI. in Constitutione „Unigenitus“ 8. Sept. 1713; propositiones 18. et 19. Synodi Pistoriensis damnatae a Pio VI. per Constitut. „Auctorem fidei“ 28. Aug. 1794.

[3]) Petavius. „— veteris Testamenti gratia non ex legis indole ac propria vi profecta, sed ex Christi meritis communicata est.“ De Deo etc. Lib. X. cap. 21. n. 14. Suarez: De Legib. Libr. X. cap. 6. n. 3. cap. 8. n. 2. Sapienter s. Augustinus dicit: „*Lege operum dicit Deus, Fac, quod jubeo: lege fidei dicitur Deo, Da, quod jubes.*“ Libr. de spiritu et litera c. 14. n. 22. S. Thom.: 1. 2. q. 98. a. 1.

[4]) 1. 2. q. 107. a. 1. ad 2. Et s. Augustinus: „Lex litera est eis, qui eam non implent per spiritum charitatis, quo pertinet Testamentum novum.“ De divers. quaest. Libr. 1. q. 1. n. 17. Vid. etiam Libr. 3. contra duas epistolas Pelag. cap. 4.

[1]) S. Leo M.: „*Gratia Dei, qua semper et universitas justificata Sanctorum, aucta est Christo nascente, non coepta.*“ Serm. 21. De Nativ. Dom. III. cap 4. Vid. etiam Serm. 74. De Pentecoste II. cap. 4. — Suarez: De leg. Lib. X. cap. 8. n. 2. et 3. *Theol. Wirceb.* Tom. III. de leg. n. 69. ad 2. (Ed. nova Paris. 1852.) et alii. Addit Doctor Angelicus: „*Non est tamen expectandum, quod sit aliquis status futurus, in quo perfectius gratia Spiritus s. habeatur, quam hactenus habita fuerit, et maxime ab Apostolis, qui primitias Spiritus acceperunt, id est, et tempore prius, et ceteris abundantius.*“ 1. 2. q. 106, a. 4. c.

[2]) Lex vetus fuit umbra et figura, nova est lux et veritas. Ad hoc significandum Moyses, cum loqueretur ad populum, faciem velabat; nobis autem Christus facie ad faciem loquutus est. (Exod. 34, 33.; 2. Cor. 3, 7. et sq.) Hinc apte s. Leo Magnus: „*Nihil legalium instructionum, nihil propheticarum resedit figurarum, quod non totum in Christi sacramenta transierit. Nobiscum est signaculum circumcisionis, sanctificatio charismatum, consecratio sacerdotum. Nobiscum puritas sacrificii, Baptismi veritas, honor templi: ut merito cessarint nuncii, postquam nunciata venerunt.*“ — „*Et erudimur praedictis, et ditamur impletis.*“ Serm. 62. De Passione Domini XIII. feria IV. cap. 2. — S. Bernardus: „Jam de latibulo Prophetarum egressus est ad oculos Piscatorum; jam de monte umbroso et condenso, tamquam sponsus de thalamo suo, prosilivit in campum evangelii.“ Ep. 106. n. 1.

c) Denique quoad *modum inducendi ad praeceptorum observationem* pariter lex evangelica superat antiquam legem. Haec enim erat lex timoris, nova est lex amoris, quapropter egregie s. Augustinus infert: „*Haec est brevissima et apertissima differentia duorum Testamentorum, timor et amor.*“ [1]) Quamquam enim in utraque lege inveniantur amor et timor, [2]) praevaluit tamen in veteri timor et praevalet amor in nova, ut idem s. Ecclesiae Doctor animadvertit, [3]) plane concordans s. scripturae testimoniis. (cf. §. 45. n. 2.)

Ergo *lex nova est perfecta, lex vetus est imperfecta,* [4]) — imperfecta, inquam, non quidem in se, sed relate ad perfectiorem, nempe novam. In se enim perfecta erat, cum a Deo sapientissimo condita esset, conditioni ac statui populi adprime conveniret, atque ad finem, quem Deus intenderat, optime serviret.

Consectaria:

6. — 1) *Lex nova adimplet legem veterem* (Matth. 5, 17.); quia ut dictum est, nova ad veterem comparatur, sicuti perfectum ad imperfectum: omne autem perfectum adimplet id, quod imperfecto deest. [5]) Lex vetus ad novam se habuit, sicut dispositio ad illam ac figura, ideoque per novam implenda.

2) *Lex nova in lege veteri continetur,* virtualiter et implicite, sicut frumentum in spica (cf. Marc. 4, 28.), siquidem perfectum in perficiendo implicite et virtualiter continetur. [6])

---

[1]) Contra Adimantum cap. 17. n. 2.

[2]) Bene scribit Angelicus: „— — *fuerunt tamen aliqui in metu veteris testamenti habentes charitatem, et gratiam Spiritus sancti, qui principaliter exspectabant promissiones spirituales et aeternas: et secundum hoc pertinebant ad legem novam; similiter etiam in novo testamento sunt aliqui carnales nondum pertingentes ad perfectionem novae legis, quos oportuit etiam in novo testamento induci ad virtutis opera per timorem poenarum, et per aliqua temporalia promissa.*“ 1. 2. q. 107. a. 1. ad 2.

[3]) De moribus Eccl. cath. Libr. I. cap. 18. n. 56.

[4]) Haec differentia designatur per diversos modos, quibus hae leges sunt latae, ut ss. Patres et Theologi observare solent. Legi desuper potest S. Augustinus: Serm. 155. (al. 6.) de verb. Apost. n. 6.

[5]) S. Thomas: 1. 2. q. 107. a. 2.

[6]) Idem 1. 2. q. 107. a. 3. Apposite s. Bonaventura: „— *lex vetus — secundum intellectum spiritualem quodammodo concordat cum lege Evangelica: et qui spiritualiter legem observabant, viri Evangelici erant, quia lex praegnans erat Evangelio.*“ In Libr. III. Sentent. Dist. 40. a. 1. quaest. 2. c. Et jam s. Leo M. „*Nihil,* inquit, *ab antiquis significationibus in Christiana religione diversum est, nec unquam a praecedentibus justis, nisi in Domino Jesu Christo salvatio sperata est, dispensationibus pro divinae voluntatis ratione variatis.*“ Serm. 62. De Passione Domini XIII. feria 4. cap. 2. Optime s. Augustinus: „*Lex spiritualiter intellecta, Evangelium est.*“ Serm. 25. (alias de diversis 19.) n. 2.

[1]) Psalm. 118, 140

* S. Augustinus: Libri duo contra Adversarium Legis et Prophetarum, Libr. II. cap. 3. n. 9.; cap. 9. n. 33. (Op. Tom. VIII.) Lib. de spiritu et litera. (Op. Tom. X.) S. Thomas: Summa Theolog. 1. 2. q. 107. tot. S. Bonaventura: In Libr. III. Sentent. Distinct. XL. Art. I. quaest. 1. et 2. — Bellarmin: De justificatione Lib. IV. cap. 3. et 4. Suarez: De Leg. Libr. X. cap. 8. Gregorius de Valentia: De vera et falsa differentia Veteris et Novae legis Liber unus. (Tractatus valde praeclarus, in cujus parte priori statuitur verum discrimen divinae legis novae et veteris quoad utriusque perfectionem, atque in posteriori parte convellitur „fundamentum Lutheranae doctrinae, a Calvino etiam receptum, et a Melanchthone, Kemnitio, Herbrando et aliis passim sectariis repetitum, quo vanissime ponitur, promissiones evangelicas, non sicut promissiones legis veteris ab observatione mandatorum tamquam a conditione dependere.“) Invenitur in ejus opere: *De rebus fidei hoc tempore controversis,* Lugduni 1591. p. 817—826. Lud. Habert: Theologia Dogmatica et Moralis Tom. III. Tract. de regula morum P. II. cap. 15. §§. 3. et 4. (Augustae Vindel. 1751. pag. 493—516.)

§. 47.

Recollectio precatoria.

Legem pone mihi, Domine, viam justificationum tuarum: et exquiram eam semper (Ps. 118, 33.). *Legem* pone mihi, Domine, legem gratiae, legem spiritus vitae; hanc legem sanctissimam, quam eructavit Cor Tuum suavissimum, Domine Jesu, pone in mente mea, ut probe cognoscam voluntatem Tuam, et in corde meo, ut filialiter reverear et diligam voluntatem Tuam. Inventum est ad pectus s. Barnabae post ejus obitum Evangelium Matthaei manu Barnabae conscriptum; s. Caecilia virgo gloriosa semper Evangelium Christi gerebat in pectore. Quibus factis quid aliud significarunt, quam maximam erga verbum Tuum reverentiam suam, studiumque ardentissimum, omnibus animae et corporis viribus inhaerendi mandatis Tuis? Pari veneratione et amore legis Tuae me accende, totumque me penetra, Dominus meus et Deus meus. Intellectum illumina, affectum inflamma, ut sciam et faciam, quae Tibi accepta sunt omni tempore. Ignitum enim eloquium Tuum vehementer. [1]) Splendeat lex Tua in anima mea, resplendeat in vita mea! Igitur hanc legem Tuam pone mihi, Domine, *pone,* alte firmiterque eam insere mihi, ut immobilis fixaque in pectore meo permaneat, nulloque saeculi turbine convellatur, nec atteratur. Vineat penitus lex

gratiae intellectum meum, in captivitatem eum redigens in obsequium Christi;[1]) vincat meam voluntatem, eam subdendo suavi jugo Christi. Nosse enim Te, Domine, consummata justitia est;[2]) Tibi servire, regnare est. Sic pone in me legem Tuam; — *viam justificationum Tuarum.* Lex quippe evangelica, non sicuti lex naturae et antiqua lex, quae ex se et per se a peccato atque potestate diaboli et mortis homines liberare non valebant.[3]) Lex Tua, Domine Jesu, gratia Tua, quae efficit, ut qui injustus est, justus evadat, et qui justus est, justificetur adhuc, et sanctus sanctificetur adhuc.[4]) O Cor Jesu amantissimum, Arca legem continens non servitutis veteris, sed gratiae, sed veniae, sed et misericordiae![5]) Hinc sit mihi lex Tua fugatrix omnis injustitiae, altrix omnis virtutis, auctrix sanctitatis. *Et exquiram eam.* Nolo deesse officio meo, vires meas gratiae Tuae fideliter conjungam; exquiram, scrutabor, meditabor, recogitabo legis Tuae doctrinam et exercebor in mandatis Tuis, non uno die, nec duobus, aut paucis mensibus, sed *semper,* quamdiu in saeculo vivam, ut continuo proficiam de virtute in virtutem, et tandem feliciter perveniam ad Te videndum et glorificandum in saecula. Amen.

C. De lege humana.

Disseremus 1. de natura et divisione legis humanae, 2. de auctore legis humanae, et 3. de materia legis humanae.

§. 48.

De natura et divisione legis humanae.

1. — *Lex humana est lex a divina lege derivata, atque ad bonum commune a rectore communitatis subditis imposita.*[6]) Ad rationem legis humanae principaliter pertinet, ut sit derivata a lege divina, nempe naturali, imo et christiana seu evangelica; quia praescriptum gubernantis inferioris conforme esse debet voluntati

[1]) 2. Cor. 10, 5.

[2]) Sap. 15, 31.

[3]) Concil. Trident. Sess. 6. cap. 1.

[4]) Apoc. 22, 11.

[5]) Hymn. ad Laudes in Off. ss. Cordis Jesu.

[6]) Dicitur *humana,* quia proxime ab hominibus constituitur, quamvis primordialiter omnis lex humana aliquo modo derivetur a lege aeterna (coll. §. 29. n. 4.), nam dicit Suarez (de legib. Lib. III. cap. 21. n. 7., Lib. I. cap. 3. n. 17. et 20.), effectum qui proxime est a causa secunda, ita ut a causa prima non procedat, nisi per illam, simpliciter attribui causae secundae (prout e. g. effectus generationis humanae simpliciter tribuitur causae secundae).

gubernatoris supremi. Hinc s. Thomas dicit: „*omnis lex humanitus posita in tantum habet de ratione legis, in quantum a lege naturae derivatur; si vero in aliquo a lege naturali discordet, jam non erit lex, sed legis corruptio.*“[1]) Adde, quod S. P. Pius IX. in Allocutione die 9. Junii 1862. habita et in encycl. die 8. Dec. 1864. per Syllab. sub n. 57. rejecit et damnavit sententiam propugnantem, *civiles leges posse et debere a divina revelatione, et Ecclesiae auctoritate declinare, — et minime opus esse, ut humanae leges ad naturae jus conformentur.*

Duplici autem modo leges humanae derivantur a lege naturali et christiana: *uno modo,* sicut conclusiones ex principiis, *altero modo,* sicut determinationes principiorum.[2]) Ita s. Thomas et alii Theologi omnes.[3]) Sint exempla: Lex coelibatus per modum conclusionis est deducta ex lege divina, quae docet, statum clericalem esse statum perfectionis et sanctitatis; leges liturgicae (seu caeremoniales) derivantur per modum determinationis a lege divina et naturali, quae dictant, sancta sancte tractari debere. Leges civiles, tributa certa a subditis exigentes, per modum determinationis sequuntur ex lege naturali nec non revelata divina, quae generatim et indeterminate edicunt, tributa gubernio civili esse solvenda.

2. — Ex definitione legis humanae praemissa facile colligitur, quibusnam qualitatibus seu proprietatibus lex humana praedita esse debeat. Nempe debet 1. congruere religioni seu legi divinae, atque legi naturali, adeoque esse *honesta* et *justa.*[4]) Et 2. debet proficere bono communi, ergo ante omnia *possibilis,* et insuper *utilis*[5]) esse subditis.

[1]) 1. 2. q. 95. a. 2.

[2]) Inde diversitas legis humanae apud diversos.

[3]) S. Thom. l. c. Inter alios Bellarminus: De membr. Eccl. mil. Libr. III. c. 11. scribit: „*Lex civilis justa semper est vel conclusio vel determinatio legis divinae moralis: ergo habent eundem finem* (qui est charitas 1. Tim. 1.) *et in hoc solum videntur differre, quod lex humana dirigit actus humanos in ordine ad actus externos dilectionis, i. e. ad pacem et conservationem reipublicae; lex autem divina dirigit etiam ad actus internos caritatis.*“

[4]) Hinc ruit Machiavelis aliorumque ejusdem farinae politicorum opinio, qui id omne, quod ad Reipublicae utilitatem inservire potest, etiamsi injustum sit, humanae legis materiam fieri posse fabulantur; quasi vero lex naturalis et divina, quae peccatum omne prohibent, cuicumque hominum legi praeponi non debeant. Collet: Tract. de Legib. Cap. V. Sect. 2. (p. 220. Paris. 1750.)

[5]) Vid. s. Thom. 1. 2. q. 95. a. 3. Suarez: De Legib. Lib. 1. cap. 8.

3. — Lex humana alia est *ecclesiastica*, quae fertur ab Ecclesiae rectoribus vi jurisdictionis supernaturalis, ac respicit felicitatem spiritualem et supernaturalem subditorum; alia *civilis*, quae fertur a rectoribus societatis civilis vi jurisdictionis saecularis ac naturalis, spectatque exteriorem et naturalem subditorum felicitatem (Cf. §. 25. n. 1.); lex ecclesiastica pertinet ad ordinem *supernaturalem*, civilis ad ordinem *naturalem*.[1]) Ad id generatim hae leges tendunt, ut reddantur, quae sunt Dei Deo, et propter Deum, quae sunt Caesaris Caesari.[2]) Huc etiam pertinet *jus gentium* seu internationale, quod tacito gentium consensu ac longaevo usu inductum est ad communem earum utilitatem. De hoc jure e. g. sunt: servare pacis foedera et inducias, et immunitatem legatorum, concedere libertatem contractus ineundi, etc.

* S. Thomas: Summa Theol. 1. 2. q. 91. a. 6.: q. 95. tota. — De jure gentium fuse agunt praeter alios Suarez: De Leg. Libr. II. cap. 17—20. Liberatore S. J.: Institutiones philosoph. Vol. III. (Ethica et jus naturae) p. 359—399. Romae 1855. Ed. S. Taparelli S. J.: Versuch eines auf Erfahrung gegründeten Naturrechtes. Aus dem Italien. übersetzt von Dr. Schöttl und Dr. Rinecker. 2 Bände, im 2. Bande, 4. Abth. Regensburg 1845. Walter: Naturrecht und Politik, 2. Th. cap. 3. Bonn 1871. 2. Aufl. Périn: Christliche Politik. — die Gesetze der christl. Gesellschaften. Uebersetz. Freiburg 1877. Lehmkuhl: Theol. mor., Vol. I. pag. 126—128. Friburgi 1883.

§. 49.

De auctore legis humanae.

Quum duplex sit lex humana, alia ecclesiastica, alia civilis, *primum* de Ecclesiae potestate legislativa, et *deinceps* de eadem principum saecularium potestate sermonem instituemus.

[1]) Suarez: „Lex civilis est mere naturalis ordinis quoad suam originem et potestatem. At vero lex canonica proprie est illa, quae ab hominibus fertur per potestatem supernaturalem.“ De Leg. Libr. III. Praefatio n. 2. Potestas Ecclesiastica est a Deo, ut auctor est et gubernator supernaturalis, et per se tendit ad finem supernaturalem. Potestas civilis datur a Deo, ut auctore naturae, et tantum ad finem naturalem ex se tendere potest. Ibid. Lib. IV. c. 8.

[2]) Sapienter Pius IX in encycl. die 21. Novemb. 1873. dicit: „Fides docet, et humana ratio demonstrat, *duplicem existere rerum ordinem, simulque binas distinguendas esse potestates* in terris, alteram *naturalem*, quae humanae societatis tranquillitati et saecularibus negotiis prospiciat, alteram vero, cujus origo *supra naturam* est, quae praeest civitati Dei, nimirum Ecclesiae Christi, ad pacem animarum et salutem aeternam divinitus instituta. *Haec autem duplicis potestatis officia sapientissime ordinata sunt, ut reddantur, quae sunt Dei Deo, et propter Deum, quae sunt Caesaris Caesari.*“

1. — Quod jam potestatem Ecclesiae catholicae ad leges ferendas attinet, eam *Aërius*,[1]) *Marsilius Paduan.*, *Waldenses*, *Wickleff*, et *Huss*, *Lutherus* et *Calvinus*[2]) acerrime impugnarunt, quorum vestigiis institit *Synodus Pistoriensis*, quae in propositione 4. affirmavit, Ecclesiae potestatem nullam competere, legibus ordinandi res disciplinares, nullamque eidem a Deo collatam esse potestatem coërcitivam ad devios et contumaces poenis affligendos. *Liberalismi* sectatores (coll. §. 8. n. 8.) legislativam Ecclesiae potestatem ab arbitrio gubernii civilis omnino dependentem esse contendunt. Cum quibus faciunt novi illi haeretici, qui se *Veteres-Catholicos* dicunt, omne jus a regimine civili independens Ecclesiae abjudicantes. Adversus istos omnes igitur veritatem breviter vindicaturi sequentem adstruimus propositionem.

PROPOSITIO.

Ecclesia divinitus instructa est plena potestate legislativa, nempe directiva et coërcitiva, eaque prorsus independente a gubernio civili.

2. — Prior pars propositionis: *Ecclesia divinitus instructa est plena potestate legislativa, nempe directiva et coërcitiva*, de fide est, ut patet ex Constitutione Pii VI. „*Auctorem fidei*,“ in qua propositio 4. Synodi Pistoriensis contrarium asserens tamquam „*haeretica*“ damnata est.

Probatur autem 1) ex s. scriptura. Sic enim Christus Apostolis eorumque successoribus locutus est: „*Sicut misit me vivens Pater, et ego mitto vos.*“ Joa. 20, 21., missus autem est Christus non solum ut Doctor, sed etiam ut Legislator et Gubernator. „*Qui vos audit, me audit, et qui vos spernit me spernit: qui autem me spernit, spernit eum, qui misit me.*“ Luc. 10, 16. Porro potestatem hanc a Christo Ecclesiae suae collatam non tantum directivam, sed etiam *coërcitivam* esse, clare patet ex verbis Christi: „*si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus*“ Matth. 18, 17., constat enim, apud Judaeos illum sic habitum fuisse, qui a communione religiosa et civili excludebatur. Hinc Paulus Mileti praesulibus Ecclesiae dicit: „*Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit regere Ecclesiam Dei*“ (Act. 20, 28.); jam vero *regere* non modo aliquem dirigere, verum etiam coërcere significat, s. Augustino dicente: „*Non regit, qui non corrigit.*“[3])

[1]) Teste s. Epiphanio (Haeres. 75.) ita de jejunio disseruit Aërius: „*Non erit jejunium ordinatum. Haec enim Judaica sunt, et sub jugo servitutis. Justo enim lex non est posita* (putatur Lutherus argumentari), *si vero volo jejunare, eligam diem a me ipso et jejunabo propter libertatem.*“

[2]) Vid. Bellarmin: Lib. IV. de Summo Pontif. cap. 13. Suarez: De legib. Lib. IV. c. 1. n. 1.

[3]) Enarr. in Psalm 44. n. 17.

Sane Apostoli de hac potestate sibi divinitus tradita firmissime persuasum sibi habuerunt, etenim *„praecipiebant, quae fierent, et corripiebant, si non fierent, et orabant, ut fierent,“* praeclare s. Augustinus dicit.[1]) Sic in primo Concilio statuerunt legem abstinendi ab immolatis et sanguine et suffocato (Act. 15.),[2]) Paulus perambulabat Syriam et Ciliciam, *praecipiens custodire praecepta Apostolorum et Seniorum* (Act. 15, 41.), atque incestuosum Corinthium ab Ecclesiae communione segregavit (1. Cor. 5, 4. 5.).

2) Ex Traditione. Quid enim, merito inquit Scavini,[3]) sibi volunt antiquissimae illae Canonum collectiones, de quibus in Juris canonici institutionibus agi solet, nisi antiquissimam in Ecclesia potestatem ferendi leges?

3) Ex ipsa ratione. Etenim in qualibet communitate perfecta omnino necessaria est potestas legislativa ad ea praescribenda poenisque sancienda, quae publicum bonum exquirit. Atqui Ecclesia est, ut non alia, *perfecta* communitas ab ipso Christo constituta. Ergo gaudere debet potestate legislativa.[4])

3. — Ne dicas, Christum Dominum omnia ad hominum salutem necessaria tradidisse atque instituisse, adeoque Ecclesiam potestate leges condendi haudquaquam indigere. Nam divinus noster Salvator quidem, ut vidimus (§. 43.), veritates fidei et morum plene tradidit, porro essentialia quoad s. Missae Sacrificium et quoad Sacramenta ipse quoque instituit; at vero, quae ad exteriorem morum sanctitatem spectant, Dominus non determinavit, nec omnia, quae ad exteriorem Dei cultum debito modo exercendum pertinent, praescripsit, nec denique judicialia tulit praecepta. Quae tamen cum necessaria sint ad finem Ecclesiae praestitutum, necessario quoque debet Ecclesia possidere potestatem, pro opportunitate eadem decernendi et sanciendi.

Si autem quaestio moveatur, quam ob causam Dominus non omnia plenissime determinaverit, quibus fideles ad aeternam felicitatem perducantur, ratio in promptu est. Quum enim varia sint temporum, locorum, rerumque adjuncta, varia esse oportet, quae ad religionis essentiam non pertinent, ut illa, quae essentialia sunt religionis, facilius ac fidelius custodiantur.

[1]) Liber de Correptione et Gratia, cap. 2. n. 5.

[2]) Dicit Angelicus: *„Ista* (sanguis et suffocatum) *sunt prohibita — ad hoc, quod posset coalescere unio Gentilium et Judaeorum simul habitantium;* Judaeis enim propter antiquam consuetudinem *sanguis et suffocatum* erant abominabilia; comestio autem *immolatorum simulacris* poterat in Judaeis aggenerare circa gentiles suspicionem reditus ad idololatriam.“ I. 2. q. 103. a. 4. ad 3.

[3]) Theol. mor. Edit. 6., T. I. p. 147.

[4]) Pius IX. in Encycl. ad episc. Austriae die 7. Martii 1874. *„Regnum Dei in terris regnum est societatis perfectae, quod continetur et gubernatur suis legibus, suis juribus, suis praepositis.“*

4. — Posterior pars propositionis praemissae: *Legislativa Ecclesiae potestas est independens a gubernio civili,* pariter de fide est, ut patet ex Bulla Joannis XXII. *„Dudum volentes“* a 1327., in qua sententia Marsilii Patavini asserens, „quod Papa vel tota Ecclesia simul sumta nullum hominem quantumcunque sceleratum potest punire punitione coactiva, *nisi concedat hoc imperator“*, ut haeretica damnatur; et hoc, quod valet respectu potestatis coactivae, eo magis de potestate directiva Ecclesiae affirmari debet. Et Concil. Vatic. Sess. IV. cap. 3. damnat ac reprobat illorum sententiam, qui supremi capitis cum pastoribus et gregibus communicationem reddunt saeculari potestati obnoxiam, ita ut contendant, quae ab Apostolica Sede vel ejus auctoritate ad regimen Ecclesiae constituuntur, vim ac valorem non habere, nisi potestatis saecularis placito confirmentur. Independentem Ecclesiae potestatem pariter docet Leo XIII. in Encycl. 1. Nov. 1885.

Veritas haec adeo perspicua est, ut multis eam probare supervacaneum foret. Hinc breviter dicimus: Si gubernio civili jus quoddam competeret ad regimen spirituale, hoc vel jam in natura potestatis politicae, vel certe in institutione Christi fundatum esse deberet. Atqui in neutro fundatur. Ergo etc.

1. *Non fundatur in natura potestatis civilis.* Etenim inter res spirituales et sacras ex una parte, atque inter potestatem laicam et saecularem ex altera parte, nulla prorsus proportio et convenientia sanâ ratione cogitari potest.

2. *Non fundatur in institutione Christi.* Dominus namque Ecclesiae in Apostolis eam repraesentantibus potestatem legislativam in negotiis religionis ut eidem omnino propriam ac peculiarem contulit. Hoc planum fit ex verbis Christi superius recitatis, porro confirmatur ex agendi ratione Apostolorum, qui nusquam consensum gubernii potitici expetivisse, vel ad ejusdem nutum et voluntatem se gessisse leguntur, quando leges dabant a fidelibus observandas; quin potius repugnantibus principibus, nullisque minis et suppliciis deterriti demandatum sibi ministerium alacriter sunt executi. Idem patet ex continenti Ecclesiae praxi, siquidem Ecclesia nunquam non hanc suam a regimine politico independentiam plenam et verbis docuit.

factisque simul contra iniquorum ausus strenue vindicavit. Et recentissime P. M. Pius IX. pro eadem hac libertate Apostolica plane fortitudine et constantia decertavit, tum principia Ecclesiae juribus adversantia condemnando, tum violentiae nefariae usurpatorum, qui civilem Apostolicae Sedis principatum pro bono ac libero Ecclesiae regimine omnino requisitum evertere moliebantur, invictissimo animo obsistendo.

* Bellarmin: Disputationes de controversiis etc. Libr. IV. cap. 13. et sq. Gregorius de Valentia: Lib. unus de Potestate legis humanae praesertim Ecclesiasticae, tribus cap. constans (De rebus fidei hoc tempore controversis, Lugduni 1591. p. 871—874). Suarez: De legibus Libr. IV. cap. 1. et 2. Neubauer S. J.: Theol. Wirceburg. Tom. III. de legibus cap. 3. a. 3. Paris. 1852. Perrone: Praelectiones Theolog. Vol. II. Sect. 1. cap. IV. art. 3. p. 204—222. Ratisbonae 1854. Moulart: Kirche und Staat oder die beiden Gewalten, übers. von Houben, 3. Buch. Mainz 1881.

5. — Potestas legislativa, quae in Ecclesia est, a Christo certis Ecclesiae suae rectoribus seu pastoribus, non autem universitati fidelium, et per hanc illis veluti totius corporis ministris delata est. Id evincunt effata s. scripturae supra relata, et confirmat infallibilis auctoritas Apostolicae Sedis, quae sententiam contrariam nota haereseos adussit, et directe definivit Concilium Vaticanum saltem quoad Apostolici Primatus institutionem Sess. IV. cap. 1.

Nimirum *Jansenistae* et *Febroniani* praeeunte Edmundo Richerio tradiderunt, auctoritatem regiminis residere radicaliter in universitate seu communitate fidelium, quasi haec immediate illam a Christo obtinuisset in pastores derivandam, ac proinde Romanum Pontificem, episcopos aliosque pastores esse totius communitatis ministros, qui de mandato et nomine totius corporis fidelium pastoralem auctoritatem exercerent. En principium de suprema populi potestate, quod a reformatoribus mutuatum (§. 10. n. 5.) haeretici illi in Ecclesiam catholicam intrudere volebant, et quod pariter illi Germaniae theologi (§. 8. n. 3.), qui infallibili Concilii Vaticani auctoritate rejecta ad communitatem fidelium appellant, et per „opinionem publicam" dominari cupiunt, in Ecclesiam invehere adlaborant.[1]) Sed sententiam Jansenistarum proscripsit Clemens XI. in Bulla *Unigenitus* prop. 90. et Pius VI. in Bulla *Auctorem fidei* prop. 2. et 3.: denique Concilium Vatic. Sess. IV. cap. 1. quoad jurisdictionis primatum definivit, eum immediate et directe beato Petro, non vero Ecclesiae, et per hanc illi ut ipsius Ecclesiae ministro a Christo delatum fuisse.

---

[1]) Döllinger jam anno 1863. scripsit, in Ecclesia praeter potetestatem ordinariam dari quoque potestatem extraordinariam, similiter ac tempore Hebraeorum juxta sacerdotium inveniebatur prophetismus; atque potestatem illam extraordinariam in Ecclesia esse opinionem publicam a theologia ciendam, per quam subinde ipsa theologia vim sibi competentem exercet, cui tandem omnes se flectunt, etiam capita Ecclesiae, et cui diu nihil resistere potest (Haec sunt ipsius verba: *„Die Theologie ist es, welche der rechten, gesunden öffentlichen Meinung in religiösen und kirchlichen Dingen Dasein und Kraft verleiht, der Meinung, vor der zuletzt Alle sich beugen, auch die Häupter der Kirche und die Träger der Gewalt. Aehnlich dem Prophetenthume in der hebräischen Zeit, das neben dem geordneten Priesterthum stand, gibt es auch in der Kirche eine ausserordentliche Gewalt neben den ordentlichen Gewalten, und dies ist die öffentliche Meinung. Durch sie übt die theologische Wissenschaft die ihr gebührende Macht, welcher in der Länge nichts widersteht."* Rede über Vergangenheit und Gegenwart der kathol. Theologie, 1863. S. 47.) Ergo opinio publica — prophetismus, professores theologici — prophetae; subditi regunt, rectores obediunt!! Hic est ordo hierarchicus Ecclesiae divinitus institutus?

Potestatem legislativam in Ecclesia habent: 1. *Romanus Pontifex* pro toto orbe catholico, quia ex definitione Concilii Florentini, quam Conc. Vatic. Sess. IV. cap. 3. innovavit, ipse est *totius Ecclesiae Caput et omnium Christianorum Pater et Doctor, et ipsi in B. Petro pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam a D. N. J. C. plena potestas tradita est.*[1]) 2. *Concilia oecumenica* pro tota Ecclesia, *Provincialia* pro provincia, *Dioecesana* pro dioecesi. 3. *Episcopi* pro suis subditis (et quidem tam intra quam extra Synodum, cum haec diversitas per se non respiciat, nisi formam ac modum). — Sed Archiepiscopi et Patriarchae leges ferre nequeunt pro dioecesibus suffraganeorum, quia non sunt superiores proprie dicti, quamvis eorum lites ad se delatas decidere possint. 4. *Capitulum cathedrale*, Sede vacante, quia tunc succedit in jurisdictionem episcopi. 5. *Ordines religiosi* in Capitulo generali vi jurisdictionis a Pontifice concessae. Superiores monasteriorum possunt quidem dare praecepta ratione sui officii et ratione voti obedientiae, quo eorum subditi obstringuntur, non tamen leges condere.

§. 50.

Continuatio.

1. — Circa principum saecularium potestatem legislativam, de qua in praesentia agere instituimus, pessima ab haereticis et incredulis prolata sunt deliramenta.

Nam 1. *Albigenses* et *Beguardi*, post Judam Galilaeum[2]) asseverarunt, non esse a fidelibus alium dominum recognoscendum praeter Deum, ideoque saecularibus principibus eorumque legibus non esse obediendum. 2. *Wicleffitae* principem a populo destitui imperio, imo et vita privari posse docuerunt. 3. *Reformatores* supremam populi auctoritatem, a qua omnis pendeat principis potestas, asseruerunt (§. 10. n. 5.) Eandem populi auctoritatem 4. tuetur *Liberalismus* modernus, verum ad opulentos et proceres tantum eam restringit, ita ut „auctoritas

---

[1]) De Pontificiae dignitatis et potestatis excellentia eleganter disserit s. Bernardus: De Consider. Libr. II. cap. 8.

[2]) Vid. Suarez: De Leg. Libr. III. cap. 5. n. 1. et 2.

nihil aliud sit, nisi numeri et virium materialium summa"; *Socialismus* denique democraticus illam auctoritatem seu potestatem solis operariis vindicat, insuper jus revolutionis populo adjudicare non extimescit (§. 9. n. 8.—10.) Uterque potestatem ac societatem civilem esse divinae originis inficiatur.

PROPOSITIO.

Principes saeculares a Deo habent potestatem imperandi adeoque et leges ferendi circa res temporales ac civiles.

2. — Doctrina proposita certa est tum ex fide tum ex ipsa ratione.

A. Certa est ex fide. Constat enim ex ss. scripturis, ubi dicit Deus ipse: *„per me reges regnant, — per me principes imperant."* Prov. 8, 15. 16. Similiter Sap. 6, 4. Dan. 2, 37. Ergo a Deo, non a populo reges et principes habent potestatem imperandi, si vero imperandi, certe etiam leges ferendi. Apostolus Paulus monet: *„omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit; non est enim potestas nisi a Deo; quae autem sunt, a Deo ordinatae sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, sibi ipsi damnationem acquirunt."* Rom. 13, 1. et sq. Quibus clarissime docet, potestatem dominandi, praecipiendi, subjectionem exigendi a Deo, non a populo in principes dimanare. Ulterius reges seu principes in s. scriptura vocantur *„ministri Dei." „ministri regni ejus"* (Rom. 13, 4. Sap. 6. 5.); Christus respondit Pilato: *„Non haberes potestatem adversus me ullam, nisi tibi datum esset desuper."* Joa. 19, 11., quapropter a Deo habent potestatem, non a multitudine, nec populi ministri seu magistrâtus dici queunt. Id ipsum nunquam non Ecclesia docuit, ut ostendunt Patrum et Doctorum testimonia, [1]) atque attestantur Sedis Apostolicae Constitutiones, [2]) quibus placita contraria toties sunt censuris confixa.

B. Eadem doctrina ex ipsa ratione constat. Nam perspicitur, quod societas civilis a Deo ut auctore naturae derivari debet; [3])

[1]) Sic e. g. s. Augustinus: *„Non tribuamus dandi regni atque imperii potestatem, nisi Deo vero, qui dat felicitatem in regno coelorum solis piis, regnum vero terrenum et piis et impiis, sicut ei placet, cui nihil injuste placet."* De Civit. Dei, Libr. V. cap. 21. — Vid. etiam Bellarmin: T. 1. Contr. p. 1. Libr. 3. c. 2.

[2]) Gregorius XVI. epist. encycl. 15. August. 1832; Breve 9. Junii 1832. Pius IX. in encycl. „Qui pluribus;" et praesertim in Syllabo n. 60. Leo XIII. in encycl. die 29. Junii 1881.

[3]) *Conc. Prov. Agnensis* (in Gallia) a. 1850. Tit. III. cap. 1. *„Ab illo* (Deo) *ut auctore naturae causam et originem habet societas civilis."*

quia natura humana inclinat ad ejusmodi societatem ineundam, [1]) quae aliunde homini necessaria est, cum solus sibi non sufficiat ad omnia; et Deus auctor est naturae humanae. Jam vero auctoritas suprema est pars formalis et essentialis societatis politicae, quia unitas sine principio unitatis subsistere nequit. — Ergo potestas seu auctoritas civilis imperandi et leges ferendi a Deo ut auctore naturae repeti debet. Vid. Leo XIII. Encycl. 1. Nov. 1885. „Immortale."

Id ipsum etiam comprobatur ex actibus hujus potestatis, quorum praecipui sunt: a) obligare in conscientia, b) vindicare injurias singulorum, atque punire malefactores etiam mortis supplicio. Ad hujusmodi enim actus exercendos nullus hominum, sed Deus solus valet conferre potestatem. Leo XIII. Encycl. 29. Junii 1881. „Diuturnum." [2])

3. — Ergo probatum est, principes saeculares a Deo ipso habere potestatem imperandi ac leges ferendi. Sed merito in propositione adjunximus: *circa res temporales atque civiles,* quia solum hujusmodi res regimini politico subduntur. Principes saeculares tamen possunt et debent fidem Ecclesiamque tueri, atque curare, ut ejus leges a subditis custodiantur, quia, ut ait Concilium Tridentinum (Sess. 25. cap. 20.), illos Deus sanctae fidei et Ecclesiae protectores esse voluit. Unde s. Augustinus: *„Felices eos dicimus* (imperatores), *si — — suam potestatem ad Dei cultum maxime dilatandum, majestati ejus famulam faciunt."* [3]) Et s. Leo epist. 75. ad Leonem imperatorem: *„Debes,* inquit, *incunctanter advertere regiam potestatem tibi non solum ad mundi regimen, sed maxime ad Ecclesiae praesidium esse collatam, ut ausus nefarios comprimendo, et quae bene sunt statuta defendas, et veram pacem his, quae sunt turbata, restituas."* Adde, quod ad ipsius reipublicae profanae salutem plurimum conducit, Ecclesiam tueri, quando quidem negari nequit, *„Religione sublata, nullum humanae societati superesse praesidium tum ad stabilitatem, tum ad quietem, porro unam esse Catholicam Religionem veritatis magistram, virtutum omnium altricem, in qua civitatum, regnorum*

[1]) Homo est animal sociale, ait s. Thomas: 1. q. 96. a. 4.; 1. 2. q. 9. a. 4. et alias.

[2]) Plura s. Thom. opusc. 20. de regim. principum, Libr. III. c. 1.

[3]) De Civitate Dei, Libr. V. cap. 24. Vide etiam Epist. 185. (al. 50.) cap. 5. n. 19., ubi dicit: *„Quo modo ergo reges Domino serviunt in timore, nisi ea, quae contra jussa Domini fiunt, religiosa severitate prohibendo atque plectendo."*

incolumitas salusque nititur," ut sapienter effatus est Pius IX. in Allocutione die 17. Decemb. 1860 habita. [1])

4. — Quod vero attinet *modum*, quo quis ad hanc potestatem pervenit (qualis e. g. est electio, successio haereditaria), atque *regiminis formam*, qua haec potestas exercetur (prouti v. g. est Monarchia, Aristocratia), haec proxime ab hominibus proveniunt,[2]) et a Deo in tantum derivantur, in quantum conformia sunt principiis legis naturalis, quae a Deo est. Atque per haec differt potestas civilis a potestate Ecclesiastica, quia haec etiam quoad regiminis formam a Deo, et immediate quidem dimanat, quia Christus Ipse in Ecclesia sua Hierarchiam regiminis instituit.

* S. Thomas: Opusc. 20. de regimine principum. — Pachtler S. J. Das christliche Königthum (Stimmen aus Maria Laach 1873. B. V. S. 105. u. f.) Das christliche Königthum im Liberalismus (Ibid. S. 213. u. f.) Périn: Christliche Politik B. 2. III (Die Gewalt) S. 136. u. f. Freiburg 1876. Moulart: Kirche und Staat oder die beiden Gewalten. 1. B. 2. Abth. S. 55. u. f. Uebers. von Houben, Mainz 1881. Cathrein S. J.: Die Aufgaben der Staatsgewalt und ihre Grenzen. Absch. 2. S. 26. u. f. Freiburg 1882.

5. — Disceptant Theologi, utrum potestas politica a Deo *immediate* principi conferatur, an vero *mediate* per hominum multitudinem.

1. Alii quippe docent, hanc potestatem esse quidem a solo Deo, quia consequitur necessario naturam socialem hominis, ac proinde pendet ab illo, qui creavit hominis naturam; sed hanc potestatem principaliter et *immediate residere in tota hominum multitudine*, cum Deus nec per aliquam legem neque per actionem peculiarem eandem uni vel alteri conferat; ergo dedit multitudini, quae tamen potestatem, quam immediate a Deo habet, transferre tenetur in unum vel plures, quia respublica illam non potest per semetipsam exercere; unde concludunt, hanc potestatem in particulari esse quidem a Deo, sed mediante consilio et consensu populorum, atque idcirco non immediate a Deo. Ita *Bellarmin*,[3]) *Suarez*,[4]) aliique non pauci, qui tamen cum iis politicis, qui absolutam populi auctoritatem (coll. n. 1.) affirmant, nullo modo commisceri possunt. Illi enim theologi potestatem civilem a Deo derivant, politici praedicti tantum a populo; juxta illos potestas a Deo communitati hominum confertur, juxta hos ab hominibus creatur; illi docent, potestatem ab hominum multitudine necessario ex jure divino transferri in unum

[1]) Quam veritatem agnovit ipse Voltaire dicens: qui veut révolutionner la France, doit la décatholiser. Apte Périn Christl. Politik 1876. S. 180.) observat: „*Alles, was der Staat für die Kirche thut, thut er für sich. Der Körper dient zwar der Seele, aber durch die Seele lebt er.*"

[2]) Hinc s. Chrysostomus ad Apostoli verba: „non enim est potestas, nisi a Deo", observat: „*Quid dicis? omnis princeps a Deo constitutus est? Istud, inquit, non dico. Neque enim de hoc vel illo principe sermo mihi nunc est, sed de ipsa re. Quod enim principatus sunt, et hi quidem imperant, illi vero subjecti sunt, — divinae sapientiae esse dico.*" In ep. ad Rom. Hom. 33. n. 1.

[3]) Controv. de membris Ecclesiae, Lib. III. cap. 6.

[4]) Suarez: De legib., Lib. III. cap. 3.

vel plures; hi tradunt, potestatem ex libero populi arbitrio vi contractus in magistratum transferri.[1]) — Nihilominus tamen praedictae theologorum doctrinae plura obstant: 1. Potestas imperandi logice necessario secum ducit obligationem obediendi. Jam vero si in tota hominum multitudine extaret haec potestas, multitudo simul esset subjectum principatus et subjectum subjectionis; quod contradictorium est. 2. Non convenit sanae rationi statuere, quod Deus alicui concessit potestatem, ad quam exercendam plane impar existit. Id vero obtineret, si populus a Deo instructus esset potestate politica, et eandem, ut supponitur, numquam exercere posset. 3. Si affirmatur, a multitudine transferri potestatem in principem, consequens est statuere, eandem potestatem a communitate pro suo arbitrio rectractari posse; quod in maximam societatis ipsius perniciem recideret. 4. Verum quidem est, quod Deus ipse non designat personam, quae regere debeat (nisi exceptive, ut exempla Sauli, Davidis et aliorum testantur): an tamen inde habetur, quod non immediate, sed per populum illi confert potestatem, qui legitime ad imperium pervenit? „*Quo sane delectu designatur princeps, non conferuntur jura principatus; neque mandatur imperium, sed statuitur, a quo sit gerendum.*" Ita Leo XIII. in Encycl. 29. Junii 1881. Addi potest, quod nec in Ecclesia a Deo indicatur per legem a se datam, quinam Summus Pontifex fieri debeat, et tamen hic immediate a Deo accipit potestatem.

Quae cum ita sint, 2. alii merito docent, potestatem civilem *immediate a Deo* (non mediate per populum) *iis conferri, quorum est, regere civitatem;* et pro illis insuper alia militant rationum momenta: 1. Effata s. scripturae supra n. 2. relata absolute edicunt, principes per Deum regnare, omnem potestatem a Deo descendere; nec rationes sententiae contrariae modo adductae persuadent, illa effata intelligenda esse de mediata communicatione potestatis a Deo per populum. Imo 2. principatus in societate necessario ex jure naturae divino exigitur, quia societati intrinsecus est, quae sine illo nec existere nec concipi potest. Quod autem a jure naturae exigitur, immediate a Deo est. Porro 3. nemo negabit, quin auctoritas domestica sit immediate a Deo seu paterfamilias sit caput familiae non ex voluntate et consensu uxoris et domesticorum, sed ex dono ipsius auctoris naturae. Jam vero sicut societas civilis est ampliatio quaedam societatis domesticae novis relationibus instructae: ita auctoritas civilis est evolutio quaedam auctoritatis domesticae novis illis relationibus ordinandis applicatae. Itaque si haec immediate a Deo descendit, etiam illam immediate a Deo esse dicendum erit.

* De hac controversia: Bellarmin: De membris Ecclesiae, Lib. III. de laicis cap. 6. Suarez: De legibus, Lib. III. cap. 3. et 4. Concina: Theolog. christiana dogm. moralis, Lib. I. Diss. 4. cap. 2. Taparelli: Versuch eines auf Erfahrung begründeten Naturrechtes I. B. n. 466—485. Regensb. 1845. Liberatore: Institut. philosoph. Vol. III. pag. 269. et 270. Romae 1855. Balmes: Protestantismus und Katholicismus. 2. B. cap. 49. et 50. Regensb. 1862. Walter: Naturrecht und Politik, 2. Aufl. S. 169.—179. Bonn 1871. Moulart (deutsch Houben): Kirche und Staat, I. B. 2. Abth. S. 74 u. f. Mainz 1881.

6. — Quaeri solet, „*an etiam, si in statu innocentiae homines permansissent, principatus civilis fuisset.*" S. Chrysostomus negat: „Ut autem scias (inquit), hunc quoque modum dominationis ex occasione peccati ortum habere, audi Paulum de hoc philosophantem: Si vis non habere potestatem, bonum fac et habebis

[1]) Praesertim Rousseau 1861. ex contractu sociali (qui numquam extitit) omnem potestatem civilem deduxit.

laudem, si autem malum feceris, time, non enim sine causa gladium portat etc.“ (Serm. IV. in Genes.) Item s. Augustinus (De civitate Dei Libr. XIX. cap. 15.) aliique sentiunt. S. Thomas (1. q. 92. a. 1. ad 2.; 2. 2. q. 64. a. 2. ad 3.) autem cum permultis affirmat. — Duae hae sententiae nequaquam sibi repugnant, sed recte intellectae amice conspirant ad totam veritatem exprimendam. Priores enimvero loquuntur de potestate civili, quatenus est *coërcitiva seu coactiva*, et ceu talis in statu innocentiae utique non obtinuisset, siquidem justi non necesse habent poenis adigi ad leges observandas. Posteriores disserunt de potestate civili quoad ejusdem vim *directivam*, et secundum hanc absque dubio etiam in statu innocentiae necessaria fuisset, atque obtinuisset, quia homines naturaliter inclinant ad societatem ineundam, adeoque hoc etiam in statu socialiter vixissent; societas autem potestatem supremam directionis necessario exquirit. Vid. v. Bonaventura: In Libr. II. Sent. Dist. 44. art. 2. q. 2.

Corollaria.

7. — I. *Principem imperio pellere, populo numquam licet*, quia non hominum, sed *Dei gratia* imperium tenet, atque Dei vices gerit. Id communiter Theologi docent, inter quos s. Thomas [1]) et s. Alphonsus.[2]) Dejici throno potest ex justa causa ab alio principe superiore, si tali subditur, sed non a populo, qui quippe non supra principem, sed sub principe constitutus est. — Nec dicas: si populus elegerit sibi principem, tunc ipsi quoque potestatem contulit, ideoque illum potestate seu imperio spoliare potest. Etenim advertendum est, quod (n. 4) diximus, videlicet distingui debere inter *potestatem* imperandi atque inter *modum*, eandem adipiscendi, et *formam*, eam exercendi. Potestas ipsa dimanat a Deo, *„non est enim potestas, nisi a Deo,“* electio tantum fit a populo. Ergo Electores in regno electitio designant personam, Deus personae electae confert potestatem: [3]) illi quodammodo materiam disponunt, sed Deus est, qui tribuit formam. [4]) Proinde potius

II. *Populus potestati saeculari obedire tenetur in omnibus, quae Dei et Ecclesiae legibus non adversantur.*[5]) Certe *obedire tenetur*,

[1]) Dicit: *„Subditi nunquam jus habere possunt de rebus gestis principis judicare, et tanto minus eum damnare ad vitam aut regnum amittendum.“* 2. 2. q. 64. a. 3.

[2]) Haec sunt ejus verba: *„Falsum omnino est, in communitate subditorum quandam adesse auctoritatem superiorem, et a principe independentem ita, ut casu, quo princeps perverse regnum gubernet, tota communitas eum regno et vita expoliare possit.“* Homo Apostol. Tract. VIII. n. 13. — Erudite veritatem hanc ex operibus d. Thomae vindicat Roselli: Summa Philosoph. P. III. Quaest. ult. a. 5. pag. 538. Ed. 3. Bononiae 1859.

[3]) Leo XIII. in Encycl. die 29. Junii 1881.

[4]) Suarez: De leg. l. III. c. 3. n. 2.

[5]) De hac thesi Phil. Hergenröther: Der Gehorsam gegen die weltl.

ut luce clarius patet ex omnibus, quae hactenus diximus. Sed additur: *in omnibus, quae Dei et Ecclesiae legibus non adversantur*. Si enim leges civiles aliquid imperent, quod Dei et Ecclesiae juribus adversatur, tunc non sunt honestae ac justae (§. 51. n. 2.), adeoque non veri nominis leges. Porro Apostolus dicit: *„Obedire oportet Deo magis, quam hominibus.“* Act. Apt. 5, 20. Idipsum semper Ecclesia docuit. Sufficiens erit ex Patribus adducere s. Augustinum dicentem: *„Quicunque legibus imperatorum, quae contra veritatem Dei feruntur, obtemperare non vult, adquirit grande praemium. Quicunque autem legibus imperatorum, quae pro Dei veritate feruntur, obtemperare non vult, adquirit grande supplicium.“* [1]) Secundum hunc modum obedientiam imperatoribus praestiterunt veteres Christiani, [2]) eodem modo sese gesserunt omni tempore pii sanctique Ecclesiae antistites, ut s. Athanasius, [3]) s. Chrysostomus, s. Anselmus, s. Thomas Becket. Denique recentissime Summus Pontifex Pius IX. in Allocutione die 19. Decemb. 1853. habita legem divinam in hac re authentice interpretando sic locutus est: „(Ceterum) — *quod cum gentium Apostolo docuit semper Ecclesia, parendum scilicet esse potestatibus sublimioribus, id Nos et catholici Nobiscum antistites et tenent et docent; at vero, si contra divinas leges et sacrosancta Ecclesiae jura a divino Auctore illi tradita imperatum aliquod sit, obediendum esse Deo magis quam hominibus, id exemplo ipse suo confirmavit Apostolus, id Nos cum sacris Ecclesiae Pastoribus et docemus et inculcamus.“* [4]) Denique

Obrigkeit und dessen Grenzen nach der Lehre der kath. Kirche. Freib. 1877. Lehmkuhl S. J.: Der Gehorsam gegen die menschlichen Gesetze (Stimmen aus Maria-Laach 1877. Heft 8. u. 9).

[1]) Epistola 185. (al. 50.) c. 3. n. 8.

[2]) S. Augustinus testatur: *„Milites christiani servierunt Imperatori infideli; ubi veniebatur ad causam Christi, non cognoscebant, nisi illum, qui in coelis erat. Distinguebant Dominum aeternum a Domino temporali, et tamen subditi erant propter Dominum aeternum etiam Domino temporali.“* Enarr. in Psalm. 124. n. 6.

[3]) Magnus hic episcopus Athanasius in sua ad Constantium Apologia intrepide scripsit: *„Tibi Deus imperium commisit, nobis, quae sunt Ecclesiae, concredidit. Et quemadmodum, qui, tuum imperium malignis oculis carpit, contradicit ordinationi divinae: ita et tu cave, ne, quae sunt Ecclesiae, ad te trahens, magno crimini obnoxius fias.“*

[4]) Etiam Christianos debere saecularibus potestatibus obedire, s. Thomas egregie ita ostendit: „Fides Christi est justitiae principium et causa, secundum illud Rom. 3. Justitia Dei per fidem Jesu Christi. Et ideo per fidem Christi non tollitur ordo justitiae, sed magis firmatur. Ordo autem justitiae requirit, ut inferiores suis superioribus obediant. Aliter enim non potest humanarum rerum status conservari. Et ideo per fidem Christi non excusantur fideles, quin principibus saecularibus obedire teneantur.“ 2 2. q. 105. a. 6.

III. *Populo adversus principem suum seditionem movere nunquam licet.* Sequitur ex antecedentibus. Idemque recentissime inculcarunt Gregorius XVI. in ep. encycl. 15. Aug. 1832. et Pius IX., qui in Syllabo sub n. 63. proscripsit errorem: *Legitimis principibus obedientiam detrectare, imo et rebellare licet;* et prius jam in Ep. encycl. *Qui pluribus* 9. Nov. 1846, in Allocut. *Quisque vestrum* 4. Oct. 1847., rursum in Ep. encycl. *Noscitis* 8. Decemb. 1849., Lit. Apost. *Cum catholica,* 26. Mart. 1860. eundem errorem condemnavit, Leo XIII. in Encycl. *Diuturnum* 29. Junii 1881.

8. — Si moveatur quaestio, *an tyranno obediendum sit,* distingui debet: tyrannus talis est vel regimine, qui scilicet perverse populum regit et opprimit, vel *usurpatione,* qui regnandi titulum non habet; et talis aut jam est, aut non est in pacifica regni possessione.

Quibus praemissis auctoritate Doctorum innixi dicimus: a) Si tyrannus est *regiminis,* ipsi profecto obtemperandum est, clamante s. Petro: *„subditi estote dominis non tantum bonis, sed etiam discolis“* 1. Petr. 2. 17. Id tamen intelligendum, si non praecipiantur ea, quae Dei et Ecclesiae legibus repugnant (cf. n. 7.), Istius enim quoque potestas a Deo est,[1]) et licet injuste exercita ab illo, tamen juste ordinata a Deo vel ad malorum punitionem vel ad bonorum probationem.[2]) At *quale remedium* adest, si regimen principis esset excessive tyrannicum? Remedium, quod suppetit, ait s. Thomas, est *ad Deum recurrere,* ut auxilium praebeat. Sed addit Angelicus, ut hoc beneficium populus a Deo consequi mereatur, debet *a peccatis cessare;* quia in ultionem peccati, divina permissione, impii accipiunt potestatem.[3])

b) Si tyrannus est *usurpationis,* et nondum in pacifica regni possessione, tunc subditi, quamvis factis agnoscere et juvare usurpatorem, ut in sua possessione stabiliatur, strenue prohibeantur,

[1]) S. Augustinus: *„Qui dedit Mario, ipse et Caesari; qui Augusto, ipse et Neroni; qui Vespasiano vel patri vel filio suavissimis imperatoribus, ipse et Domitiano crudelissimo: et ne per singulos ire necesse sit; qui Constantino christiano, ipse Apostatae Juliano.“* De Civitate Dei, Lib. V. cap. 21.

[2]) Idem s. Augustinus: *„Quia etiam nocentium potestas non est nisi a Deo, scriptum est loquente scriptura: Per me reges regnant etc. Dicit et Apostolus: „non est enim potestas nisi a Deo.“ — — Injustum enim non est, ut, improbis accipientibus nocendi potestatem, et bonorum patientia probetur, et malorum iniquitas puniatur.“* De natura boni, cap. 23. — S. Bonaventura in 2. Libr. Sent. d. 44. a. 2. q. 1.

[3]) De Regimine princ. Libr. 1. c. 6.

tamen legibus, quae ab ipso pro bono communi et ordine sociali feruntur, obtemperare tenentur; in hoc enim consensus legitimi principis praesumi debet.

Si tyrannus jam sit in pacifica regni possessione seu annorum decursu novus potestatis possessor ita obfirmetur, ut pristinus ordo redintegrari nequeat; tunc illi haud secus, ac si legitimus foret princeps, obedientia praestari debet, et nihil contra illum moliri fas est. Nec vero contrarium velle legitimus princeps praesumi potest. Id enim exigit necessitas, ipsam communitatem seu societatem servandi. Neque id ullam infert tyrannidis approbationem; non ideo enim subditi leges illas servant, quasi legitimam habeant aut profiteantur usurpatoris potestatem, sed quia lex naturalis ordinem aliquem servare praecipit; et cum ille tantum ordo tunc possibilis sit, hunc lex naturae servandum jubet.[1])

B. Apostolicae Sedis Decreta.

9. — Agendi rationem, quam Apostolica Sedes occasione contentionum super aliquo principatu servare consuevit, P. M. Gregorius XIV. in Const. *Sollicitudo Ecclesiarum* die 9. Augusti 1831. declaravit, provocans ad suos antecessores Clementem V., Joannem XXII., Pium II., Sixtum IV. et Clementem XI. Sic quidem dicit: *„— quod si quis a nobis vel a successoribus nostris, ad spiritualis ecclesiarum fideliumque regiminis negotia componenda, titulo cujuslibet dignitatis etiam regalis . . . . . nominatur, honoratur, seu quovis alio modo actuve, quo talis in eo dignitas facto agnoscatur, aut si easdem ob causas cum iis, qui alio quocunque gubernationis genere reipublicae praesunt, tractari aut sanciri aliquid contigerit, nullum ex actibus, ordinationibus et conventionibus id generis jus iisdem attributum, acquisitum probatumque sit, ac nullum adversus ceterorum jura et privilegia ac patronatus discrimen, jacturaque et immutationis argumentum illatum censeri possit ac debeat“* . . . .

10. — „Sacra Poenitentiaria cum noverit plurimos animarum Pastores ob praesentes rerum vicissitudines non paucis urgeri anxietatibus multis in circumstantiis, quomodo gregem sibi commissum consilio juvare, vel quid ei praescribere aut prohibere teneantur, opportunum censuit, nonnulla Locorum Ordinariis communicare responsa, quae dubiis jamdiu expositis data fuerunt. Id ex parte jam praestitit die 6. Octobris 1859., tum die 10. Decembris 1860. eadem responsa, quorum aliqua attentis peculiaribus circumstantiis ex sanctissimi Domini oraculo moderata, alia vero ampliata fuerunt, de novo transmittere, pluraque alia adjicere, quae subinde prodierunt, opportunum similiter judicavit.“ Ex his sequentia seligimus notanda:[2])

[1]) Vid. Ballerini: Adnot. ad Compendium Theol. mor. a Gury exaratum Ed. 17. Romae pag. 422. 423. Liberatore: Ethica et jus naturae Lib. II. cap. 3. art. 5. pag. 292. Romae 1855.

[2]) Omnia, numero 28. leguntur in ephem. *Acta ex iis excerpta, quae apud Sanctam Sedem geruntur,* Romae 1865 pag. 557—566.

Sub n. 1. An liceat hymnum *Te Deum* canere occasione proclamationis intrusi Gubernii, aut alio simili eventu.

R. *Negative.*

Sub n. 2. An in Missa aliisque sacris functionibus recitari possit Collecta *pro Rege*, quando ab invasore Gubernio edicatur.

R. *Negative.*

Sub n. 3. An liceat cooperari functioni religiosae legibus Subalpinis expostulatae die anniversaria Statuti.

R. *Negative.*

Sub n. 4. An liceat propriam domum externis luminibus ornare occasione inaugurationis novi Gubernii, aut alio simili eventu; item an liceat uti insignibus novi Gubernii, cujusmodi sunt *Coccarde*, vittae tricolores, et alia id genus.

R. *Negative, dummodo non immineant gravia damna et absit scandalum.*

Sub n. 7. An liceat Civicae aut Nationali militiae nomen dare, quae ab intraso Gubernio suae defensioni ac conservationi in Provinciis usurpatis est constituta.

R. *Negative.*

Sub n. 8. Quid de iis dicendum, qui inviti conscribuntur, et ad eamdem militiam ineundam adiguntur.

R. *Posse tolerari milites civicos coactos, qui militiam absque gravi damno seu incommodo deserere nequeunt, dummodo tamen animo parati sint eam deserere, quam primum poterunt, et interim abstinere ab omnibus actibus hostilitatis in subditos et milites legitimi Principis, et ab actibus contra bona, jura et personas ecclesiasticas.*

Sub n. 11. An liceat ad magisteria concurrere, eaque suscipere oblata ab aliqua Communitate vel etiam a Gubernio, si, qui suscipiunt, ab adhaesione abstineant Gubernio intruso exhibenda, et ab omni actu, qui ad illud ratum habendum suapte natura dirigatur.

R. *Affirmative, semoto scandalo, si adsit, et sub conditionibus in quaesito expositis; praesertim vero sub conditione, ut in dicendis sint omnino conformes doctrinae catholicae.*

Sub n. 14. An liceat juramentum ab intruso Gubernio propositum hisce vel similibus verbis, quibus illimitata obedientia continetur: „Juro fidelitatem et obedientiam Victorio Emmanueli Italiae regi, ejusque successoribus. Juro me Statutum, omnemque aliam status legem pro inseparabili et regis et patriae Italiae bono observaturum."

R. *Juramentum, prout exponitur, non licere; tolerari autem posse juramentum obedientiae mere passivae in iis omnibus, quae Legibus Divinis et Ecclesiasticis non adversantur juxta formam a s. m. Pii VII. approbatam, et hisce verbis expressam, scilicet:* „Promitto et juro me cujuslibet generis conjurationi, sive conventui, sive seditioni contra actuale Gubernium operam nunquam daturum; itemque eidem me subjectum fore atque obtemperantem in iis omnibus, quae nec Dei, nec Ecclesiae legibus adversentur."

11. — *An sacerdotibus licet se immiscere rebus politicis?* Decretum ab omnibus Hiberniae praesulibus die 19. Mai 1854. datum et a S. Sede approbatum [1]) desuper edicit: „Hortamur, ut lites et jurgia inter se de rebus politicis in conventibus publicis, et magis adhuc in foliis seu ephemeridibus publicis, non ineant sacer-

[1]) Vid. Collectio Lacens. a. 1875. Tom. III. pag. 854.

dotes, ne dignitas sacerdotalis aliquid detrimenti capiat, ne caritas illa, quae robur Ecclesiae est, violetur, et ne rixis et contentionibus cum aliis implicentur."

„Hoc vero dum statuimus, Religionis bonum et Ecclesiae libertatem exigere putamus, ut quotiescumque de Parlamenti membris eligendis agatur, a quorum agendi ratione . . . Ecclesiae jura et libertas detrimenta pati possunt, soliciti esse debeant, ut hominibus probis et religionis catholicae minime hostibus munera haec conferantur. Attamen extra ecclesias, sine tumultu, absque caritatis violatione, et cum debita subjectione proprio Episcopo, ne dissensiones in clero oriantur, et cum ea moderatione, quae statui clericali omnino convenit, relicta unicuique in dubiis libere pro se sentiendi facultate, de omnibus hujusmodi rebus agendum esse arbitramur."

S. P. Leo XIII. in Encycl. 8. Decemb. 1882. ad episc. Hispaniae tradit, duos errores esse declinandos. 1. Unus est eorum, „qui rem politicam a religione non distinguere solum, sed penitus sejungere ac separare solent, ut nihil esse utrique commune velint, nec quidquam ad alteram ab altera influere putent oportere." 2. Alter error est eorum, „qui religionem cum aliqua parte civili permiscent ac velut in unum confundunt, usque adeo, ut eos, qui sint ex altera parte, prope descivisse a catholico nomine decernant." Admonet catholicos, ut veluti foedere icto studiose incumbant ad rem catholicam in civitate tuendam, posthabitis diversis de causa publica sententiis, quas tamen suo loco honeste legitimeque tueri licet. Quoad clerum adjungit: *„Profecto sacerdotes tradere se penitus partium studiis, ut plus humana, quam coelestia curare videantur, non est secundum officium. Cavendum igitur sibi esse intelligant, ne prodeant extra gravitatem et modum."*

§. 51.

De materia legis humanae.

1. — Leges humanas ea omnia posse praecipere, quae requiruntur ad bonum commune, sive spirituale sive temporale, prouti sunt vel ecclesiaticae vel civiles, ex eis, quae (§. 27. n. 1.) de lege generaliter dicta sunt, facile colligitur.

Principalis materia legis ecclesiaticae est, quae pertinet ad religionem et justitiam divinam seu erga Deum servandam, respiciens cultum divinum, Sacramenta, vota et juramenta, loca sacra, bona ecclesiastica etc. Principalis materia legis civilis est, quae pertinet ad justitiam humanam seu inter homines ad invicem servandam. [1])

2. — Lex humana potest actus *externos* licet *occultos* virtutum praecipere, et vitiorum prohibere; sic enim frequenter expedit ad bonum commune, quod est finis legis. Hinc e. g. sub excommunicatione prohibita est haeresis externa occulta. Ita s. Thomas, [2]) s. Alphonsus [3]) et alii omnes.

Sed quaestio, instat, *an lex humana possit praecipere vel prohibere actus internos?*

[1]) Suarez: De leg. Libr. IV. cap. 11. n. 6—10. cf. s. Thom. 1. 2. q. 100. a. 2.

[2]) Quodlibet 4. art. 12.

[3]) Theolog. mor. L. 1. n. 100. q. 3.

Actus interni possunt esse vel conjuncti cum actibus externis, vel possunt esse mere interni.

1) Si sermo est de *actibus internis intime conjunctis cum actibus externis*, certum est, ejusmodi actus legislatorem tam civilem, quam ecclesiaticum praecipere vel prohibere posse; quia actus interni cum externis *unum* morale indivisum constituunt. Et sic e. g. lex Ecclesiae praecipit consensum internum ad matrimonium ineundum. Ita omnes docent cum s. Alphonso.[1])

2) Si vero sermo est de *actibus mere internis*, a) consentiunt Theologi omnes, *legislatorem civilem* illos non posse praecipere vel prohibere. Ratio est, quia sine ejusmodi actibus finis civitatis, nempe exterior hujus pax ac prosperitas sufficienter obtinetur. b) An vero *Ecclesia* possit lege sua (versante in materia, quae sit nec juris naturalis nec positivi divini,) injungere actum mere internum, disputant Theologi. Plerique cum d. Thoma[2]) negant, quibus ipse Benedictus XIV.[3]) patrocinatur; negat etiam Catechismus Romanus.[4]) Et ratio theologica esse videtur, quia potestas, actus mere internos praescribendi, non est necessaria ad externum regimen, et constat hujusmodi legem ab Ecclesia nunquam esse latam.[5]) — Alii sententiam oppositam tenent, quia Ecclesia illimitatam potestatem a Christo accepit.[6])

Sed dices, *Ecclesiam proponere articulos fidei credendos, praecipere dolorem in confessione et similia.* — Ast ejusmodi praecepta non sunt mere Ecclesiastica, sed potius legis divinae declarationes, quae non pertinent ad externum tantum Ecclesiae regimen.

---

[1]) L. 1. n. 100. q. 2.

[2]) 1. 2. q. 91. a. 4.; q. 100. a. 9.

[3]) Dicit: „*Ecclesia autem sicuti non potest per se directe et immediate praescribere aut prohibere actum mere internum, juxta communem Theologorum sententiam, — — — ita non potest haeresin, quae in actum exteriorem non prodit, censura perstringere.*“ De Synodo Dioeces. Libr. IX. c. 4. n. 4.

[4]) Qui haec habet: „*Hoc inter divinas leges et humanas interest, quod humanae rebus tantum externis contentae sunt: illae vero, quoniam animum Deus intuetur, ipsius animi puram sinceramque castitatem requirunt.*“ P. III. cap. 10. q. 5.

[5]) Multis hanc sententiam probat Suarez: De legib. IV. cap. 12. Recentissime eandem tenent Cardin. Gousset, qui eam probabillissimam vocat, n. 135. Scavini: Th. mor. univ. Lib. I. n. 189. (Ed. 12.) Gury: Compend. Th. mor. P. I. n. 89. Kenrik: Theol. mor. Vol. 1. Tr. 4. c. 1. n. 12. Mechlinae 1860. Elger: Lehrb. der kath. Moraltheologie. 1. B. S. 71. Regensbg. 1851. Pruner: Lehrb. der kath. Moralth. 1. S. 68.

[6]) Eam recentissime tuentur: Martin: Lehrb. d. kathol. Moral. §. 21. 1859. Friedhoff: Allg. Moralth. §. 48. 1860. Palasty: Theol. morum cath. P. I. p. 81. ait, id „magna verisimilitudine“ doceri. Accedere videtur Simar: Lehrb. der kath. Mor. 1867 §. 20.

* S. Thomas: Summa Theol. 1. 2. q. 100. a. 9. S. Alphonsus: Theol. mor. Libr. I. n. 100. — Suarez: De Legib. Libr. III. cap. 13.; Libr. IV. cap. 12. et 13. Voit: Theol. mor. P. I. n. 145—148. Neubauer S. J.: Theol. Wirceb. Tom. III. de legib. cap. 4. a. 3. Reiffenstuel: Theol. mor. Tom. I. Tr. II. de leg. Dist. 1. q. 5. n. 46—50.

3. — Leges Ecclesiaticae communes continentur 1. in corpore juris canonici, 2. in Concilio Tridentino, 3. in Bullis, Brevibus et epistolis R. Pontificum; et 4. in Declarationibus ss. Congregationum.

Epistolae Pontificiae non insertae corpori juris vim obligandi habent, ut Nicolaus V. expresse declaravit, quando sunt solemniter promulgatae, vel in Ecclesia universaliter divulgatae. S. Alphonsus: L. 1. n. 106. q. 1.

Declarationes ss. Congregationum eandem habent auctoritatem, ac si immediate a Summo Pontifice essent prolatae; quod constat e Bulla Sixti V. „*Immensa*“, nec non ex decisione s. Congr. Rit. edita die 23. Maji 1846. et a S. P. Pio IX. confirmata quoad Decreta S. R. C., et pari modo valet de Resolutionibus aliarum SS. Congregationum; et quidem obligant pro casibus particularibus, pro quibus fiunt, imo etiam pro casibus similibus, si a) sint declarationes seu interpretationes legis universalis in causa particulari, et de ipsis certo constet, quamvis non solemniter promulgatae; cum enim non condant novam legem, solita publicatione non indigent; vel b) si sint „Decreta generalia“ edita e mandato Pontificis et legitime promulgata vel jam universaliter divulgata. S. Alphonsus: L. I. n. 106. q. 2. Ephem.: *Acta ex iis excerpta, quae apud Sanctam Sedem geruntur*, 1867. (Vol. III.) Append. XII. (quoad Decreta S. R. C.)

§. 52.

S. Bernardus de obedientia divinis ac humanis praeceptis praestanda.

„Fortissima res est obedientia vera, et quae in animum descendere non potest, nisi a mundi hujus aspergine pure presseque detersum. Ut autem via ejus evidentius elucescat, ostendamus, quantum possumus, quae sit obedientia specialis ad Deum, propria ad hominem, communis inter Deum et hominem. Sunt quaedam summa mala, quaedam summa bona. Summa bona sunt, diligere Deum, amare proximum, veritatem loqui, non furtum facere, non falsum testimonium dicere, non adulterare, et alia multa, quae sermonis

brevitas numerare prohibet. Summa mala sunt eorum contraria et similia illis. Bona praecipit Deus, ut faciamus; a malis jubet, ut abstineamus. Praecepti hujus sancta et incommutabilis auctoritas non valet quoquo modo refelli: quia illius est charactere consignata, qui dicit: „*Ego Dominus, et non mutor*". (Malach. 3, 6.) Si ergo homo ille, quem imposuit Deus super capita nostra, aliter sentire voluerit, ponens tenebras lucem, et lucem tenebras, ut praecipiat praedicta bona relinquere, vel malis praefatis adhaerere; audacter refutandum est praecipientis imperium, et libera voce dicendum: „*Obedire oportet magis Deo quam hominibus.*" (Act. 5, 25.) Haec est specialis obedientia ad Deum, quae nequaquam est hominis arbitrio temperanda, sed immutabili conservanda proposito. Certam igitur regulam tene, ut nec imperio Praelatorum praedicta bona relinquas, vel facias mala. Inter summa vero mala et summa bona quaedam media sunt, quae ad alterutrum se habentia, boni malique nomen assumunt. Media sunt ambulare, sedere, loqui, tacere, comedere, jejunare, vigilare, dormire, et si quae sunt similia, quae si pastoris licentia fiant, summam expectant retributionem. In his igitur mediis subditi esse et obedientes debemus ad nutum praepositorum, nihil interrogantes, propter conscientiam: quia in his nullum praefixit opus Deus, sed praelatorum dereliquit imperio disponenda. Non autem te moveat magister imperitus, indiscreta potestas, sed memento, quia non est potestas nisi a Deo; et qui resistit potestati, resistit Dei ordinationi. Haec est propria hominis obedientia, quam homini debemus, qui homini subditi sumus. Communis est etiam ista inter Deum et hominem: quia quidquid obedientiae Praelatis exhibetur, ei exhibetur, qui dicit: *Qui vos audit, me audit.* (Luc. 10, 16.) Cum magna igitur cautela hoc tramite dicimus incedendum: quia et multi gradus ibidem delitescunt, quorum qui unum reliquerit, ceteros sine retributione tenebit." [1])

DISTINCTIO II.

De legibus temporalibus quantum ad earum peculiares determinationes.

Videlicet 1. de subjecto legum, 2. de promulgatione, et 3. de acceptatione legum, 4. de obligatione legum, 5. de modo satisfaciendi legis obligationi, 6. de causis legis obligationem solventibus, 7. de interpretatione legum, 8. de cessatione legum.

[1]) De diversis Serm. 41. n. 3.

§. 53.

De subjecto legis.

1. — Reformatores docuerunt, justos (nempe juxta eorum sententiam illos, qui firmiter credunt, peccata sibi non imputari propter Christum) a debito cujuscunque legis coram Deo liberos esse, potissimum innixi Apostoli verbis: „*Lex justo non est posita.*" 1. Tim. 1, 9. [1])

At vero nullum esse hominem, qui obligationi alicujus legis temporalis non esset subjectus, jam ex eo patet, quod omnes legi aeternae subduntur (§. 29. n. 5), haec autem per temporales leges innotescit et promulgatur (ibid. n. 6.). Nec ullo modo protestantibus favent adducta Apostoli verba. Duplici sensu lex dici potest justo non posita: 1. quoad vim coërcitivam, quia justus sponte sua se conformat legi, amore justitiae, non timore poenae, quam transgressoribus lex minatur; [2]) 2. quoad legem specialem, scilicet externam et in tabulis scriptam, quia haec posita est ad innovandam legem naturae, quae quippe multum erat obliterata propter peccata (§. 38. n. 2.), quocirca proprie injustis seu peccatoribus data est. [3])

* B. Petrus Canisius: Lib. I. de corruptelis verbi Dei cap. 11. Bellarminus: Lib. IV. de Justific. cap. 1. Suarez: De legib. Libr. I. cap. 18. et 19.

2. — Lege aliqua generatim tenentur *subditi*, quibus lex est *intimata*. Ratio primi est, quia lex nonnisi in subditos ferri potest, ut ipse Apostolus supponit 1. Cor. 5, 12., [4]) adeoque subditi soli a lege afficiuntur. Ratio secundi est, quia lex instar vinculi se habet,

[1]) Vid. Möhler: Symbolik §§. 24. et 25. S. 220. u. f. 6. Aufl. 1843. Idem praeter alios recentissime asseruerunt Rothe: Theol. Ethik. I. B. S. 199. Wittenb. 1844. Harless: Christl. Ethik S. 32. Erlangen 1842. Quibus laudabiliter in iisdem castris contradicunt: Bruch: Ueber die Dignität und die Stellung des Pflichtbegriffes in der christl. Sittenlehre, in ephem. Theologische Studien und Kritiken von Dr. Ullmann u. Dr. Umbreit, 1848. 3. Heft. Böhmer: System des christl. Lebens, S. 156. Breslau 1853. Wuttke: Handbuch der christl. Sittenlehre I. B. S. 391. 392. Berlin 1861. Hi igitur a principiis sectae suae laudabiliter defecerunt.

[2]) S. Thomas: 1. 2. q. 93. a. 6. ad 1. S. Francisc. Salesius; Theotimus L. 8. cap. I.

[3]) Sic s. Ambrosius: Enarr. in Ps. 36. n. 69. ad verba „*In corde justi lex Dei est*" observat: „In corde justi lex Dei est. Quae lex? non scripta, sed naturalis: justo enim non est lex posita, sed injusto." S. Augustinus in Enarr. in Ps. 1. n. 2. ait: „Aliud est lex, quae scribitur et imponitur servienti: aliud est lex, quae mente conspicitur ab eo, qui non indiget literis."

[4]) S. Ambrosius ait: „Praeceptum in subditos fertur, consilium amicis datur." De viduis cap. 12. n. 72.

quod voluntatem ligat (§. 28. n. 1), et sicuti nemo vinculo ligatur, nisi hoc ipsi applicetur, ita similiter nullus a lege ligatur, nisi haec ipsi intimetur, ut sapienter Doctor Angelicus observat. [1])

Sed regula haec nimis generalis modo applicanda est ad singulas leges, quae in mundo morali existunt. Sint igitur sequentia

PRINCIPIA.

3. — **Principium I.** Lege divina naturali obstringuntur *omnes homines*, quia quilibet totus quantus Deo est subjectus, et Deus hanc legem menti cujusvis hominis vitam incipientis indelebili charactere imprimit (§. 30).

Hinc 1. nefas est, infantes et perpetuo amentes incitare ad actiones, quae legi naturae repugnant, e. g. ad blasphemias, furta, turpia etc., quia illi lege naturali obstringuntur habitualiter; et licet non peccent provocati ad hujusmodi mala, ob defectum usus rationis, certo tamen peccant provocantes ad illa.

2. Unusquisque, cum rationis usum adeptus est, praecepta juris naturalis, quae potest, observare tenetur; tunc enim (v. §. 54. n. 2.) actualiter jam lex naturalis ipsi intimatur. [2])

4. — **Principium II.** Ad legem evangelicam tenentur ii omnes *non baptizati*, qui sufficientem ejus notitiam adepti sunt; primum quidem obligantur ad credendum et intrandum Ecclesiam Christi, dein ad observanda omnia, quae lex Christi praecipit. Utraque enim conditio ad legis obligationem requisita in illis concurrit. [3]) A fortiori ad eandem legem tenentur *baptizati*, ubi ad usum rationis pervenerunt, quia per baptismum legem Christi in mentibus suis susceperunt et peculiariter Dei facti sunt (coll. §. 42.).

5. — **Principium III.** Legibus humanis obligantur omnes et soli subditi legislatoris humani, qui usum rationis assecuti sunt.

1) *Omnes et soli subditi* legislatoris humani, quia, ut praehabitum est, lex subditos tantum afficit et ligat.

---

[1]) De veritate q. 17. a. 3.

[2]) Id jam ante 7. aetatis annum esse potest. Sic puer 5 annorum, teste s. Gregorio M. Dial. Lib. IV. cap. 18., cum sedens in sinu patris blasphemaret, a daemone abreptus et suffocatus est. Hinc vae parentibus iis, qui ad execrationes filiolos provocant, vel dum illas evomunt, rident.

[3]) Lehmkuhl: „Quoniam vero Ecclesia seu summus ejus pastor est non solum legifer, sed etiam divinae legis infallibilis interpres, per Ecclesiam cognoscuntur etiam leges immediate divinae, quae saltem post cognitam veritatem omnes ligant, sive ad Ecclesiam sese aggregaverunt, sive non.“ Theol. mor. n 199.

Hinc a) omnes baptizati sanctae Ecclesiae praecepta observare tenentur, quia subditi sunt Ecclesiae. Conc. Trid. Sess. VII. de Bapt. can. 8. Infideles et catechumeni non obstringuntur ad leges ecclesiasticas, quia cum non sint baptizati, Ecclesiae jurisdictioni non subjiciuntur. 1. Cor. 5. 12.

b) Haeretici, apostatae et schismatici legibus ecclesiasticis tenentur, quia per baptizmum jurisdictioni Ecclesiae subjecti sunt. [1]) Idipsum Summi Pontifices iteratis vicibus declararunt. [2]) Non tamen videntur peccare Ecclesiae praecepta transgrediendo, quia forte nesciunt, se ad illa teneri. [3]) Item Ecclesiae legibus subduntur excommunicati, utpote Ecclesiae potestati subjecti, qui spiritualibus quidem Ecclesiae bonis in poenam delicti privati sunt, ab oneribus tamen portandis minime eximuntur.

2. *Qui usum rationis assecuti sunt*, utpote vinculi legalis seu cognitionis nec non directionis capaces.

Hinc a) legibus ecclesiasticis non tenentur infantes ac perpetuo amentes, adeoque licet v. c. eis dare carnes edendas diebus ab Ecclesia prohibitis. Attamen interest quam maxime, ut parvuli ab unguiculis jugum Domini portare assuescant.

b) Parvuli usum rationis jam adepti obligantur iis legibus, quarum materia eorum aetati congruit, ac proinde tenentur e. g. Missam audire, abstinere a carnibus.

---

[1]) Hac de re praeclare Suarez scribit: „Haeretici sunt vere subjecti ecclesiasticae jurisdictioni: nam retinent characterem baptizmalem, quod est fundamentum hujus subjectionis. Et licet secundum praesentem statum non sint absolute membra, tamen aliquando fuerunt membra, et contra jus Ecclesiae acquisitum deliquerunt, se ab illa separando, semperque ad illam redire cogi possunt, quia signum ecclesiasticae jurisdictionis semper in se retinent et ratione illius veluti inchoationem quandam habent membrorum Ecclesiae. Unde fit, ut ejus praeceptis obligentur et contra ea peccent illa non servando.“ De legib. Libr. IV. cap. 19. n. 2. Cf. etiam Lugo in op.: De fide, Dist. XXI. Sect. 1. et 2. Bellarmin: De Ecclesia Libr. III. cap. 4. et 22.

[2]) Benedictus XIV. in Brevi ad Card. Eborac. die 9. Febr. 1749. scribit: *„Haeretici Ecclesiae subditi sunt, et legibus ecclesiasticis tenentur.“* Eandemque doctrinam late prosequitur Pius VII. in litteris: *Etsi fraternitatis* ad archiep. Mogunt. die 8. Oct. 1803. datis, inter alia dicens: *„Sed quid dicendum erit de illorum sententia, qui jactant, haereticos Ecclesiae legibus nequaquam subjici, atque inde posse illos novo conjugii foedere copulari, si primum publicae auctoritatis judicio solutum fuerit, praepostere inferunt? Adversus illam clamant scriptura, Concilia, Traditio denique universa. — — Hi baptizati Ecclesiae filii, quamquam rebelles et transfugae, ejusdem Ecclesiae legibus subjiciuntur; quare jam in illos potestatem exercere nequaquam praetermisit Ecclesia, potestate sibi divinitus data* etc.

[3]) Gury Tom. I. n. 92. Scavini Lib. I. n. 192. (Ed. 12.)

Quidam Theologi *non improbabiliter* putant, nullum parvulum ante septennium obligari ad Ecclesiae leges, licet jamjam adeptus sit usum rationis, quia id evenit per accidens, lex autem non respicit, nisi quod communiter contingit. *Probabilius* autem s. Alphonsus [1]) cum aliis multis contrarium censet, videlicet eos etiam parvulos, qui ante septennium ad usum rationis pervenerant, ad observanda praecepta ecclesiastica obstringi, „quia omnis homo ratione utens legi subditus est." Parvuli, qui ad annos discretionis pervenerunt, *adulti* vocantur.

c) Delirantes ad breve tempus vel habentes lucida intervalla legibus ecclesiasticis obstringuntur, quia lex, quae antea, cum pervenerant ad usum rationis, eos comprehendit, in illos retinet vim suam. Idemque de ebriis valet, quare illicitum est, eis carnes ministrare manducandas die praecepti.

6. — Restat exponendum, quibus legibus *peregrini* teneantur.

Peregrini dicuntur, qui in aliquem locum veniunt animo non manendi, sed tantum subsistendi per aliquot dies vel ad summum per minorem anni partem, ut viatores, mercatores; non autem studiosi, famuli et similis conditionis homines, qui quippe obtinent *quasidomicilium*. Et illi, qui quasi-domicilium habent, sunt vere subditi loci, in quo habitant.

1. Peregrini ad leges speciales sui territorii, quo egressi sunt, a) certe non tenentur, si non exeant directa intentione legem vitandi, quia lex est territorialis, nec afficit personas, nisi per territorium (§. 24. n. 1.); imo b) *probabilius* nec tenentur, etsi abeant animo se obligationi legis subducendi, quia lex non prohibet exire e loco, sed praecipit tantum, ut observetur ab eis, qui in loco subsistunt.[2]) Facile autem peccabunt contra legem naturalem ratione scandali vel passionis inordinatae.

2. Non tenentur, saltem *probabilius*, ad leges speciales loci, in quo morantur, secluso scandalo, quia lex non obligat nisi subditos. Excipiuntur tamen leges speciales a) quoad contractus, ut omnis confusio evitetur, b) quoad delicta, expedit enim, ut ubique scelera puniantur, et c) quoad necessaria ad bonum commune, e. g.

[1]) Theol. mor. Lib. I. n. 155. Lib. IV. n. 270. et 1012. H. A. Tr. II. n. 37.

[2]) S. Alphons. Th. m. Libr. I. n. 157. et alii communius.

vectigalia, quia aequum est, ut qui in alieno loco commoda sentit, etiam sentiat onera legum necessaria ad bonum commune. [1])

3. Obligantur legibus communibus in eo loco vigentibus, etsi in suo territorio essent abrogatae, eo ipso, quod sunt universales, et quia privilegio loci non gaudent absentes. [2]) Quodsi lex aliqua communis in loco, ubi morantur peregrini, non vigeat, tunc ipsi quoque eximuntur, licet eadem lex in proprio territorio valeat: quia privilegio locali frui possunt omnes, qui in loco morantur. [3]) Sic e. g. Gallus festo Epiphaniae pro Gallia suppresso in Austria existens sacrum audire debet; Austriacus eodem festo in Gallia degens sacro interesse non tenetur.

* S. Alphonsus: Theol. mor. Libr. I. n 153—161. — Roncaglia: Theol. univ. moralis Tom. I. Tract. III. Quaestio 3. cap. 1. Voit: Theol. mor. P. I. n. 176. 207—221. Mazzotta: Theologia moralis Tract. I. Disp. II. Quaest. 3. (per 5 capita). Reiffenstuel: Theologia moralis additionibus ab Massaeo Kresslinger et Dalmatio Kickh aucta Tom. I. Tr. II. Dist. 3. (Pedeponti 1756.) Elbel: Theolog. mor. Tom. I. Conf. 13. n. 351—383. Scavini: Theologia moralis universa, Tom. I. n. 191—196. (Ed. 12. Mediol. 1874.) Lehmkuhl: Theol. moralis, Vol. I. pag. 98—104. Friburgi 1883.

Casus.

7. — *Gertrudis 1. filias suas octo et novem annorum hactenus numquam in ecclesiam misit, ut sacro interessent. 2. Famulo suo Hussitarum sectae addicto diebus festis opera servilia peragenda injungit. 3. Marito suo, dum feria sexta perfecte ebrius domum venit, carnem anserinam a feria quinta residuam edendam praebet, nec impedit filiolum suum cum patre carnem pariter manducantem. 4. Alium filium amentem exemplo suo ad imprecationes et blasphemias provocat. Quaeritur: An in his peccaverit?*

Resp. *ad 1. Aff.*, quia parvuli, ubi ad usum rationis pervenerunt, ad praecepta ecclesiastica, quorum materiae eorum aetati congruunt, tenentur. Ordinarie post septimum aetatis annum censentur perfectum habere usum rationis. Quodsi prius jam ratione uti valeant, probabilius tunc jam obligantur ad praecepta Ecclesiae observanda. Vide supra n. 5.

Ad 2. Aff., quia coll. n. 5. haeretici obligati existunt ad Ecclesiae praescripta exequenda.

Ad 3. Aff. quoad maritum, licet hic, utpote sui impos, formaliter non peccaverit. Patet ex dictis n. 5. *Dist.* quoad puerum, utrum videlicet jam ratione utatur an non; unde solutio patet.

Ad 4. Aff., quia imprecationes et blasphemiae repugnant legi naturali, cui et amentes subjiciuntur. Vid. supra n. 3.

8. — *Casimirus sacerdos veluti venator animarum multos infideles paucis annis ad fidem catholicam convertit. Nuper duos Judaeos Polonos, maritum et ejusdem*

[1]) S. Alph. Libr. I. n. 156. 159. 160. et alii communiter.

[2]) S. Alph. n. 156 ex sententia communi.

[3]) S. Alph. n. 157. et 161. et alii omnes.

uxorem, paulo post duos conjuges lutheranos Saxones in sinum Ecclesiae suscepit. Mox cognoscit, matrimonia illa inita fuisse obstantibus impedimentis juris ecclesiastici. Quaeritur: An matrimonia, de quibus sermo, sint valida?

Resp. *Aff.*, quoad matrimonium Judaeorum, *neg.*, quoad matrimonium protestantium conjugum. Ratio in promptu est. Recole dicta n. 5. sub 1.

9. — *Florianus 1. in pago quodam dioecesi Brunnensi adjacente habitans festo ss. Cyrilli et Methodii, quod est ibidem solemne, agrum suum in eadem dioecesi situm colit. 2. Cum in diversis locis ad negotia curanda ut peregrinus moratur, legem abstinentiae a carnibus non observat, ob dispensationem, qua incolae gaudent. 3. Meridie exiens e loco, ubi non est jejunium, carnibus vescitur, nec a carnibus abstinet domum reversus, ubi jejunium est praescriptum. 4. Cumque in dioecesi adjacente publicatum sit indultum, vescendi carnibus Sabbato quatuor temporum, in illam migrat, ut eodem privilegio fruatur. Quaeritur: An Florianus in singulis casibus peccaverit?*

Resp. *ad 1 Neg. per se*, quia peregrini non tenentur ad leges speciales loci, in quo morantur. Dico: *per se*, etenim vix non peccavit scandalo contra legem naturalem. Cf. n. 6. sub 2.

Ad 2. Neg. quia peregrini licite frui possunt privilegio locali. Vid. n. 6. sub 3.

Ad 3. Non peccavit carnes manducando, subsistens in loco, ubi jejunium non viguit. Sed peccavit vescendo carnibus domi, ubi jejunium erat praescriptum. Ratio patet ex dictis n. 5. et 6.

Ad 4. Probabilius non peccavit contra legem ecclesiasticam de abstinentia a carnibus, migrando in alienam dioecesim, in qua dispensatio viguit, licet id fecerit animo se subducendi legis vinculo. At vero peccavit contra legem naturae ratione gulae et forte etiam scandali. Igitur in praxi talis agendi ratio omnino est inhibenda. Vide dicta n. 6. sub 1. Ad rem faciunt, quae habentur in op.: Casus conscientiae ex mandato olim Cardin. et Arch. Bonon. Prosperi Lambertini, deinde P. M. Benedicti XIV. propositi ac resoluti, anno 1781. mense Martii cas. 1.:[1]) „Cum Mediolani essemus, viginti aut tringinta fere abhinc annis, malus usus obtinuerat, ut primis quatuor Quadragesimae diebus, quidam ex finitimo populo Romani ritus in Mediolanensem districtum venirent et contra Mediolanenses diebus Rogationum ritus Ambrosiani ad finitima illa Romani ritus loca declinarent, ut contra legem propriam publice carnibus vescerentur: Maria Theresia imperatrix, cujus fatum nuper universa doluit Europa, rem ut abusum et scandalum detestata, edicto suo usum malum vetuit, et comminatis poenis insectata est. Ergone quae saeculares principes pro sua pietate et zelo in legum ecclesiasticarum custodiam populis vetant,[2]) Theologiae christianae doctores insinuabunt?“

§. 54.

De promulgatione legis.

Quid sit promulgatio legis, superius §. 27. n. 2. definitum est.

PRINCIPIA.

1. — **Principium I.** Certum est, promulgationem legis necessario requiri, ut lex vim obligandi sortiatur. Recole dicta §. 27. n. 2.

Hinc 1. non obligat lex jam quidem *lata sed nondum promulgata*, ideoque ille, qui notitiam privatam legis jam conditae et mox

[1]) Tom. V. edit. Monaster. a. 1856. pag. 284.

[2]) Sed tempora sunt mutata!

promulgandae habet, eam implere non tenetur, usque dum revera promulgata sit.

2. Non obligat lex *dubie promulgata*, quia per dubiam promulgationem lex ipsa dubia fit. lex autem dubia non obligat. Excipitur tamen, si lex fuerit jam usu recepta, tunc enim revera manifestata est.[1])

3. Obligat *lex humana promulgata* semper *in foro externo*, quamvis sint, qui legis promulgatae notitiam non habeant; si namque omnes et singuli scire deberent promulgationem legis factam, tunc vix aliqua lex humana haberetur vi obligandi instructa, cum ferme semper inveniantur, qui legis notitiam non habent. Qui se excusare nititur ratione ignorantiae, probare debet, se invincibiliter ignorasse legem.[2]) *In foro* autem *interno* certe notitia legis requiritur, ut ejus transgressio peccatum inducat, quia nemini ad peccatum imputari potest violatio legis, quam ignoravit.

2. — **Principium II.** *Modus* promulgandi leges diversus est et a voluntate legislatoris pendet. — 1. *Lex naturalis* promulgatur eo ipso, quod Deus eam mentibus hominum inseruit, naturaliter cognoscendam, ut dicit s. Thomas,[3]) et quidem *habitualiter* cum primum menti hominis imprimitur, *actualiter*, quando unusquisque usu rationis incipit eam cognoscere.[4]) 2. *Lex nova* promulgatur praedicatione, nam *„quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine praedicante? — Ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi.“* Rom. 10, 14. 17. Denique 3. *Leges humanae* vel voce vel scripto publice denuntiari solent.

3. — **Principium III.** Lex statim obligat ac promulgata est, nisi tempus, quo incipere debeat ejus observatio, a legislatore determinetur. Et sic Benedictus XIV.[5]) dicit, quod Episcoporum leges facta earum promulgatione statim unumquemque ligant, qui earundem notitiam quoquo modo habuerit.

[1]) S. Alph. Libr. I. n. 97.

[2]) La Croix: Theol. mor. Lib. I. n. 772. Elbel: Theol. mor. Tom. I. Confer. XV. n. 418. cum communi aliorum.

[3]) 1. 2. q. 90. a. 4. ad 1. *Conc. Prov. Burdigalens.* a. 1868. cap. 4. n. 4. „Promulgatur in homine per rationem, et per conscientiam ipsi applicatur.“

[4]) S. Alph. Libr. I. n. 73. — Possunt tamen ea, quae juris naturalis sunt, praeter promulgationem per lumen naturale hominibus ingenitum, promulgari etiam externo medio, prout promulgatur jus positivum divinum. Sic recte observat Bouix: De principiis juris canonici pag. 31. Monasterii. 1853.

[5]) De Synodo Dioeces. Libr. XIII. cap. 4. n. 2.

4. — Sed quaeritur, *an leges Pontificiae Romae tantum promulgatae statim obligent in tota ecclesia, quamprimum constiterit, eas Romae esse promulgatas?*

Resp.: 1) Certum est, tales leges statim earum gnaros obligare, si versentur circa materiam fidei et morum, prout si e. g. aliqua sententia tamquam *haeretica, impia* etc. esset damnata, cum aliunde lege divina ad haec teneamur.

2) Vera et omnino tenenda sententia est, quam cum Benedicto XIV. Theologi communius tradunt, etiam alias leges Sedis Apostolicae, quae Romae promulgatae sunt, obligare omnes, qui eas Romae promulgatas certo noverint, etiamsi in eorum provinciis promulgatae non sint; quia, ut Scavini egregie multa paucis complectens ait, Pontifices Romani sic obligare possunt et volunt: a) *possunt,* quia modus promulgationis juxta omnes ab arbitrio legislatoris pendet (coll. Princ. II.); b) *volunt,* quia in Bullis suis apponere solent clausulam, qua declarant, se intendere, *sic publicatas ab omnibus, ad quos spectant, perinde habendas esse ac si unicuique illorum personaliter intimatae fuissent vel exhibitae;* et quia Romae omnes causae ecclesiasticae judicantur et definiuntur juxta Bullas ibi tantum promulgatas; quod non esset justum, si in aliis locis illae leges non obligarent absque speciali promulgatione in eis facta. [1]) — Excipit tamen s. Alphonsus [2]) *cum aliis* leges illas Ecclesiasticas, quae infirmant aliquem contractum sua natura validum, aut jurisdictionem auferunt, v. g. in Sacramento Poenitentiae statuentes casus Romano Pontifici reservatos, circa quas leges, inquit s. Doctor, benigne interpretari possumus, mentem esse Pontificis, quod nolit eas effectum habere, nisi postquam fuerint in dioecesibus promulgatae; alioquin ipsae in detrimentum plurimorum redundarent.

Porro dicunt, leges Pontificias *statim* a promulgatione facta in curia Romana obligare omnes, qui eas nossent, nisi aliud in eis sit statutum. [3])

---

[1]) Consulatur etiam D. Bouix: De principiis juris canonici P. II. Sect. 2. cap. 6. — Si leges Pontificiae necessario deberent in singulis provinciis promulgari, ut vim obligandi sortiantur: plurimae hujusmodi leges non obligarent, quia promulgatio in provinciis potest impediri, et facto impeditur ab iis, qui hanc damnatam propositionem tenent: *Episcopis sine Gubernii venia fas non est vel ipsas Apostolicas litteras promulgare.* Syllab. n. 28.

[2]) Libr. I. n. 96. quaest. 1.

[3]) Sic in Bulla s. Pii V. de observantia Concilii Tridentini dicitur, leges hujus Synodi non obligare nisi post tres menses a finito Concilio, et legem irritantem matrimonium clandestinum non obligare nisi post 30 dies a facta promulgatione in Parochia.

Casus.

5. — *Wenceslaus a principis consiliario comperitur proxime edicto publico vetitum iri, ne frumentum in alienas provincias evehatur. Hinc maxima quantitate evehere frumentum festinat, antequam lex illa publicetur. An licite?*

Philippus contra legis prohibitionem venatur, nesciens talem prohibitionem esse publice factam; comprehensus vero ad mulctam solvendam damnatur. Quaeritur: An peccaverit et mulctam solvere teneatur?

Florianus audivit, prohibitum esse, ne arma in exteras terras vendantur; sed cum dubitet, hanc legem esse promulgatam, arma cum magno lucro exteris vendere pergit. Quaeritur, an peccaverit?

Resp. *ad 1. Aff.*, si quidem lex nondum promulgata non obligat. *Promulgatio necessaria est ad hoc, quod lex habeat suam virtutem,* nempe obligandi, Angelicus [1]) ait.

Ad 2. Longe aliud est, legem promulgari, et aliud, legem divulgari. Per divulgationem videlicet extenditur quodammodo promulgatio legis facta ad eos, qui promulgationem praeteritam hactenus ignorant. Porro ad legis valorem non est necessaria divulgatio; nam si aliter esset, vix ulla haberetur lex humana obligandi vi roborata, ut n. 1. sub 3. probavimus. Nihilominus tamen fatendum, eos, qui inculpabiliter legis promulgationem ignorant, non peccare formaliter, etsi contra eam agant; nihil enim potest esse volitum, quin praecognitum: quod autem non est volitum, nequit esse formaliter peccaminosum, ut pariter innuimus n. 1. sub 3. Unde liquet, quod Philippus non quidem peccavit, attamen ad mulctam solvendam tenetur, nisi ignorantiam efficaciter probare valeat.

Ad 3. Neg. per se, dummodo inquisitione facta dubium perseveret, quia lex dubia non obligat. Dico: *per se,* etenim aliunde lege naturali poterat esse obligatus ad arma non vendenda e. g. ne cooperetur ad bellum injustum, ad seditionem.

6. — *Ladislaus mercator Pestinensis, anno 1849. a Stephano cive Budensi 300 florenos mutuos accepit, equidem in sic dictis Notis a Kossutt regiminis in Hungaria usurpatore monetarum loco in commercium publicum emissis. Non multo post regni ordine restituto Ladislaus certior factus est de lege mox publicanda, per quam istae Notae Kossuttianae nullius valoris esse declararentur; idcirco privata hac notitia in suum commodum usus confestim per Notas praedictas Stephano debitum resolvit. Hinc quaeritur: An Ladislaus peccaverit et num ad aliquid Stephano praestandum obligatus existat?*

Resp. *Neg.* ad utrumque. Etenim non egit contra legem, utpote quae ob defectum promulgationis nondum obligabat. Nec deliquit contra justitiam, quia tempore, quo mutuum reddidit, Notae illae suum valorem servabant. Neque peccavit contra charitatem, quae quippe non prohibet, ne quis imminens damnum a se potius, quam ab alio avertat. Ex aequitate tamen Ladislaus, si commode possit, creditori suo aliquid elargiatur. — Recte porro Laymann [2]) observat: „Fateor magistratum, ut accessores (vel consiliarios) injuste acturos, si ejusmodi decretum (certum genus pecuniae etc. interdicens), quod civibus omnibus aequaliter promulgatum esse convenit, alicui ante prodant, vel ipsimet ejus scientia utantur,

---

[1]) 1. 2. q. 90. a. 4.

[2]) Theol. m. Libr. III. Tract. IV. P. 3 n. 9.

cum reliquorum damno. Diversa autem ratio est de aliis, qui non sunt ex magistratu aut concilio: nam quibus nulla officii obligatio incumbit impedire, ne cives occasione publicorum decretorum damnum aliquod patiantur, ii nulla lege justitiae aut charitatis prohiberi videntur, quominus privata notitia ejusmodi decreti mox publicandi utantur."

§. 55.

De acceptatione legis.

1. — *Acceptatio legis dicitur submissio, qua subditi legem debite promulgatam approbant et observant.*

Evidens est, vim legis naturalis et positivae divinae nullo modo ab acceptatione hominum dependere.[1]) Nam quis asserere audebit, jussa divina hominum arbitrio relinqui? Ergo dum Deus homini aliquid praecipit, tenetur hic sese accommodare voluntati divinae. De humanis tantum legibus hic sermonem instituimus.

PRINCIPIA.

2. — **Principium I.** Legis acceptatio ex parte subditorum non requiritur, ut lex vim obligandi nanciscatur. Ratio est: 1) quia superiores societatis tam civilis quam ecclesiasticae potestatem legislativam a Deo, eamque independentem a populo habent, quapropter leges ab unico legislatore vim sortiuntur, qua unumquemque quantumvis reluctantem obstringunt; — 2) Apostolus clamat: *„qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit."* Rom. 13, 2., atqui potestati resistit, qui legem a potestate latam non acceptat; — 3) Alexander VII. condemnavit propositionem 28. ita sonantem: *Populus non peccat, etiamsi absque ulla causa non recipiat legem a principe promulgatam;* — 4) tandem, si legis jam promulgatae acceptatio adhuc ad essentiam et vim legis requireretur, legislatoris potestas plane evanesceret, omnis ordo in societate subverteretur, bonumque publicum in summum discrimen conjiceretur.

Ideo 1. Populus tenetur leges civiles rite publicatas absque cunctatione observare, nisi forte a justitia certo deflecterent, tunc enim per se irritae forent. In statu monarchico repraesentativo et democratico populus per suos deputatos in legibus quidem condendis participat, sed legibus conditis riteque promulgatis obtemperare debet.

[1]) *„Neque enim in lege divina ratio quaeritur, sed auctoritas,"* dicit s. Hieronymus: Dial. contra Pelag. n. 5.

2. Clerus et populus statuta ab Episcopo suo lata nec non leges in Synodo Provinciali aut Dioecesana praescriptas promptae executioni demandare obligantur.[1])

3. Episcoporum est, Constitutiones Pontificias nedum dogmaticas, sed etiam disciplinares in dioecesibus suis promulgare et in usum deducere.[2]) Ratio est, quia episcopi, licet superiores sint in dioecesibus suis, Summo tamen Pontifici, Christi in terris vicario, totius Ecclesiae Capiti et omnium Christianorum Patri et Doctori, subjiciuntur.

3. — *Quid autem, si episcopus viderit, promulgationi legis Pontificiae graves rationes obstare, an tunc regula praestituta exceptionem patitur?*

Resp. Episcopus, qui aliquam Sedis Apostolicae legem disciplinarem, licet in se bonam et laudabilem, suae tamen dioecesi ob peculiares loci circumstantias, quas Pontifex perspicere nequibat, opportunam non esse, vel noxium aliquem effectum producturam esse, rationabiliter arbitratur, *non solum non prohibetur, sed potius omnino tenetur,* ut Benedictus XIV.[3]) docet, rem Romano Pontifici referre et rationes suas exponere; atque interim legis obligatio suspenditur. Sedis Apostolicae judicio postea standum est, atque ideo, si rescribatur, objectas rationes a Summo Pontifice non probari, statim lex incipit obligare.[4]) Quodsi autem Pontifex relatione percepta taceat legisque executionem non urgeat, tunc ipse ab eadem eximere censetur, nisi ex circumstantiis aliud conjiciendum foret.

Item populus, qui legem civilem nimis duram reputat, pro ejus abrogatione apud principem supplicare potest, qui quum supplicatione cognita pro legis observantia non instet, populi voto assentire videtur. Num pendente supplicatione suspendatur obligatio legis, ex statutis cujusvis regni conjiciendum est. Quodsi princeps cognitis rationibus in sententia persistat, obedientia praestanda erit, nisi liquido constet, legem esse iniquam.

4. — **Principium II.** Lex quidem a subditorum acceptatione minime pendet, nihilominus tamen, quando a subditis non recipitur, tandem obligare desinit, si legislator non urgeat, quamvis primi legem non recipientes peccaverint; et quidem a) quando legislator

[1]) Bened. XIV. De Synodo Dioeces. Libr. 9. cap. 8. n. 4.

[2]) Bened. XIV. De Synodo Dioeces. Libr. 9. cap. 8. n. 1. et 3.

[3]) l. c.

[4]) Fuse hoc argumentum pertractat clariss. D. Bouix: Tract. de Principiis juris canonici P. II. Sect. 2. cap. 5. pag. 156. et sq. Monasterii 1853.

scit, suam legem negligi et cum commode possit, ejus observationem non urget; tunc lex jam *„post paucos transgressionis actus“* non amplius obligat, quia legislatorem eam tacite revocare praesumitur: et hoc *certum* videtur, ait Benedictus XIV.;[1]) b) quando legislator legem suam respui ignorat, tunc ad eandem tollendam necessarium et sufficiens esse decennium, communiter dicunt theologi, quibus Benedictus XIV. patrocinatur dicens: *„videtur ad hoc satis abunde esse decennium.“* [2])

In *dubio* autem, *an lex sit acceptata,* lex obligat, *„praesumitur enim factum, quod de jure faciendum erat.“* Vide infra §. 73. n. 10.

* Benedictus XIV.: De Synodo Dioecesana Libr. XIII. cap. 4. n. 4.; cap. 5. n. 3.; Libr. IX. cap. 8. totum. S. Alphonsus: Theol. mor. Libr. I. n. 136—139. — Suarez: De legibus Lib. III. cap. 19. Lib. IV. cap. 16. Laymann: Theol. mor. Libr. I. Tract. IV. cap. 3. Reiffenstuel: Theol. mor. Tract. II. De legib. Dist. I. Quaest. II. n. 33—40. Voit: Theol. mor. P. I. n. 144. 157—160.

Casus.

5. — *Parochus cum suo capellano de obligatione Bullarum Pontificiarum disputans asserit, permultas earum in Austria et Germania non obligare, cum gubernium civile earum acceptationem prohibuerit, et illae leges facto non sint acceptatae. Capellanus e contrario eas omnino obligare contendit, quia leges Pontificiae Romae urbi et orbi more solito promulgatae omnes, qui earum notitiam tenent, certe obstringunt. Quaeritur, quid juris sit?*

Resp. Uterque veris falsa admiscet. Verum est in assertione parochi, leges non acceptatas aliquando vi sua destitui: falsum vero dicendum, prohibitionem regiminis civilis efficere posse, ne leges ecclesiasticae vim obligandi sortiantur, quia Ecclesia potestatem legislativam a Christo independentem a regimine civili possidet. (cf. §. 49.) Verum etiam est, quod capellanus defendit, videlicet, leges Pontificias Romae modo consueto solemniter publicatas cunctos, ad quos spectant, obligare; falsum vero, si arbitretur, eas nunquam et nullibi vi sua obligandi privari posse, cum, ut diximus, leges nunquam usu receptae post certum tempus elapsum obligare desinant. Dicendum ergo est, nonnullas Constitutiones Sedis Apostolicae, quae circa disciplinam exteriorem versantur, in variis provinciis non obligare, quia reapse nunquam acceptatae sunt. Et esto quod primi episcopi leges Pontificias in usum non deducendo forte peccaverint, successores tamen eorum elapso tempore supra indicato rationabiliter censere possunt eas jam esse sublatas, et consequenter nec ipsi et eo minus dioecesani illas non observando peccant. Idem statuendum est, si leges Pontificiae ab initio acceptatae postmodum in desuetudinem abierunt;[3]) de qua re infra dicetur §. 67. Notatu vero dignum est, episcopos modo in dies conari, ut leges Pontificiae executioni mandentur.

[1]) De Synodo Dioeces. Libr. XIII. cap. 5. n. 3.

[2]) Ibidem. Igitur lex desinit obligare, non quia acceptata non fuit, sed quia ex consensu legislatoris sublata fuit.

[3]) Vid. s. Alphonsus: Libr. I. n. 137. 5. Reiffenstuel: Tract. II. de Legib. Dist. 1. q. 4. n. 39. et 40. Suarez: Delegib. Lib. IV. cap. 16. n. 9. Pirhing: Tit. de Constit. n. 42.

§. 56.

De vi et obligatione legum.

Agendum 1. de vi et obligatione legum generatim, et 2. de vi et obligatione quarundam specialium legum.

A. De vi et obligatione legum generatim.

1. — I. Lex quaelibet obligat in conscientia ad aliquid faciendum vel omittendum, — aut sub culpa aut sub poena, aut sub culpa et poena simul. Ratio est, quia secus deesset sanctio necessario requisita, ut subditi efficaciter, quantum expedit bono communi, ad legis observantiam adducantur. Ecquidem lex naturalis et positiva divina sub culpa et poena divina obligat; lex humana ordinarie sub culpa, adeoque etiam sub poena divina obstringit, *qui* enim potestati *resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.* Rom. 13, 2., porro non raro sub poena quoque humana, ea videlicet, quae a potestate sive ecclesiastica sive civili in legis cujuspiam transgressores statuitur.[1]) An vero leges humanae quandoque sub poena tantum obligare possint vel et reapse obligent, inferius solerter expendendum veniet.

2. — Non omne legis praeceptum omni tempore obligat. Videlicet praeceptum *affirmativum,* prout e. g. fidem profiteri, proximum corrigere, obligat *semper, sed non pro semper;* at vero *negativum,* prout e. g. fidem non negare, non mentiri, obligat *semper et pro semper* i. e. singulis momentis.

3. — II. Lex generatim aut sub gravi aut sub levi peccato subditos obstringit. Gravitas obligationis cognoscitur 1. ex gravitate materiae, si nimirum objectum legis vel secundum se vel respectu finis et circumstantiarum in aestimatione morali est aliquid notabile seu multum conducit ad rectum ordinem servandum aut perturbandum; — 2. ex gravitate verborum, quibus legis obligatio adstruitur, ut si dicatur: *graviter mandamus, in virtute obedientiae praecipimus, sub indignatione Dei et Apostolorum interdicimus* etc.; — 3. ex gravitate poenae legis violatoribus dictatae, ut v. c. aeternae damnationis, excommunicationis, supplicii mortis, perpetui carceris; — 4. ex interpretatione prudentum et sensu communi.

[1]) Legislatorem civilem in conscientia obligare posse sub culpa, multis probant Bellarminus: De membris Ecclesiae militantis. Lib. III. cap. 11. Suarez: De Leg. Lib. III. cap. 21. n. 22.

4. — Quaeritur: 1. *An lex in materia gravi possit sub levi obligare?*

Resp. 1. Certum est, legem naturalem in materia gravi non posse sub veniali obligare, quia materia hujusmodi naturâ suâ graviter repugnat ordini recto. Et idem dicendum de evangelica lege.[1])

2. *Probabilius* lex mere humana in materia gravi sub levi obligare potest. Ratio, quia materia hujusmodi capax est levis obligationis, et modus obligandi per legem, sicuti lex ipsa a libera legislatoris voluntate pendet.[2]) Hinc e. g. episcopus per legem disciplinarem dioecesanos sub levi obstringere valet, licet illa circa materiam notabilem versetur.

Quaeritur 2. *An lex in materia levi sub gravi peccato obligare possit?*

Resp. 1. Certum est, legem naturalem et positivam divinam in materia, quae omni ex parte levis est, sub mortali peccato non obstringere.

2. Communissime Theologi cum P. M. Benedicto XIV.[3]) docent, legem humanam non posse gravem obligationem inducere in materia undequaque levi. Ratio a) quia nec lex divina tam rigorose obligat, ut praehabitum est; — b) quia nulla proportio inter materiam levem et culpam gravem intercedit, adeoque talis lex injusta foret; — et c) quia secus innumera peccata gravia adducerentur, salusque subditorum magno discrimini exponeretur.[4])

Verum lex bene potest sub gravi in materia per se levi obligare, si materia non sit undequaque levis, sed gravis evadat ex fine et circumstantiis.[5]) Sic e. g. comestio fructus de ligno scientiae boni et mali in paradiso, licet de se levis, gravis tamen erat ratione finis a Deo per mandatum intenti, nempe, ut homo suam a Deo dependentiam profiteretur atque ipsi subjectionem fideli, humili, gratoque animo exhiberet. Non miscere aliquot guttulas aquae vino in Sacrificio Missae, est materia de se quidem levis, sed gravis

[1]) Reuter: Theol. mor. Tom. I. P. 1. n. 154. Stapf Tom. I. §. 60. „Quo magis ordo moralis per actum aliquem evertitur, eo magis lex divina ab ejusmodi ausu nos absterret."

[2]) S. Alphons: Libr. I. n. 143.

[3]) De Synodo Dioeces. Lib. X. c. 1. n. 3.

[4]) S. Alphons. Libr. I. n. 141. Hinc cum res levis sit, non peccat mortaliter transgrediens legem, etsi superior sub mortali praeceperit.

[5]) S. Alphons. n. 142.

ratione finis; intendit enim Ecclesia per illam mixtionem significare conjunctionem Verbi divini cum humanitate et Christi cum Ecclesia, fluxumque sanguinis et aquae de latere Christi. Post haustum etiam modicum percipere ss. Communionem, est materia gravis, quia Ecclesia per praeceptum jejunii naturalis indicare vult summam tremendamque sanctitatem Eucharistiae Sacramenti.[1])

5. — III. *Formalis* contemtus legis vel legislatoris reatum mortalis peccati inducit etiam in re minima. Ita omnes docent. Dico: *formalis*, i. e. deliberatus contemtus legis vel legislatoris qua talis, qui obtinet, quando quis ideo legem transgreditur, quia non vult esse subjectus legi ex indignatione erga ipsam legem vel legislatricem potestatem, quasi vilis et abjecta esset.[2]) Ratio assertionis est, quia si lex quaecunque vel legislator directe contemnitur, Dei auctoritas rejicitur, a qua quippe omnis lex, omnisque imperandi potestas dimanat, unde Christus Dominus ad superiores dixit: „*Qui vos spernit, me spernit.*" Luc. 10, 16. — Idem censendum de contemtu formali eorum, quae a Deo et Ecclesia ut consilia proponuntur, prout e. g. statum religiosum, aquae benedictae aspersionem, ex formali contemtu negligere.[3]) — Talis contemtus est peccatum superbiae consummatae,[4]) atque ad eum, ut d. Thomas[5]) observat, consuetudo peccandi disponit et adducit juxta illud Prov. 18, 3. „*Impius, cum in profundum venerit peccatorum, contemnit.*"

Materialis autem contemtus legis est vel mortalis vel venialis pro quantitate materiae; et tunc obtinet, quando quis auctoritatem legis vel legislatoris admittit, sed obsequium ei hic et nunc denegat ex prava animi affectione et cupiditate, cui indulgere intendit. Hic in omnibus violationibus cujuscunque legis reperitur.

* S. Bernardus: Lib. de Praecepto et Dispensatione, cap. 8. (gravius peccari legum contemptu, quam neglectu), cap. 11. (praecepta esse imparia, adeoque dispares culpas). S. Alphonsus: Theologia moralis Libr. I. n. 140—144. Libr. II. n. 61. Libr. V. n. 160. — Laymann: Theologia moralis Libr. I. Tract. IV. cap. 14. n. 1.—4. Tract. III. cap. 7. n. 2.—7. Reuter; Theologia moralis Tom. I. P. I. n. 149. 151.—154.

[1]) Alia exempla invenies penes P. M. Benedictum XIV.: De Synodo Dioeces. Libr. X. cap. 3. n. 1. et 2.

[2]) Laymann: Theol. mor. Libr. I. Tract. 3. cap. 7. n. 2. Cf. s. Thom. 2. 2. q. 186. a. 9. ad 3. S. Alphons. Libr. II. n. 61. Late La Croix: Theol. mor. Libr. V. n. 237. et sq.

[3]) S. Alphons Lib. II. n. 61. Laymann: Libr. I. Tract. 3. cap. 7. n. 5. La Croix: Libr. V. n. 245. et alii.

[4]) S. Alphons. Libr. II. n. 61. Laymann: Libr. I. Tract. 3. cap. 7. n. 5.

[5]) 2. 2. q. 186. a. 9. ad 3.

Casus.

6. — *Princeps statutum edidit, vi cujus singuli cives secundum proportionem redituum annuorum contribuerent ad sublevanda onera publica; qua de causa voluit, ut singuli tam conscientiose, quam si juramentum ad veritatem confirmandam emisissent, reditus annuos magistratui singulis annis profiterentur. Displicet quam maxime hoc statutum alicui advocato satis diviti, qui dehinc illi obsequi renuit, his quidem argumentis subnixus: 1) a potestate temporali non potest procedere vinculum spirituale; atqui per hoc statutum a potestate civili injicitur nobis vinculum spirituale, videlicit obligatio in conscientia; ergo talis obligatio in casu proposito, utpote impossibilis, cives non afficit; 2) nemo potest obligare, ubi non potest judicare, sed magistratus non valet cognoscere, an cives statum bonorum, quae singulis annis acquirunt, conscientiose indicaverint; ergo. Quid illi respondendum?*

Resp. *ad 1.* Potestas civilis est participatio quaedam divinae potestatis, ergo ut talis spirituale vinculum subditis imponere seu in conscientia eos obligare valet. Principes enim attestantibus ss. scripturis sunt ministri Dei, et ab eo habent auctoritatem et loco ejus imperant et judicant. Recole dicta §. 50.

Ad 2. Hoc axioma juris tenet per se loquendo, si quaestio est de actibus mere internis, — quapropter Theologi communissime docent, legislatorem civilem non posse praecipere vel prohibere actus mere internos, qui quippe aliorum cognitioni et judicio subjecti non sunt. At vero in proposito fit obligatio ad actionem externam fideliter ponendam, ad quam potestas civilis jure meritoque obligare potest. Cf. §. 51. — Ceterum in hujusmodi casu etiam attendi debet *consuetudo*, per quam ex lege mixta (obligante sub culpa et poena) fieri posse legem mere poenalem, observant *Suarez*,[1]) *Laymann*,[2]) *Reiffenstuel*,[3]) qui addunt, id fortasse contingere in legibus civilibus imponentibus exactiones. Vid. infra §. 67. n. 1.

7. — *Arnodus parochus percepto episcopi mandato, quo innovabatur obligatio, ut cura parochorum coram tabernaculo ss. Sacramenti diu noctuque perpetuo lampas colluceat, recusat assentire Eusebio, parocho vicino asserenti, in hoc mandato agi de re gravi, adeoque graviter peccare parochum, cujus incuria per diem integrum lampas ante ss. Sacramentum non luceat. Quaeritur: An Eusebius recte judicaverit?*

Resp. *Aff.* juxta communem Theologorum sententiam. Etenim gravis est haec res dicenda ex fine, ad quem accensio lampadis coram tabernaculo ss. Sacramenti ordinantur, siquidem fit in signum reverentiae exhibendae ss. Sacramento, in quo continetur is, qui est candor lucis aeternae et inextinguibile lumen ejus; tum ut indicetur Christum Dominum ibidem viva fide et ardenti charitate adorandum et colendum esse. Hinc dicunt graviter eum peccare, qui integro die negligit asservare lumen coram ss. Sacramento. Lib. III. §. 102. n. 2. sub 7.

8. — *Superioris cujusdam mandato plures subditi obedire nolunt, alii, quia superiorem tamquam hominem imperitum despiciunt, alii ex peculiari indignatione contra ipsum, a quo quippe poenis saepius sunt afflicti, unus denique, quia superiori subesse renititur, atque ut dicere solet, sui juris esse vult. Contemtum omnes illi produnt, an vero formalem, et num omnes graviter peccant?*

Resp. Ultimus manifestat formalem contemtum superioris, supposito, quod contemtus sit deliberatus et omnino voluntarius; superiorem namque et formaliter

[1]) Lib. VII. de legibus cap. 9. n. 11.
[2]) Theol. mor. Lib. I. Tr. IV. cap. 24. n. 12.
[3]) Theol. mor. Tract. II. Dist. 2. n. 33.

talem contemnit, proinde graviter peccat, quantumvis levis sit materia, circa quam mandatum superioris versatur. Reliqui non eodem modo delinquunt, quia superiorem non qua talem, sed ob aliquam personae qualitatem et ex ira vilipendunt; hinc graviter non peccant, nisi agatur de re gravi praecepta, vel affectio sit graviter mala vel judicium graviter temerarium. Cf. n. 5.

§. 57.

B. De vi et obligatione quarundam specialium legum.

Sermo nobis erit 1. de obligatione legis mere poenalis, 2. de obligatione legis mixtae, 3. de obligatione legis, quae in praesumtione fundatur, et 4. de obligatione legis irritantis.

I. De obligatione legis mere poenalis.

1. — Lex mere poenalis appellatur ea, quae non obligat sub peccato, sed *sub sola poena* a transgressoribus subeunda.

Expediendae occurrunt duae quaestiones: 1. An dari *possint* leges mere poenales, et 2. an *revera dentur* hujusmodi leges?

2. Quaestio I. *An dari possint leges mere poenales?*

Resp. Certum est hujusmodi leges dari posse. Sic fert doctrina communissima.[1]) Ratio est: a) quia tota vis legis a voluntate legislatoris dependet; hinc potest legislator ad solam poenam a legis transgressoribus subeundam obligare, si id bono communi promovendo sufficiat; b) quia valde conducit, subditos quandoque sub sola poena

[1]) S. Thomas ait: „—*aliquis interdum punitur sine culpa, non tamen sine causa.*“ 2. 2. q. 108. a. 4. c. Cf. 2. 2. q. 186. a. 9. ad 2. S. Alphonsus: Theol. mor. Libr. I. n. 145. existentiam legum pure poenalium ut certam praesupponit. Suarez: De Legib. Libr. V. cap. 4. Laymann: Theol. m. Libr. I. Tract. IV. cap. 15. n. 1. La Croix: Theol. mor. Libr. I. n. 607. 608. Reiffenstuel: Theol. mor. Tom. I. Tract. II. De Legib. n. 30—33. Reuter: Theol. mor. Tom. I. P. 1. n. 217. Elbel: Theol. mor. Decal. Tom. I. Confer. 11. n. 295. et 296. Voit: Theol. mor. P. 1. n. 180. Bolgeni: Untersuchungen über den Besitz. Aus dem Italien. 23. Hauptst. n. 270—274. Regensburg 1857. S. 237—242., qui passim etiam ostendere nituntur, hujusmodi leges revera existere; sic et alii, a quibus non discordant rigidiores Theologi, ut Antoine: Theol. mor. universa Tract. de Legib. cap. 8. q. 1., Collet: Tract. de Legib. cap. 5. art. 2. Sect. 1. Recentissime idem sentiunt: Card. Gousset: Moraltheolog. zum Gebrauche der Pfarrer und Beichtväter. 1. B. n. 154. (Uebers. Aachen 1851.), qui tamen subdit, quod in Gallia non videntur ejusmodi leges extare. Scavini: Theol. mor. univ. Lib. I. Tr. 2. n. 204. (Ed. 12.) Gury: Compend. Theol. mor. P. I. n. 133. Bouvier: Institut Theol. etc. pag. 585. 586. (Ed. 12. Parisiis 1861). Palasty: Theol. morum cathol. P. I. §. 12. (Ratisb. 1861) Simar: Lehrbuch der kathol. Moraltheologie §. 22. (Freiburg 1867.) Friedhoff: Allgemeine Moraltheol. §. 61. (Regensb. 1860). Pruner: Lehrb. der kath. Moraltheol. I. S. 75. et alii.

obstringi, ubi sic satis obtinetur finis legis, ne videlicet sine causa multiplicentur peccata.

Quaestio II. *An revera dentur leges mere poenales?*

Resp. 1. Certum est, regulas et constitutiones complurium ordinum religiosorum *per se* obligare non sub peccato, sed sub poena tantum pro regulae transgressione subeunda; id enim sancti ordinum religiosorum fundatores passim expressis verbis declararunt, ut s. Dominicus,[1]) s. Franciscus Salesius, s. Alphonsus. Dico: *per se*, etenim per accidens transgressio regulae seu constitutionis vix unquam culpa veniali vacabit, ratione scandali vel passionis inordinatae; et si fit ex contemptu formali, est peccatum mortale[2]) (§. 56. n. 5.). Verum substantialia status religiosi, nempe vota paupertatis, castitatis, et obedientiae per se sub peccato religiosos obstringunt. Nec aliae leges mere poenales in Ecclesia dantur.

2. In statu civili ob tantam legum multitudinem facilius invenies leges mere poenales. Communiter dicunt, sequentibus modis dignosci leges mere poenales: a) si materia legis tantum levis est et ad bonos mores nihil spectans, b) si doctorum et proborum persuasio legem aliquam esse talem arbitratur, et c) si obligatio legis quoad culpam per consuetudinem est abrogata, i. e. si per consuetudinem diuturnam lex aliqua ut poenalis habetur, nec aliter observatur, principe contrarium non declarante.[3]) Leges quaedam politicae non videntur esse nisi mere poenales, ut e. g. in nostra urbe statutum, in sinistra viae parte currus esse vehendos etc. Leges, quae praescribunt vectigalia aliaque tributa indirecta solvenda, *per se* mere poenales vix dici possunt. An vero ii, qui vectigalia similiaque tributa non solverant, semper sint urgendi ad restitutionem, data occasione considerabimus. — Ceterum notandum, quod transgressio legis poenalis, ex qua scandalum vel aliorum damnum sequitur, semper peccatum est, nempe contra legem naturalem, quae quippe talia prohibet.

---

[1]) De Constitutionibus ordinis hujus videatur s. Thomas 2. 2. q. 186. a. 9. ad 1. De regulis Societatis Jesu idem dicit Laymann: Lib. I. Tract. 3. c. 7. n. 5.

[2]) S. Alphons: Libr. V. a. 10. S. Thomas: 2. 2. q. 186. a. 9. ad 1. Bouix: De jure regularium Tom. IV. pag. 576. et sq. Parisiis 1857.

Regulae ordinum religiosorum non sunt mera consilia, sed habent rationem legis. Suarez: De Relig. Tom. IV. Tract. 8. Libr. I. c. 2. n. 2. Bouix: op. c. pag. 573.

[3]) S. Alphonsus: Libr. I. n. 145. Suarez: De Leg. Libr. V. cap. 4. Libr. VII. cap. 19. n. 11. Reiffenstuel: Tr. II De Leg. Dist. 2. n. 33. et alii.

* Suarez: De Legib. Lib. V. cap. 4. Collet: Tractatus de universa Theologia morali Tom. V. De Legib. cap. 5. art. 2. Sect. 1. Reiffenstuel: Theologia moralis pluribus additionibus aucta a Massaeo Kresslinger et Dalmatio Kickh: Tom. I. Tract. 2. De Legib. Dist. 2. q. 4. n. 29—33. Roncaglia: Theolog. mor. Tom. I. Tr. III. Q. 2. c. 2. Bolgeni: Untersuchungen über den Besitz. Aus dem Italien. 23. Hauptstück n. 270—274. S. 237—242. Regensb. 1857.

Difficultates.

3. — Obj. 1. *Quaelibet poena culpam supponit; ergo repugnat dari leges mere poenales seu obligantes ad poenam nulla culpa praecedente. 2. Alias nulla esset ratio inferendi majorem vel minorem poenam per tales leges, quia major vel minor poena infertur juxta proportionem culpae. 3. Omnis veri nominis lex est honesta et utilis, ac proinde non potest non sub peccato subditos obstringere. 4. Legibus poenalibus admissis dolo et fraudi porta lata aperitur in magnum societatis detrimentum.*

Resp. *ad 1.* Poena certo culpam supponit, vel theologicam i. e. defectum moris, qui est peccatum coram Deo, vel juridicam seu humanam i. e. defectum contra laudabilem reipublicae vel ordinis religiosi constitutionem, qui peccatum non necessario includit. Poenam non posse infligi, nisi praecedente culpa theologica, negandum est, quia etiam culpa juridica merito castigatur competenti poena. Et talem culpam supponunt leges mere poenales. Adde, quod irregularitas et interdictum etiam sine theologica culpa incurri possunt. *Poenâ damni*, s. Thomas ait, *punitur aliquis etiam secundum humanum judicium, etiam sine culpa* (theologica) *sed non sine causa.*[1])

Ad 2. Ratio inferendi majorem vel minorem poenam non solum esse potest major vel minor culpa, sed etiam major vel minor necessitas, malum societatis praecavendi et ejusdem bonum promovendi.

Ad 3. Ad bonum commune conservandum et promovendum, quod est finis legis, quandoque sub poena tantum obligare sufficit, imo et expedit, ut animarum pericula caveantur.

Ad 4. Fraudis molimina et artes per vigilum solertiam et poenas graves impediri possunt. Praeterea ad omnes fallacias praecavendas nec obligatio sub peccato sufficit, quia semper erunt homines perversi, qui Deum non timent, adeoque nec regem honorant (1. Petr. 2, 17.) et leges impie transgrediuntur.

§. 58.

II. De obligatione legis mixtae.

1. —Lex mixta a Theologis dicitur lex, quae tam sub culpa, quam sub poena obligat.

Poena alia est *ferendae sententiae*, illa nempe, quam lex delinquenti infligendam decernit per sententiam judicis; alia est *latae sententiae*, quae videlicet ipso facto, i. e. commisso crimine vi legis incurritur.

---

[1]) 2. 2. q. 108. a. 4. ad 2.

PRINCIPIA.

2. — **Principium I.** Poenae ferendae sententiae non subeundae sunt ante judicis sententiam, ut ex earum indole patet. Poenae latae sententiae ordinarie ante judicis sententiam incurruntur. Dico: *ordinarie;* excipiuntur enim a) poenae, quae aliquem privant jure acquisito, v. c. beneficio legitime obtento, et b) poenae, quae actionem in reo requirunt, prouti v. g. est poena carceris: quae quidem poenae non incurruntur ante declarationem juridicam saltem criminis, licet in lege inveniatur clausula apposita: *„nulla declaratione exspectata;"* cum enim lex poenalis in mitiori sensu accipienda sit, verba praefata non immerito explicantur: nulla declaratione poenae secuta seu exspectata, quin declaratio criminis excludatur. Ratio praedictae exceptionis est, quia legem humanam oportet esse congruam hominum naturae; valde autem grave foret, si delinquens semetipsum jure legitime acquisito privare, vel acerbam poenam actu exequi in semetipsum teneretur.[1])

3. — **Principium II.** Ignorantia legis, quae excusat ab omni culpa, etiam ab omni poena in foro interno excusat, quia poena decernitur ob culpam, ergo cessante causa effectus quoque a lege statutus cessare debet.[2]) Si autem in foro externo poena a judice dictetur, ea subeunda est, licet culpa absit, quia auctoritati publicae nunquam resistere licet.

4. — **Principium III.** Ignorantia legis, quae a culpa non excusat, consequenter non eximit a sustinenda poena proportionata, ut patet.

Nec ignorantia solius poenae ab eadem subeunda liberat, quia unicuique ratio dictat, violationem legis secundum rei naturam esse puniendam, quapropter ille, qui sciens et volens contra legem agit, de injuria ob poenam sibi impositam conqueri nequit, quamvis illam pro speciali delicto a se commisso ignoraverit. Sic e. g. fur non eximitur a poena carceris, homicida a poena mortis, ob ignorantiam, tales poenas pro istis criminibus esse statutas. — Excipitur tamen a) si poena ignorata sit gravissima et extraordinaria, ita

[1]) Vide s. Alph.: Libr. I. n. 148. et 149. — Eadem fere, dicit Stapf: Tom. I. §. 64., de poenis per leges civiles statutis obtinent, ubi pariter nemo semetipsum sistere vel ante judicis sententiam semet taxatis poenis ultro subjicere tenetur.

[2]) S. Alph.: Libr. I. n. 169. cum Laymann: Libr. I. Tract. IV. cap. 20. et aliis communiter.

ut secundum rei naturam ne in confuso quidem possit praevideri: tunc enim ex justitia poena saltem imminui debet; — b) si poena ignorata sit censura ecclesiastica e. g. excommunicatio, quia ad hanc incurrendam requiritur contumacia, quae autem poenae cognitionem supponit; — c) si poena ignorata sit indicta „ausu temerario praesumentibus", vel „consulto seu scienter agentibus;" tunc quippe excusat ignorantia crassa, non vero affectata, quia haec, non illa temeritati et scientiae aequivalet.[1])

* S. Alphonsus: Theologia moralis Libr. I. n. 147—149. 169. Libr. VII. n. 47. et 48. — Laymann: Theologia moralis, Libr. I. Tract. II. cap. 15. n. 2—9; cap. 20. totum. Roncaglia: Theol. mor. Tom. I. Tract. III. Q. 2. cap. 2. Mazzotta: Theologia moralis Tract. I. Disp. II. Quaest. III. cap. 6. Scavini: Theologia moralis universa, Lib. I. n. 205—207. (Edit. 12. Mediolani 1874.)

Casus.

5. — *Rudolphus armis instructus transit per regionem, in qua sub mortis supplicio vetitum est, arma ferre. Quaeritur: An afficiendus sit hac poena, si eam inculpate ignoraverit, licet prohibitionem cognoverit?*

Adolphus quadam nocte incidens in parochum, quem diuturno odio prosequitur, graviter eum vulnerat ictibus multis, nesciens tamen pro hoc crimine excommunicationem latae sententiae ab Ecclesia esse statutam. Hinc quaeritur: An sit excommunicatus?

Resp. *ad 1. Neg.*, quia illa poena est extraordinaria, a qua subeunda ignorantia inculpabilis merito excusat, ut supra n. 4. dictum est.

Ad 2. Neg., quia censura ecclesiastica, qualis est excommunicatio non incurritur, si ignoretur, eam pro illo delicto, quod perpetratur, ab Ecclesia esse statutam.[2])

6. — *Caesarius sacerdos solemniter rebaptizat sub conditione infantem, quem ab obstetrice valide baptizatum esse, exploratum habuit. Cumque lex ecclesiastica irregularitatem latae sententiae in illum statuit, qui sine causa solemniter rebaptizat; hinc quaeritur: An Caesarius irregularitatem incurrerit: 1. quando hanc Ecclesiae prohibitionem ignoraverat, et 2. quando prohibitionem quidem, sed non poenam sciverat?*

Resp. *ad 1. Neg.*, quia irregularitas ex delicto censetur vera poena imposita in vindictam criminis, ut communissime docent,[3]) adeoque ad eam incurrendam requiritur scientia legis Ecclesiae prohibentis.

Ad 2. Neg., satis *probabiliter* cum s. Alphonso et multis aliis, ex ratione praedicta, scilicet, quia irregularitas ex delicto habet rationem poenae. *„Licet enim,* dicit praelaudatus s. Doctor,[4]) *non requiratur scientia poenae, ut ipsa incurratur, quando poena est ordinaria et talis, ut ex natura ipsius criminis aliquo modo prae-*

[1]) S. Alph.: Lib. I. n. 169.; Libr. VII. n. 47. et 48., Elbel: De act. hum. Confer. II n. 55—58., et alii contra alios, qui censent, etiam affectatam ignorantiam excusare.

[2]) Vide s. Alph.: Lib. VII. n. 42.

[3]) Vide s. Alph.: Libr. VII. n. 350.

[4]) Libr. VII. n. 351.

videri possit, cum ipsum lumen naturale dictet, malum juxta suam naturam esse puniendum; requiritur tamen scientia poenae, quando illa est extraordinaria et exorbitans, ita ut secundum rei naturam ne in confuso quidem possit praevideri; et hujusmodi utique est poena irregularitatis.“

§. 59.

III. De obligatione legis, quae in praesumtione fundatur.

1. — Praesumptio definiri potest probabile judicium de re aliqua ex circumstantiis deductum.

Duplex distinguitur praesumptio, alia facti, alia culpae. *Praesumptio facti* dicitur, quando judex ex quibusdam indiciis censet, factum subsistere, super quo deinde judicat. *Praesumptio culpae* nuncupatur, quando judex e communiter contingentibus judicat, culpam facto subesse.[1])

PRINCIPIA.

2. — **Principium I.** Lex seu sententia judicis, quae fundatur in praesumptione facti, hoc deficiente, non obligat; quia omne fundamentum obligationis deest. Hinc in jure dicitur: *Praesumptio cedit veritati.* Sic e. g. si in judicio per indicia apparentia falso probatum fuerit, tuum animal intulisse damnum, non teneris mulctam solvere etiam post sententiam judicis, praeciso scandalo; et si solveris, poteris te compensare.[2])

Principium II. Lex seu sententia judicis, quae in praesumptione culpae fundatur, tunc, quando factum revera subsistit, in conscientia obligat etiam seclusa culpa theologica seu peccato formali. Ratio est, 1) quia lex seu sententia judicis in tali casu fundamentum habet, cum respiciat periculum commune fraudis seu doli; — et 2) quia vix deerit culpa juridica seu negligentia et inadvertentia aliqua sufficiens in foro externo ad poenam juste infligendam, ut homines reddantur diligentiores ad aliorum damna evitanda. Hinc e. g. si in judicio evincatur, tuum animal intulisse damnum, tunc facto subsistente post sententiam judicis teneris ad solvendam

[1]) Alias divisiones vide apud La Croix: Theol. moral. Libr. IV. n. 1484. Pichler: Libr. II. T. 23.

[2]) Vid. s. Alph.: Libr. I. n. 100. Suarez: De leg. Libr. III. cap. 23. et Libr. V. cap. 10. Pichler: T. 2. de Const. n. 19. praeter alios.

poenam, etiamsi deficiat culpa theologica seu peccatum formale, neque occulte poteris te compensare.[1])

Casus.

3. — *Alexius 100 florenos solvit Eduardo, cui eos debebat; Eduardus debitum hoc in libro rationum se deleturum esse promittit, sed ecce, priusquam id faciat, diem supremum obit atque ejusdem haeredes librum producunt debitumque, quod nondum solutum esse censent, ab Alexio exigunt. Res defertur ad judicem; cumque Alexius solutionem a se jam praestitam probare nequeat, ad solvendos 100 florenos condemnatur. Quaeritur: An infelix Alexius hanc pecuniae summam praedictis haeredibus rependere teneatur?*

Resp. *Neg. per se,* quia judicis sententia in praesumptione facti fundatur, quod non subsistit, Alexius enim debito suo jam satisfecerat. Dico *per se;* etenim ad graviora mala evitanda non poterit non judici obtemperare, in quo casu autem injustitiae non posset argui, si pecuniâ indebite soluta postmodum compensatione occulta uteretur ad se indemnem faciendum.

§. 60.

IV. De obligatione legis irritantis.

1. — *Lex irritans est ea lex, quae statuit actum aliquem vel ab initio vel post sententiam judicis esse invalidum.* Haec lex versatur circa vota, juramenta, Sacramenta, beneficia, contractus.

Lex irritans 1. est vel *ipso facto* irritans, quando nempe statuit, actum ab initio esse invalidum et quasi infectum, ut e. g. est lex, quae irritat perceptionem fructuum beneficii ob neglectas horas canonicas, vel *post sententiam* irritans, quae nimirum declarat, actum per sententiam superioris rescindi posse vel debere, ut e. g. est lex, quae statuit, contractum ex gravi metu injusto initum rescindi posse.

Porro 2. alia est *poenalis,* quae irritat actum in odium delicti, ut lex irritans consecutionem fructuum ex beneficio ob neglectam residentiam; — alia est *pure irritans,* quae actum invalidum declarat non in odium alicujus culpae, sed ob bonum commune, ad fraudes praecavendas etc., ut e. g. est lex, quae irritat professionem religiosam emissam ante annum 16. completum, lex irritans contractus absque formis legalibus v. c. certo testium numero celebratos.

[1]) S. Alph. Libr. I. n. 100. et 150. Suarez: l. c. Reuter: Theol. mor. Tom. I. n. 155—157., praeter alios: Scavini: Theol. mor. univ. Tom. I. Tract. II. cap. 6. a. 2. q. 4. pag. 188—189. (Ed. 6. Neapoli). Gury: Par. I. n. 102. Martin: Lehrbuch der katholischen Moraltheologie §. 23. S. 51—22, 1859. Gousset: Moraltheologie etc. n. 155. et alii communissime.

PROPOSITIO.

Non modo legi divinae, verum etiam humanae efficacia irritandi actus competit.

2. — 1. Certum est, legem naturalem et positivam divinam irritandi vim habere; utraque enim multos actus invalidos esse statuit ob defectum conditionis ad actus valorem essentialiter requisitae. Sic e. g. contractus a persona usu rationis penitus destituta, vel in materia inhonesta aut impossibili initus ipso facto nullus est ex jure naturae; dispensatio Sacramentorum in materia vel forma indebita ipso facto invalida est ex jure positivo divino etc.

2. Certum est, etiam humanam legem, sive ecclesiasticam sive civilem tali efficacia instrui posse; nam hoc ad bonum commune et rectam efficacemque gubernationem requiritur, cum secus fraudes, pericula societatis humanae, aliaque gravia incommoda satis impediri et propulsari nequirent. Imo quod attinet ecclesiasticas leges, de fide est, Ecclesiam a Christo Domino accepisse potestatem, leges irritantes ferendi.

3. — De *effectibus* hujusmodi legum sequentia specialiter notanda occurrunt:

I. Lex statuens, actum irritari seu rescindi *posse*, ante judicis sententiam non sortitur effectum, ut ex terminis patet. Id obtinet e. g. in votis et juramentis, quae rite emissa valent et obligant, donec a legitimo superiore non sunt irritata.

Lex, quae declarat, actum *ipso facto* esse irritum seu invalidum, ante omnem sententiam effectum sortitur, si lex est *naturalis* vel *positiva divina* vel *ecclesiastica*, quia id exigit bonum spirituale. Sic e. g. pactum violentia extortum, juramentum vel votum de re inhonesta emissum, matrimonium cum impedimento dirimente initum, sunt ipso facto invalida. Si lex est *mere civilis* et actus naturaliter validus: tunc *probabilius* obligatio naturalis in conscientia tamdiu manet, donec per judicis sententiam rescissio fit, vi cujus deinceps actus adeo infirmatur, ac si ab initio nullus seu infectus fuisset. Sic e. g. contractus, qui forma legali destitutus suapte vero natura validus est, probabilius contrahentes in conscientia obligat, nisi per sententiam judicis rescindatur, cui postea standum est.[1])

[1]) Vid. Laymann: Theol. moral. Libr. I. Tract. IV. cap. 17. n. 1. et 2., cap. 16. n. 6. Kresslinger: in Addit. ad Theol. moral. ab Anacl. Reiffenstuel exaratam Tom. I. Tract. II. de leg. Dist. 2. Append 1. Add. IV.

II. Irritatio, quae statuitur *in poenam* delicti, ordinarie ipso facto incurritur, prouti v. c. est inhabilitas ad assequendos fructus beneficii ob neglectas horas canonicas vel intermissam residentiam. Non autem incurritur irritatio poenalis in iis casibus, quibus generatim poenae vitantur, videlicet ubi nulla culpa est commissa, et quandoque, ubi ignorantia invincibilis istius poenae obtinet. (Cf. §. 58. n. 4.)

III. Lex *pure irritans* i. e. non in poenam, sed ob bonum commune, semper effectum sortitur, nec a) excusat gravis damni metus, nisi agatur de damno communi, neque b) ignorantia invincibilis hujusmodi legis irritationem impedit, — partim, quia metus et ignorantia non supplent defectum rei essentialiter requisitae, partim quia bonum commune exigit, ut lex effectum habeat, ad pericula fraudis et gravia incommoda reipublicae excludenda. Hinc e. g. invalide contrahitur matrimonium, obstante impedimento dirimente, etsi hoc a sponsis invincibiliter ignoretur.

Casus.

4. — *Marcellus sacerdos simoniace obtinuit beneficium, nesciens, in eo casu, de quo agitur, simoniam committi. Aliquando non animadvertens, se pro vino aquam calici infudisse, actum consecrationis peragit. Quaeritur 1. An provisio beneficii sit valida, et 2. An consecratio sic revera effecta?*

Resp. *ad 1. Neg.*, quia lex irritans simoniacam beneficii provisionem concernit bonum commune ad praecludenda mala, quapropter inculpabili ignorantia non obstante provisio beneficii semper est nulla.[1]) Cf. dicta n. 3. sub III.

Resp. *ad 2. Neg.*, quamvis Marcellus ob ignorantiam invincibilem minime peccaverit. Ignorantia quippe talis non supplet defectum rei ex lege divina essentialiter requisitae. Cf. l. c.

5. — *Adolphus ignorantia invincibili laborans matrimonium cum Clara iniit obstante impedimento clandestinitatis. An valide?*

Fabianus adulterium committit cum nepte suae uxoris. Cum crimini huic ex jure ecclesiastico adjunctum sit impedimentum petendi debitum conjugale; hinc quaeritur: An Fabianus incurrat hoc impedimentum, si id ignoraverit?

Resp. *ad 1. Neg.*, quia irritatio matrimonii clandestini a lege statuta est ob bonum commune, ad pericula fraudis aliaque incommoda impedienda.

Ad 2. Neg. satis probabiliter cum s. Alphonso,[2]) qui dicit, Ecclesiam in hoc casu statuisse veram poenam in vindictam incestus; cumque ab ignorantibus non incurrantur poenae a lege ecclesiastica impositae, quando sunt extraordinariae, scilicet quae per se ne in confuso quidem praevideri possunt: hinc satis probabile esse, non incurri ab ignorantibus illam poenam, quae certe videtur extraordinaria, cum per se praevideri nequeat. Cf. supra n. 3. sub II. et §. 58. n. 4.

[1]) S. Alphons: Theol. mor. Libr. IV. n. 112. q. 2. Poterit tamen episcopus in eo casu dispensare post renuntiationem beneficii.

[2]) Libr. VI. n. 1074. Vid. etiam R. D. Kutschker: Das Eherecht der kath. Kirche nach seiner Theorie und Praxis. III. B. §. 151. S. 388. u. f. Wien 1856.

§. 61.

De modo satisfaciendi obligationi legis.

1. — Actus humanus duplici modo spectari potest, *primo*, quoad ejus substantiam seu objectum, et *secundo* quoad ejus modum, nempe finem et circumstantias. Quam distinctionem ex pluribus rationibus notabilem hic opportune attendentes, de modo leges implendi sequentia statuimus

PRINCIPIA.

2. — **Principium I.** Tum lex naturalis, tum evangelica lex praecipit non solum substantiam actus, sed etiam honestum modum operandi.[1]) Recole dicta §. 31. n. 3. §. 43. n. 3. Hinc s. Augustinus dicit: „*Si forinsecus ea, quae Deus jubet, manibus fiant, et in corde non fiant, nemo est tam insulsus, qui praecepta arbitretur impleri.*“[2]) Et Ecclesia sic precatur: „*Deus in Te sperantium fortitudo, praesta auxilium gratiae Tuae, ut in exequendis mandatis Tuis et voluntate Tibi et actione placeamus.*“[3])

3. — **Principium II.** Ut alicui praecepto particulari in se spectato simpliciter satisfiat, requiritur tantum, ut substantia actus praecepti modo humano et tempore praescripto ponatur.

Dico a) *modo humano*, i. e. voluntate faciendi actum praeceptum; quia cum lex hominibus imponatur, humano modo impleri debet. Sic e. g. qui ebrius aut dormiens aut omnino coactus sacro interest, praecepto audiendi Missam non satisfacit, quia non audit Missam, adeoque postea sacro alii attente interesse tenetur. Sacerdos, qui recitat horas canonicas intentione legendi vel discendi, non satisfacit, quia non habet intentionem faciendi, quod praeceptum est, nempe orandi.

Dico b) *tempore praescripto*, prout e. g. abstinentia ab usu carnium feria sexta, auditio Missae diebus dominicis et festis etc. Non potest satisfieri praecepto tempore obligationis nondum incepto, etiamsi actus ponatur cum intentione satisfaciendi praecepto. Sic e. g. qui praevidens se dominica die impeditum iri, quominus sacro intersit, die praecedente Missam audit ex intentione satisfa-

[1]) Videri possunt s. Thomas: 1. 2. q. 94. a. 3. c.; q. 100. a. 9. Suarez: De leg. Libr. II. cap. 10. n. 11—14.; Libr. X. c. 2. n. 19.

[2]) Quaest. in Deuteron. Libr. V. q. 54.

[3]) Domin. 1. post Pentecosten.

ciendi crastinae obligationi, certe non satisfacit, atque impedimento postea cessante tenetur die dominica sacro interesse.[1])

Quodsi tempus praecepti implendi non sit determinatum, praecepto satisfieri debet, quam primum commode potest.

Si tempore in lege determinato non fuerit satisfactum: tunc *distinguendum*, an tempus fuerit indicatum ad finiendam, an ad urgendam obligationem. Si prius, tunc obligatio tempore elapso cessavit, ut e. g. qui non jejunavit die vigiliae, peccavit, sed a lege liberatur. Si posterius, tunc obligatio perdurat; quare e. g. qui tempore Paschali ss. Eucharistiae Sacramentum non suscepit, illo tempore elapso ad ss. Communionem omnino tenetur.

4. — Ut jam ex praedicto principio colligitur, ad satisfaciendum cuidam praecepto in se spectato non requiritur necessario *modus operandi*. Equidem in specie:

1. Non requiritur intentio satisfaciendi praecepto. Leges enim non obligant ad obedientiam formalem seu ut aliquid fiat, quia praeceptum est, sed tantum ad obedientiam materialem seu ut fiat, quod praeceptum est.[2]) Hinc e. g. qui die festo Missam attente audit, nihil cogitans de Ecclesiae praecepto, obligationi suae satisfacit.

Imo lex adimpletur, quamvis ille, qui praestat opus a lege injunctum, expressam habeat intentionem, legi non satisfaciendi. Ratio est, quia lex nonnisi ad substantiam actus obligat: quocirca, qui eam ponit, eo ipso legem adimplet, ipsiusque intentio non satisfaciendi est inefficax.[3]) Sic e. g. qui sacro interest expresse intendens, soli devotioni suae satisfacere, aliamque Missam postea audire ad implendum praeceptum, satisfacit suae obligationi, licet aliam deinceps audire negligat.[4])

2. Non requiritur intentio implendi finem a legislatore intentum, nisi finis praecise per se praecipiatur, quia, ut saepius repetitum est, legislator ordinarie non praecipit nisi substantiam operis. Unde axioma: *Finis praecepti non cadit sub praecepto.*[5]) Sic e. g.

[1]) S. Alphons.: Libr. VI. n. 297. versus finem: *Dicit autem*, cum aliis.

[2]) S. Alph. Lib. I. n. 163. et alii communiter.

[3]) Idem lib. I. n. 164. et alii communissime.

[4]) Non vero satisfacit, qui opus voti vel juramenti ponit expresse intendens debito suo non satisfacere, quia pendet a voluntate promittentis, ut talis obligatio maneat. S. Alph. H. A. Tr. II. n. 29.

[5]) Dicit s. Thomas: „*Non enim idem est finis praecepti, et id de quo praeceptum datur.*“ 1. 2. q. 100. a. 9. ad 2. S. Alph. H. A. Tract. II. n. 28. et alii communiter.

satisfacit, qui diebus statutis jejunat, quin sentiat vel intendat mortificationem. Non satisfacit conditioni praescribenti eleemosynam ad Jubilaeum lucrandum, qui eam faciat ad sanitatem recuperandam, quia eleemosyna hoc in casu praescribitur ex illo speciali fine facienda.

3. Ad praeceptum implendum non requiritur status gratiae et motivum charitatis, nisi utrumque ad substantiam actus praecepti pertineat, prouti status gratiae ad praeceptum ss. Communionis, motivum charitatis ad praeceptum dilectionis implendum.[1]) Ratio est, quia substantia actus tantum praescribitur, nisi aliud exprimatur. Quod confirmatur ex propositione 16. Baji a s. Pio V. damnata: *Non est vera legis obedientia, quae fit sine charitate.* Hinc e. g. satisfacit, qui in statu peccati mortalis Missam audit, jejunat etc.

Sed actus gratiae et charitas in operante requiruntur, ut impletio praecepti sit meritoria.

Restat quaestio solvenda: *An satisfaciat legi, qui in actu ejus impletionis peccat?*

Resp. *Dist.:* aut actus quoad substantiam integer et honestus manet, aut actus quoad substantiam corrumpitur. Si primum, lex impletur, quia substantia, non modus operationis praecipitur. Si alterum, lex non impletur, quia substantia actus injuncti non ponitur. Hinc praeceptis ecclesiasticis satisfacit, qui jejunat ex avaritia, audit Missam ob vanam gloriam, quamvis ob motivum inhonestum delinquat contra legem divinam.[2]) Non satisfacit, qui sacrilege confitetur vel communicat, quia tali peccato ipsa actus substantia corrumpitur, adeoque non fit, quod faciendum est; et hoc ultro confirmatur ex propositione 14. ab Alexandro VII. condemnata.[3])

* S. Thomas: Summa Theologica 1. 2. q. 100. a. 9. et 10. S. Alphonsus: Theologia moralis, Libr. I. n. 162.—165. Homo Apostolicus: Tract. II. n. 28. et 29. — Mazzotta: Theol. moral. Tract. I. Disp. II. Quaest. II. cap. 2.

---

[1]) Ita omnes. Videri possunt d. Thomas: 1. 2. q. 100. a. 19. s. Alphonsus: Theol. mor. Libr. I. n. 162.

[2]) Apposite Suarez observat: „*Licet per actum bonum ex genere male factum revera servari possit aliquid jure naturae praeceptum, non tamen totum jus naturae; in quo differt hoc jus ab humano: nam jus humanum ita potest servari per actum malum, ut nulla ex parte violetur, quia illa malitia, quae adjungitur tali actui, saepe non est contra praeceptum humanum, sed contra naturale.*“ De legib. Libr. II. cap. 10. n. 13.

[3]) S. Alph.: Libr. I. n. 162. et alii communiter.

et 3. Sporer: Theolog. moral. super Dečalogum Tom. I. Tract. I. Sect. IV. n. 45.—50. Reuter: Theol. mor. P. I. Tract. III. n. 180.—183. Scavini: Theologia moralis universa Lib. I. Tr. II. Disp. I. cap. 7. (Edit. 12.) Martin: Lehrbuch der katholischen Moral II. Hauptabschnitt §. 26. 4. Aufl. 1859. Card. Gousset: Moraltheologie zum Gebrauche der Pfarrer und Beichtväter. 1. B. n. 156. u. f. (Uebers. nach der 7. Original-Aufl. 1851. Aachen.) Gury: Compendium Theolog. mor. P. I. n. 103.—105.

Casus.

5. — *Musaeus studiosus metu magistri sacrum audit, non auditurus, si magister abesset.*

Crispinus tempore paschali more consueto Sacramenta suscipit, non cogitans esse tempus paschale nec intendens praecepta implere.

Gallus pauperibus satis amplas solet eleemosynas elargiri, sed ob vanam gloriam; sacro interesse consuevit diebus festis, sola musicae suavis audiendae causa.

Crispus sutor diebus dominicis usque ad meridiem solet laborare serviliter sacrumque praetermittere; at vero ad compensandum defectum feria secunda Missam audit.

Quaeritur: An illi praeceptis satisfecerint?

Resp. *ad 1. Aff.*, quia substantiam actus praecepti posuit, quamvis defectu submissionis internae peccaverit contra legem divinam.

Resp. *ad 2. Aff.*, quia praestitit opera sacra ab Ecclesia praecepta. Non enim requiritur intentio satisfaciendi praeceptis.

Resp. *ad 3.* Praecepto eleemosynae satisfecit, sed peccavit fine inhonesto, quem intendit. Unum praeceptum divinum implevit, aliud violavit. Non satisfecit praecepto ecclesiastico de Missa audienda, nisi vere Missam audierit, porro peccavit ratione motivi, ex quo in ecclesiam se contulit; non enim delectationis, sed orationis domus est ecclesia.

Resp. *ad 4.* Peccat cum opera servilia peragendo, tum Missam omittendo, nisi gravi causa excusetur; nec ipsum juvat, quod feria secunda interest sacro, quia praeceptum audiendi Missam est affixum diei, et hoc elapso non amplius impleri potest.

§. 62.

De modo agendi in concursu plurium praeceptorum.

1. — Praecepta diversa vel impleri possunt vel non possunt eodem tempore. Porro dum primum obtinet, aliquando per unum actum diversis praeceptis, aliquando per diversos actus diversis praeceptis satisfieri potest. Tres igitur hos casus modo totidem principiis expendemus.

PRINCIPIA.

2. — **Principium I.** Possunt diversa praecepta per unum actum impleri, si cadant in eandem materiam ob idem motivum; secus autem si cadant in diversam materiam aut in eandem materiam ob

diversum motivum. Ratio est, quia in priori, haudquaquam vero in posteriori casu totum praestatur, quod pluribus praeceptis praescribitur. — Porro, quando sit idem aut diversum motivum praeceptorum, colligitur ex natura actus praecepti, ex circumstantiis et ex proborum consensu. [1])

Exempla: 1. Qui obligatur ad horas canonicas ratione ordinis et beneficii, satisfacit una recitatione: quemadmodum requiritur tantum semel sacro interesse, si festum incidit in dominicam; quia obligationes illae respiciunt unam materiam ob idem motivum.

2. Obligatus ad jejunandum ex poenitentia vel ex voto, non satisfacit jejunando in vigilia Nativitatis Domini vel alia die jejunii ab Ecclesia praescripti; quia illae obligationes habent diversa motiva.

3. Qui ex poenitentia a Confessario injuncta obstringitur per integrum mensem singulis diebus audire Missam, satisfacit audiendo unam die dominica vel festo, quia rationabiliter praesumitur, hoc esse motivum Confessarii obligationem imponentis, ut poenitens singulis diebus participet Sacrificii fructus.

3. — **Principium II.** Possunt diversa praecepta diversis actibus eodem tempore impleri, quando actus simul possunt tales poni, quales exiguntur, quia tunc totum praestatur, quod exigitur. [2]) Hinc e. g. potes die dominica sacrum audiens recitare horas canonicas, exsolvere injunctam poenitentiam, perorare Rosarium voto debitum, et simul hisce obligationibus satisfacere.

4. — **Principium III.** Concurrentibus duobus praeceptis, quae simul adimpleri nequeunt, hanc regulam universalem teneto: *Praeceptum majus minori praeferendum est.* Equidem 1. praeceptum naturale praevalet praecepto mere positivo, — praeceptum positivum divinum praecepto humano, — praeceptum ecclesiasticum praecepto civili; [3]) — 2. praeceptum negativum antecedit praecepto affirmativo; — 3. praeceptum superioris primarii praeferendum praecepto superioris secundarii; — 4. praeceptum virtutis strictioris v. c. justitiae praehabendum praecepto virtutis minus strictae e. g. charitatis.

[1]) Vid. s. Alph. Libr. I. n. 166.

[2]) S. Alphons. l. c., plerumque temporum diversitas non exigitur.

[3]) Notetur error in Syllabo n. 42. proscriptus: *In conflictu legum utriusque potestatis, jus civile praevalet.*

§. 63.

De causis legis obligationem solventibus.

1. — Hujusmodi causae sunt duplicis generis: dirimentes et impedientes. Causae *dirimentes* appellantur, quae aliquem subtrahunt dominio legis, cum nimirum quis se confert in locum, quem lex non afficit. Causae *impedientes* vocantur, quae aliquem legis dominio subditum manentem a legis impletione impediunt, atque sunt ignorantia et impotentia. Porro *ignorantia* est vel invincibilis vel vincibilis, de qua vide inferius §. 72. n. 1. *Impotentia* est aut physica aut moralis. Dicitur *physica,* quando aliquid absolute fieri nequit; *moralis,* quando aliquid nonnisi cum magna difficultate seu gravi incommodo fieri potest.

PRINCIPIA.

2. — **Principium I.** Causae dirimentes totaliter eximunt ab obligatione legis juxta apertam decisionem Bonifacii VIII. in cap. final. de constit. in 6. Ratio est, quia cum lex sit territorialis (§. 24. n. 1.) ille, qui limites territorii, quod lex afficit, praetergreditur, a vinculo legis liberatur. [1])

3. — **Principium II.** Causae impedientes saepe excusant ab observatione legis. Et quidem

1. *Ignorantia invincibilis* excusat, quia nemo potest ad aliquid obligari, quod non cognoscit, neque cognoscere valet. — Ignorantia autem *vincibilis* non excusat a lege, cum potuerit aut possit seria diligentia deponi. Superveniente enim dubio indoctus debet consulere peritos, doctus vero consulere libros, vel cum aliis doctis rem conferre.

Ignorantia invincibilis non datur a) in primis morum principiis, b) in secundariis morum principiis seu conclusionibus proximis, nisi ad breve tempus, in rudibus vel ex circumstantia apparenter cohonestante peccatum (§. 32. n. 3.), c) in obligationibus, quae ad proprium cujusdam statum vel officium pertinent, quia quilibet tenetur sui status seu officii obligationes callere vel in iis instrui. [2])

[1]) Vide Benedict XIV. De Synodo Diocces. Libr. XIII. cap. 4. n. 9.

[2]) Vid. s. Alph.: Theol. mor. Libr. I. n. 170. et sq., ubi adjungit: Si vero quis in suo munere sufficienter antea se curavit instrui, et nihilominus in re quapiam erravit, quae munus suum respiciat aut statum, non ob negligentiam, sed ob impossibilitatem rem cognoscendi etc., ab omni prorsus culpa utique liber esset.

2. *Impotentia physica* semper ab observanda lege excusat, ut patet ex axiomate pervulgato: *Ad impossibilia nemo tenetur.* — Impotentia *moralis* excusat a praecepto naturali affirmativo, numquam vero a negativo, excusat quandoque a praecepto positivo divino, excusat ordinarie a praeceptis humanis. Sed haec singillatim necessario sunt explananda.

Impotentia moralis a) excusat a praecepto naturali affirmativo. Ratio, quia cum tale praeceptum (coll. §. 56. n. 2.) semper quidem, sed non pro semper obliget natura sua, ad suavem Dei gubernationem pertinet, ut non obstringat cum valde magna difficultate, v. g. ad restitutionem illico praestandam, ad correctionem fraternam instituendam, ad implenda vota, juramenta promissoria etc. — Nunquam vero impotentia moralis et metus cujuscunque mali excusat a naturali praecepto negativo, quia tali praecepto prohibita sunt intrinsece mala, ut pejerare, blasphemare, fornicari, mentiri etc. [1])

b) Excusat quandoque a praecepto positivo divino, quia Deus benignissimus sciens imbecillitatem nostram non censetur cum tanto onere obligare, cum ipse dicat: „*Jugum meum suave est et onus meum leve.*" Matth. 11, 29. Hinc communis est doctrina, quod praeceptum de integritate materiali confessionis non obligat cum periculo gravis damni, prout e. g. imminente naufragio, praelio. [2])

c) Excusat ordinarie a praecepto humano sive ecclesiastico sive civili, quia suavitas regiminis jugo Christi conformanda postulat, ne cum nimia difficultate subditos obstringat legislator humanus; idque confirmatur ex constanti Ecclesiae praxi, vi cujus praeceptum jejunii, praeceptum audiendi Missam etc. non obligant cum gravi incommodo. Dico: *ordinarie*, etenim observanda sunt praecepta humana cum quovis damno, etiam vitae jactura, si eorum violatio cederet in contemptum Dei et religionis vel in damnum societatis, quia lex naturalis absolute prohibet Deum et religionem despicere, bonumque privatum praeferre bono communi. Sic e. g. nec ex metu mortis attentatae fas est carnes die vetito manducare in odium Ecclesiae. [3])

[1]) Vid. s. Alph.: H. A. Tract. II. n. 44. Sanchez: Opus moral. Libr. I. cap. 18. n. 1. et 5. Reuter: Theol. mor. Tom. I. P. I. n. 187.

[2]) Vid. S. Alph.: Libr. I. n. 175. Sanchez: l. c. Laymann: Theol. mor. Libr. I. Tract. IV. cap. 14. n. 5. Reuter: Theol. mor. P. I. 189.

[3]) S. Alph.: Libr. I. n. 175. Sanchez: Libr. I. cap. 18. n. 4. 6. et 7. Laymann: l. c. n. 5. et 6. Reiffenstuel: Theol. mor. Tom. I. Tract. II. Dist. 2. q. 3. n. 23. et sq.

Ad quaestionem: *An qui impotens est totum praeceptum implere, ad ejus partem teneatur?* Resp. 1. *Aff.*, si materia praecepti divisibilis sit et in qualibet ejus parte inveniatur ratio seu finis praecepti. Hinc e. g. sacerdos, qui non valet omnes horas canonicas recitare, debet recitare partem, quam potest, dummodo non sit adeo parva, ut nullo modo ad finem praecepti conducat; quod insuper constat ex prop. 54. ab Innocentio XI. damnata: *Qui non potest recitare Matutinum et Laudes, potest autem reliquas horas, ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad se minorem.* Qui non potest jejunare, tenetur abstinere a carnibus, si possit, et vice versa, ut expresse declaravit Benedictus XIV. in Constit. *Ambigimus.* — 2. *Neg.*, si materia non sit divisibilis, vel in ejus parte non salvetur ratio seu finis praecepti. Hinc e. g. qui vovit piam peregrinationem peragendam, nec valet totum iter implere, illud inchoare non tenetur. [1])

* S. Alphonsus: Theologia moralis Lib. I. n. 168. 175.—177. Homo Apostolicus: Tr. II. n. 43.—45. — Sanchez: Opus morale in praecepta Decalogi, Libr. I. cap. 17. et 18. Laymann: Theologia moralis, Libr. I. Tr. VI. cap. 14. n. 5. et sq., et cap. 20. Reuter: Theologia moralis, Tom. I. P. I. n. 189—192. Gury: Compendium Theologiae moralis P. I. n. 108. et 109. Card. Gousset: Moraltheologie zum Gebrauche der Pfarrer und Beichtväter 1. B. n. 172—175.

§. 64.

De appositione causarum dirimentium et impedientium.

1. — Causae dirimentes et impedientes vel directe vel indirecte apponi possunt. *Directe*, quando quis principaliter in eum finem ponit actionem, ut per eam a legis observantia eximatur vel impediatur. *Indirecte*, quando quis ob alium quidem finem actionem ponit, attamen praevidet, se per eandem a lege eximi vel impediri.

2. — Per se patet, causas dirimentes apponi non posse contra legem naturalem et positivam divinam, quia hae leges omnes ubique et semper obligant. Certum pariter est, numquam licere contra illas leges apponere causas impedientes, quia ea praescribunt, quae sunt per se de necessitate salutis, adeoque cum magno rigore obligant. [2]) Quod attinet leges humanas, sequentia adstruimus.

[1]) S. Alph.: Libr. I. n. 177.

[2]) S. Alph.: Libr. I. n. 152.

PRINCIPIA.

3. — **Principium I.** Illicitum non est ratione legis humanae, apponere causas dirimentes, *probabilius* etiam directe et proxime. Ratio est, quia lex te obligat, ut eam observes, quousque manes in loco, in quo viget: non vero te obligat, ut ibidem maneas. Dixi: *ratione legis humanae;* etenim sic agendo vix unquam deerit peccatum contra legem naturalem. Recole dicta §. 53. n. 6. et 9. — Excipiuntur tamen duae leges: 1. lex Clementis X. in Bulla: *Superna,* quae poenitenti interdicit, alio abire in fraudem reservationis i. e. eum in finem principalem, ut in loco, ubi reservatio non est, a peccato reservato absolvatur; et 2. lex ab Urbano VIII. lata et a Benedicto XIV. confirmata, quae prohibet sponsis abire in locum, ubi Concilium Tridentinum non est promulgatum, ad matrimonium clandestine contrahendum.

4. — **Principium II.** Licitum est, *indirecte* apponere vel non tollere causas impedientes, quando demum *post notabile tempus* lex urgebit. Ratio est, quia qui indirecte causam hujusmodi apponit, legem violare non intendit; et quia legislator non videtur tam rigorose subditos obligare, ut per notabile tempus derelinquant omnia opera, quae cum impletione legis componi nequeunt.

Dixi: 1. *Indirecte;* nunquam enim licet, directe apponere causas impedientes, etiamsi post longius tempus lex urgeret; quia sic agere, perinde esset, ac legem infringere, adeoque peccare velle.[1])

2. *Post notabile tempus;* si quidem permissum non est, apponere vel non tollere, etsi indirecte, causas impedientes, quando jam proxime lex urget, quia praecipiens finem simul vult adhiberi media ad eum obtinendum necessaria, saltem si non sint nimis difficilia; atqui non apponere et removere impedimenta, ubi lex jam proxime urget, est medium necessarium ad legem implendam. Quam ob rem nonnisi causa justa e. g. necessitas, a peccato excusare potest.[2])

Hinc a) peccat contra praeceptum audiendi sacrum, qui iter ingreditur sabbato praevidens, fore ut sequenti die dominica sacrum audire non possit: nisi aliqua causa justa intercedat, quia lex jam proxime urget.[3])

[1]) S. Alph.: Libr. I. n. 152. Antoine: Theol. mor. Tr. de legib. cap. 3. q. 6. Reuter: Th. m P. I. n. 197. et alii.

[2]) Reuter: n. 198. Antoine: l. c. Voit: P. I. n. 257. et 258. cum aliis.

[3]) S. Alph.: Libr. IV. n. 301.

b) Peccat, qui die jejunii sine justa causa aliquem laborem assumit, quo impotens fit ad jejunandum, quia lex jam obligans exposcit, ne sine justa causa obex ad ejus impletionem ponatur.[1])

c) Peccat excommunicatus, qui ideo negligit absolutionem procurare, ne teneatur ad Missam audiendam, quia directe non vult auferre causam impedientem. Imo vix excusatur a peccato, dum sacrum non audit, si absolutionem facile possit obtinere, eamque obtinere negligat, „quia quisque tenetur cum levi incommodo tollere impedimenta, ut gravi praecepto satisfaciat“.[2]) Eo magis peccat excommunicatus, qui absolutionem non procurat ad implendum praeceptum Communionis paschalis, „quia Communio valde confert ad animae salutem, unde ipsius praeceptum rigide obligat ad auferenda mala spiritualia, quae obstant.“[3])

5. — **Principium III.** Qui lege jam urgente praevidet impedimentum eam serius implendi futurum, tempore, quo potest, eam observare tenetur.[4]) Ratio est, quia quilibet tenetur ad media ordinaria et ex rei natura necessaria, ut legi satisfaciat. — Sed tempore obligationis nondum incepto non tenetur anticipare, licet praevideat, quod non poterit praeceptum implere tempore statuto.[5]) Ratio est, quia cum tempus obligationis incipientis sit fixum, praeceptum anticipando adimpleri nequit. Vide dicta §. 61. n. 3.

Exempla: 1. Qui die festo non potest circa meridiem, ut solet, sacrum audire, tenetur mane, si possit sacro interesse, non autem die praecedenti.[6])

2. Incoepto tempore paschali non potes discedere in locum, ubi communicare non valebis, quin praecepto satisfeceris. Non autem teneris anticipare, tempore paschali nondum incepto.[7])

3. Sacerdos, qui praevidet, quod horas parvas canonicas diei currentis non poterit serius persolvere, eas statim recitare tenetur

[1]) S. Alph.: II. A. Tr. II. n. 20.

[2]) S. Alph.: Libr. IV. n. 325. cum aliis.

[3]) Idem: Libr. VI. n. 299. cum sententia communi.

[4]) S. Alph.: Libr. V. n. 155. scribit: „— *recte regulam assignat Busenbaum* (Libr. I. n. 157.), *quod cum quis manente vi praecepti est impediendus, tenetur praevenire.*“

[5]) Ita communiter. Vide s. Alph. Libr. VI. n. 294. et 298. De praecepto communionis.

[6]) S. Alph.: Libr. V. n. 155. Libr. VI. n. 297. versus finem.

[7]) Idem Libr. VI. n. 298 et alii contra alios, quos sequitur Voit: P. II. n. 602.

tempore, quo potest; quia officium intra latitudinem totius diei recitari praecipitur.[1])

* S. Alphonsus: Theologia moralis Libr. I. 152. Libr. IV. n. 325. 1045. 1046. Tom. V 155. Libr. VI. n. 298. — Reuter: Theologia moralis, Tom. I. P. I. I. n. 196.—200. Mazzotta: Theologia moralis Tract. I. Disp. II. Quaest. 2. cap. 4. Voit: Theologia moralis. P. I. n. 255—259. Roncaglia: Theol. universa moral. Tract. III. de leg. Q. 2. cap. 6.

§. 65.

De interpretatione legis.

1. — *Interpretatio legis est genuina ejus explicatio juxta mentem legislatoris.* Duplex est: 1. *simplex,* quae est pura expositio verborum legis, quae obscuritatem habent; 2. *per Epikiam,* quae est benigna et aequa legis expositio, qua lex censetur se non extendere ad aliquem casum ob circumstantias particulares, quamvis ille in verbis legis clare comprehendatur.[2])

Simplex legis interpretatio est: a) *authentica, usualis* et *doctrinalis,* prout fit ab ipso legislatore vel petitur ex consuetudine (communi usu, observantia) vel instituitur a viris in materia legis bene versatis; b) *stricta* et *extensiva* seu lata, prout legem restringit ad designatos casus vel ad similes casus extendit.

2. — De interpretatione legis sequentia scitu dignissima sunt:

I. Interpretatio *authentica* et *usualis* vim legis habet; *doctrinalis* pro auctoritate doctorum majori vel minori gaudet probabilitate, imo si omnes consentiant, legislatore tacente, temeritatis notam non effugeret, qui eam sperneret.

II. Authentica interpretatio est *vel* explicatio sensus, qui jam ab initio clare erat in lege inclusus, et tunc ad obligationem inducendam nova promulgatione non eget, sed statim obligat eos omnes, qui illam noverint, cum talis declaratio non sit nova lex; *vel* est declaratio sensus, qui ab initio in lege non erat clare imbibitus, et tunc, ut obliget, necessario promulgationem requirit, quia habetur tamquam nova lex.[3])

III. Pro interpretatione legis doctrinali sequentes regulae valent:

a) Respiciendus est *usus loquendi,* ita ut verba juxta eorum significationem naturalem seu propriam et usitatam accipiantur,

[1]) Idem: Libr. V. n. 155. et alii communiter contra alios.

[2]) Ἐπιεικεία lenitas, aequitas, deriv. a voce ἐπιεικής (ex ἐπί et εἰκός, id quod par est), aequus, lenis.

[3]) S. Alph.: Lib. I. n. 200. *Hic dubitatur,* cum sententia communi.

nisi quid absurdum vel injustum inde sequatur. In dubio de vero sensu attendendum est *ad contextum,* nec non ad *mentem legislatoris* seu ad finem legis.

b) „Ubi lex non distinguit, neque nos distinguere debemus."

c) „Odia restringi, et favores convenit ampliari," quare in odiosis stricta, in favorabilibus lata interpretatio adhibenda.

IV. *Epikia* ibi tantum locum habet, ubi lex observanda redderetur damnosa vel nimis dura, quia lex cum magna difficultate seu gravi damno non obligat (§. 63. n. 3.). Et hinc Benedictus XIV. dicit, quod „ex quadam epikeja propter peculiares rerum circumstantias a jure communi non praevisas, seu ex tacita juris permissione, liceat Episcopo jus commune relaxare, seu aliquid contra ejusdem severitatem indulgere; praesertim si res dilationem non patiatur, nec facile summus Pontifex consuli queat, ejusque suprema auctoritas implorari.[1])

3. — Quaeritur: *An lex de casu in casum extendi debeat ob identitatem rationis?*

Resp. *Aff.,* quoties alias legislator argui possit injustitiae vel imprudentiae. Id autem evenit: 1. in *correlativis* e. g. inter maritum et uxorem. Sic lex, quae eximit maritum ab obligatione reddendi debitum uxori adulterae, censetur pariter eximere uxorem ab eodem officio erga adulterum maritum; — 2. in *aequiparatis,* ut e. g. sunt electio, postulatio et praesentatio in beneficiis; hinc quod lex decernit circa unam, idem decernere censetur circa aliam in his, in quibus aequiparantur; — 3. in *connexis,* e. g. ii, quibus lex permittit, condere testamenta, etiam legata facere possunt; — 4. in *contentis,* ut e. g. lex, quae decernit aliquid causa frequentioris usus, etiam casum minus frequentem comprehendit. Et ideo lex s. Pii V. permittentis monialibus egressum e monasterio propter incendium aut epidemiam, censetur idem concedere ob inundationem et hostium invasionem.[2])

§. 66.

De legis dispensatione.

1. — *Dispensatio est actus jurisdictionis, quo lex in casu particulari relaxatur.* Dicitur: *in casu particulari,* ut dispensatio distin-

[1]) De Synodo Dioeces. Libr. XII. cap. 8. n. 1.

[2]) S. Alph.: Theol. mor. Libr. I. n. 200.

guatur a derogatione et abrogatione, quibus lex pro omnibus vel ex parte vel ex toto cessat.[1])

Dispensatio est 1. *valida* vel *invalida,* prouti a legis obligatione eximit vel non: 2. *licita* vel *illicita,* prout vel juxta vel contra conscientiam fit; 3. *subreptitia* vel *obreptitia,* quando in petione verum tacetur vel falsum asseritur.

Agemus 1. de materia dispensabili, 2. de potestate dispensandi, 3. de validitate et liceitate dispensationis, et 4. de cessatione dispensationis.

A. De materia dispensabili.

2. — I. *Lex naturalis* non est capax dispensationis. Ratio est, quia ea continet, quae ordini naturae ita conveniunt vel non conveniunt, ut a Deo non potuerint non praecipi vel prohiberi; quam ob rem in lege naturali dispensare perinde esset, ac ordinem naturae pervertere atque hominis naturam immutare velle.[2])

II. In praeceptis quibusdam *legis positivae divinae* aliquam obligationis remissionem fieri posse, omnes consentiunt. Utrum vero haec remissio sit veri nominis dispensatio, an solum declaratio, ob peculiares rerum circumstantias fundamentum obligationis cessare, jus divinum non obligare, inter Theologos disputatur.[3]) Dissensio igitur non rem, sed nomen tantum concernit. Equidem talis interpretatio seu dispensatio juxta omnes fieri potest in votis et juramentis, in praecepto residentiae, quo adstringuntur episcopi,[4]) in matrimonio rato et non consummato. Nulla tamen dispensatio circa essentialia Sacramentorum et sacrificii Missae admittitur.

III. Dispensari potest in *legibus humanis.* Etenim ex una parte non sunt de eis, quae per se ad salutem necessario requiruntur, atque ex altera parte quandoque minus possunt nonnullis convenire sive aliquid melius impediendo, sive aliquid malum inducendo.[5])

[1]) S. Thom.: „Cum dispensatur, fit ut hoc, quod erat lex, non sit lex in eo casu," respectu illius, cum quo dispensatur. 2. 2. q. 88. a. 1. ad 2.

[2]) Vid. Suarez: De Legib. Libr. II. cap. 14. et 15.

[3]) Vid. s. Alph.: Theol. mor. Libr. VI. n. 1119. Salmeron: Doctrina de jurisdictionis episcopalis origine et ratione, pag. 26.—27. Moguntiae 1871.

[4]) Benedictus XIV.: De Syn. Dioeces. Libr. VII. cap. 1. n. 7. dicit, praeceptum residentiae, juxta communiorem post Tridentinum opinionem esse juris divini, et Romanum Pontificem non proprie dispensare, sed *interpretando definire, divinam legem episcopos ob adjunctas rerum circumstantias nequaquam adstringere.*

[5]) Vid. s. Thomas: 1. 2. q. 97. a. 4.

B. De dispensandi potestate.

3. — Duplex est dispensandi potestas: ordinaria et delegata. *Ordinaria est,* quae alicui competit vi officii sui; talem legislator possidet in lege sua. *Delegata* est, quae ex concessione ejus, qui potestatem ordinariam habet, inferiori convenit. Quodsi delegata concedatur ab ipso jure, tunc aequiparatur ordinariae, utpote officio et dignitati adnexa. Quisque inferior, qui jure ordinario valet dispensare in legibus superioris, potest etiam delegare potestatem dispensandi, modo hoc ei non sit limitatum.[1])

Delegata a superiore concedi solet a) vel *per modum commissionis* pro certo casu, et haec morte delegantis exspirat, si res adhuc integra sit, scilicet si nondum sit inchoata executio facultatis obtentae —; b) vel *per modum gratiae,* nempe generaliter absque restrictione quoad personas dispensandas; et haec morte delegantis non exspirat.[2])

Deinde notandum, quod *dispensatio,* cum sit odiosa, ac veluti vulnus legis, cui derogat, est strictae interpretationis; *potestas dispensandi,* quae favorabilis est, late accipitur.[3])

PRINCIPIA.

4. — **Principium I.** Superior primarius seu legislator dispensare potest 1. in legibus suis et legibus praedecessorum, quia *res, per quas causas nascitur, per easdem dissolvitur;* 2. in legibus inferiorum suorum, qui quippe potestatem ab ipso dependentem habent.

Principium II. Superior secundarius non potest dispensare in legibus superioris primarii, nisi ex potestate delegata, sive ab ipso superiore primario, sive a jure vel a consuetudine sibi concessa; quia inferior per se non habet jurisdictionem in legem sui superioris.

In specie:

5. — 1. *Pontifex Romanus* dispensare potest a) in omnibus legibus ecclesiasticis, iis Constitutionibus non exceptis, quas Apostoli ceu Ecclesiae praesules condiderunt, ut e. g. in praeceptis de jejunio quadragesimali, de observantia diei dominicae, de non

[1]) S. Alph.: Theol. mor. Libr. I. n. 193.

[2]) Idem n. 193. H. A. Tr. II. n. 61.

[3]) Idem n. 187. La Croix: Theol. mor. Lib. I. n. 798.

ordinandis bigamis; — b) in legibus divinis, ut in votis et juramentis, in matrimonio rato, porro ut simplex sacerdos sit minister sacramenti Confirmationis, in residentia episcoporum etc., vel si non proprie in praedictis dispensare, certe declarare potest, hujusmodi praecepta juris divini in casibus particularibus non obligare.[1]) Conf. n. 2.

2. *Episcopus* a) potestate ordinaria dispensare potest in omnibus statutis episcopalibus et synodalibus, independenter a Capitulo et clero.[2]) Eademque potestate gaudet Capitulum Sede vacante.[3]) — b) Potestate extraordinaria dispensare potest quoad Constitutiones Pontificias et leges communes in iis rebus, quae saepe eveniunt, ut in observatione festorum, jejunii et abstinentiae, in recitatione officii, in casibus particularibus; item in votis et juramentis Pontifici non reservatis; — porro in rebus rarioribus urgente necessitate vel magna saltem utilitate, quando non est facilis aditus ad Papam et periculum in mora, ut e. g. in impedimentis matrimonii, irregularitatibus, votis reservatis; — nec non in iis casibus, ubi dubitatur, an dispensatione opus sit, tunc enim episcopus potest declarare, casum dispensatione non indigere, vel ad cautelam dispensare.[4]) In quibus omnibus episcopus potest aliis quoque dispensandi potestatem delegare, cum haec facultas aequivaleat ordinariae, utpote perpetuo adnexa illius muneri et dignitati.[5])

3. *Parochis* non convenit dispensandi potestas, nisi ex speciali privilegio vel legitima consuetudine, pro casibus tantum particularibus in jejunio, in abstinentia, et in operibus die festo prohibitis. Hinc ubi hujusmodi privilegium vel consuetudo viget, parochi dispensare possunt.[6])

Concilium Prov. Vienn. a. 1858. celebratum Tit. II. cap. 6. sanxit: „*Parochis confirmatur vel confertur facultas dispensandi cum ruricolis, ut diebus Dominicis et festis audita saltem Missa in agris labores peragere possint, quibus imminente tempestate vere opus est, ne grave rerum suarum damnum patiantur. Vicissim necessitatis causam avaritiae praetexentes non audiant.*“

[1]) S. Alph.: H. A. Tr. II. n. 56.

[2]) Idem: Theol. mor. Libr. I. n. 190. Nec obstat, quod Synodus ab Apostolica Sede fuerit approbata, ut docet Benedictus XIV. De Syn. Dioeces. Lib. XIII. cap. 5. n. 9.; imo episcopus dispensare potest a legibus latis in Concilio Provinciali, modo non sint Concilio specialiter reservatae; hoc enim expedit ad bonum regimen, s. Alph. n. 190.

[3]) Idem H. A. Tr. II. n. 57.

[4]) Benedictus XIV. Notif. 101. notat, *dispensationes ad cautelam a S. Poenitentiaria vel Dataria concedi non tamquam necessarias, sed ut omni scrupulo animique sollicitudine fideles eripiantur.*

[5]) S. Alph. Theol. mor. n. 190.

[6]) Laymann: Theol. mor. Lib. I. Tr. IV. cap. 22. n. 5. Suarez: De leg. Libr. VI. cap. 14. n. 10. Analecta J. P. ser. II. col. 2313.

6. — **Principium III.** *Delegatus non potest subdelegare,* quia haec facultas in delegatione per se non continetur. Excipe 1) si haec ei expresse concessa sit facultas, 2) si sit delegatus a Pontifice, nisi in rescripto dicatur: *per seipsum,* vel *personaliter,* et 3) si sit delegatus ad universitatem causarum per modum officii,[1]) tunc subdelegare potest ad unam vel alteram causam. Sic e. g. episcopi facultates quinquennales ab Apostolica Sede delegatas sacerdotibus idoneis et praesertim tempore sui obitus communicare seu subdelegare possunt, quoniam hoc ipsis expresse conceditur. Capellanus, universim deputatus in locum parochi absentis, potest alium subdelegare, sed tantum ad unam vel alteram causam.

7. — **Principium IV.** Beneficium dispensationis nonnisi *subditis* concedi potest. Ratio est, quia dispensatio est actus jurisdictionis, qui non valet, nisi in subditum exerceatur. — Potest tamen, ut omnes docent, superior etiam secum ipso dispensare ex rationabili causa, quia dispensatio est actus jurisdictionis voluntariae, et superior non debet esse deterioris conditionis, quam sint subditi, quibuscum dispensare valet.[2])

Ad quaestionem: *An episcopus dispensare queat cum peregrinis in votis, juramentis et communibus Ecclesiae praeceptis?* Resp. *Neg.* per se loquendo, quia peregrini non sunt vere subditi illius episcopi. Ita s. Alphonsus,[3]) qui hanc sententiam vocat communiorem et probabiliorem. Excipe, si prudenter praesumi possit Ordinarii peregrinorum conniventia, ut pariter innuit s. Alphonsus.[4]) — Cum iis autem, qui quasi domicilium habent, bene potest episcopus propria auctoritate dispensare, quia illi vere subduntur loci episcopo.

C. De validitate et liceitate dispensationis.

8. — I. Ad *validitatem* dispensationis praeter jurisdictionem ordinariam vel delegatam in dispensante haec requiruntur: 1. voluntas dispensandi sufficienter manifestata, 2. causa justa, si dispen-

[1]) S. Alph.: Theol. mor. Libr. I. n. 193. Bouix: Tract. de principiis juris canonici P. IV. cap. III. §. 5. Punct. 2. pag. 456. Monasterii 1853.

[2]) S. Thom.: 2. 2. q. 185. a. 8. S. Alph.: Lib. IV. n. 249. v. *ultimo* et n. 256. in fine. Suarez: De leg. Libr. VI. cap. 12. n. 6. et 7.

[3]) H. A. Tr. II. n. 42.

[4]) Theol. mor. Libr. I. n. 158.

sans sit superior secundarius, et 3. absentia obreptionis et subreptionis essentialis in petitione. Quae singillatim sunt expendenda.

Requiritur 1. *voluntas dispensandi,* quia hac deficiente nullus actus humanus, adeoque dispensatio nulla obtinet. *Sufficienter manifestata,* quia cum agatur de concessione, qua alius uti vult, illa ipsi innotescere debet. Hinc a) valet dispensatio metu extorta, modo non constet in superiore omnino defuisse animum dispensandi, et aliunde non existat causa nullitatis.[1]) — b) Valet dispensatio tacita i. e. sine ullis verbis data, dummodo facto dispensandi voluntas sit sufficienter significata; ut e. g. si sciens praelatus, te esse excommunicatum, tibi beneficium confert, tacite dispensat. Non autem valet dispensatio praesumpta, quia deest actualis voluntas dispensandi; superior enim scire debet id, de quo agitur.[2]) Attamen licentia praesumpta sane admitti potest.[3])

Requiritur 2. *causa justa,* si dispensans sit superior secundarius, quia censeri nequit potestatem accepisse temere despensandi. Verum superior primarius etiam sine justa causa valide dispensare potest, quia legis obligatio totaliter pendet ab ejus voluntate.[4]) Hinc e. g. valide Summus Pontifex, invalide episcopus sine justa causa in lege communi Ecclesiae dispensaret.

Valida est dispensatio, si superior dispenset judicans, non subesse causam, quae revera existit; e contrario invalida est, si superior dispensans existimet, subesse causam, quae desideratur; quia valor dispensationis non pendet a cognitione, sed ab existentia causae.[5])

Requiritur 3. *absentia obreptionis* et *subreptionis essentialis* seu circa causam motivam in supplicatione, quia deficiente causa principali et effectus deficit. Duplex enim causa distinguitur: causa motiva seu principalis, et causa impulsiva seu minus principalis. *Motiva* dicitur, quae aliquem ad agendum ita inducit, ut sine illa non ageret. *Impulsiva,* quae aliquem ad agendum inducit, sed ita, ut etiam sine illa, licet difficilius ageret.

Hinc a) valet dispensatio, si tacetur vel falso exponitur causa tantum impulsiva, secus vero, si causa est motiva. b) Valet etiam,

---

[1]) Alph. Libr. I. n. 184.

[2]) Idem n. 187. Benedictus XIV. De Syn. Dioeces. Lib. VI. cap. 5. n. 7. et sq. Lib. VII. 1. n. 7.

[3]) Quid sit observandum de praesumptione licentiae, exponit La Croix: Theol. mor. Libr. I. n. 819—822.

[4]) Benedictus XIV. op. cit. Lib. XIII. cap. 5. n. 7.

[5]) S. Alph.: Lib. I. n. 181.

si plures causae allegatae sint, quarum aliae sint falsae, aliae verae, semper ac una vera sufficit ad dispensandum. c) Valida est dispensatio, si causa falsa tempore petitionis vera fiat tempore concessionis; sed non vice versa.[1])

9. — II. Ad *liceitatem* dispensationis praeter jurisdictionem semper requiritur justa causa, quia secus superior non erit prudens et fidelis dispensator.[2]) Vide Concil. Trident. Sess. 25. cap. 18. de Reform. Hinc peccat tum concedens tum petens dispensationem sine justa causa, sed nonnisi venialiter (ut plures dicunt), secluso scandalo.[3])

10. — Causae justae dispensandi ad duas revocantur et sunt: 1. *necessitas,* non tamen tanta, quae jam per se excusat a praecepto e. g. jejunii, officii divini etc.; 2. *utilitas,* sic e. g. dispensatur in voto, qui expositus est periculo transgrediendi votum vel continuis scrupulis vexatur. Prima causa dispensationem facit necessariam, secunda convenientem.[4])

Superioris est judicare, an ratio sit sufficiens, et subditus, modo causam bona fide exposuerit, dispensatione sibi concessa tuta conscientia uti potest.

Quaest. 1. *An superior teneatur dispensare?*

Resp. *Aff.,* si ea causa subsistat, quae dispensationem reddit necessariam ad evitandum aliquod grave damnum, aut ad procurandum aliquod magnum bonum commune vel etiam privatum; secus vero si ea causa suppetat, quae tantum convenientem reddit dispensationem.[5])

Quaest. 2. *Quid in dubio, an casus indigeat dispensatione?*

Resp. Poterit subditus uti sua libertate, licet consultum sit, adire superiorem, saltem ad majorem tranquillitatem, ut ipse casum

---

[1]) Valida censenda est dispensatio facta, si dubitetur, num causa motiva fuerit vera vel falsa, an causa falso allegata fuerit motiva vel impulsiva; quia in dubio standum est pro valore actus. S. Alph.: Libr. I. n. 185. Lib. VI. n. 1133.

[2]) S. Thom.: 1. 2. q. 97. a. 4. Benedictus XIV.: De Syn. Dioec. Lib. XIII. cap. 5. n. 7.

[3]) S. Alph.: n. 178. In dubio autem, an adsit causa sufficiens ad dispensandum, superior potest sine culpa dispensare, quia potestas dispensandi late interpretanda est. Idem n. 187. et 192. H. A. Tr. II. n. 46.

[4]) S. Bernardus ait: „Ubi necessitas urget, excusabilis dispensatio est, ubi utilitas provocat, dispensatio laudabilis est“ De Consideratione Libr. III. cap. 4. n. 5.

[5]) S. Alph.: H. A. Tr. II. n. 52. cum aliis.

declaret vel dispenset. Ratio, quia dubitare, utrum casus indigeat dispensatione, perinde est, ac dubitare, an casus ille sit inclusus in lege. Excipe dispensationes matrimoniales ratione Sacramenti, ne hoc frustrationis periculo exponatur.[1])

D. De dispensationis cessatione.

11. — Dispensatio cessat 1. cessatione causae motivae, 2. revocatione dispensationis, et 3. dispensati renuntiatione.

1. Cessat dispensatio *cessante causa motiva totali,* a) si haec causa cessat, antequam dispensatus usus sit dispensatione; sic e. g. sacerdos, qui dispensatus est ab Officio divino, sed ante usum dispensationis convaluit, ad horas canonicas tenetur; — b) si causa motiva totaliter cessat, postquam dispensatus jam usus fuerit dispensatione; sic v. g. qui ob infirmitatem obtinuit dispensationem a jejunio, postea infirmitate remediis penitus depulsa ad jejunium rursus tenetur. Ratio utriusque est, quia superior dispensando obligationem legis in casu particulari relaxat, causa relaxationis supposita vera et durante.[2]) — Excipe, si superior gratiam *absolute* concessisse merito censeatur ob causam, quae perpetua judicatur v. g. propter morum honestatem. Sic e. g. si quis absolute et illimitate obtinuit dispensationem a voto castitatis, ad contrahendum matrimonium, mortua conjuge perdurat dispensatio, nisi fuerit concessa pro speciali casu, ut e. g. ad ducendam virginem ab illo defloratam.[3])

2. Dispensatio cessat per *revocationem* dispensantis; *per quas enim causas res nascitur, per easdem dissolvitur.* Equidem revocatio facta a superiore in lege sua, valida est, etiamsi nulla causa intervenerit; secus vero, si sine rationabili causa facta sit a superiore secundario seu delegato ab ipso legislatore. Semper autem revocatio nulla justa causa innixa est illicita.[4])

3. Dispensatio cessat per *renuntiationem* dispensati; potest enim quilibet cedere jure suo. Debet autem renuntiatio esse consummata i. e. a superiore acceptata; tunc ille, qui renuntiavit, nequit amplius dispensatione uti.[5])

---

[1]) Idem: Lib. I. n. 192. Lib. VI. n. 902.

[2]) S. Alph.: H. A. Tr. II. n. 66. In dubio, an causa totaliter cessaverit, standum est pro dispensatione, quae in possessione reperitur.

[3]) S. Alph.: Libr. I. n. 196.

[4]) Idem Libr. I. n. 197.

[5]) Idem Lib. I. n. 198.

* S. Bernardus: Lib. de praecepto et dispensatione (Op. Tom. II.) S. Thomas: Summa Theol. 1. 2. q. 97. a. 4., q. 100. a. 8., 2. 2. q. 88. a. 10. Quodl. IV. a. 13. S. Alphonsus: Theologia moralis Libr. I. n. 178—199. Homo Apostolicus Tr. II. n. 46—48. — Suarez: De legibus Libr. IV. 10—24. (copiosissime). Laymann: Theologia moralis, Libr. I. Tr. IV. cap. 22. La Croix: Theolog. moral. Lib. I. n. 797—823. Reuter: Theol. moralis. P. I. cap. 10. n. 238—252. Bouvier: Institutiones Theologiae, Tom. IV. Tract. de legib. Par. II. cap. 6. a. 5. (Parisiis Ed. 12.) Gousset: Moraltheologie etc. I. B. n. 189—210. Kenrick: Theologia moralis Vol. I. Tract. IV. n. 47—60. Lehmkuhl S. J.: Theol. mor. Vol. I. de lege pag. 111—118. Friburgi 1883. Clemens Marc C. S. R. Institutiones morales Alphonsianae Tom. I. n. 227—247. Romae 1885.

Casus.

12. — *Clara in tribunali poenitentiae a Confessario interrogata, an praeceptum ecclesiasticum abstinentiae a carnibus observaverit, reponit, se propter stomachi debilitatem ac provectam aetatem non valere cibis esurialibus vesci. Confessarius illi imponit, ut episcopum supplex adeat pro impetranda dispensatione. Mulier Confessario obsecuta dispensationem in perpetuum ab episcopo obtinet. Sed non multo post ita convalet, ut absque incommodo cibis esurialibus vesci possit.*

Quaeritur: 1. An Clara peccaverit non abstinendo a carnibus? 2. An recte Confessarius egerit illi injungendo, ut dispensationem sibi procuraret? 3. An valida esse pergat dispensatio, postquam mulier illa convaluerat?

Resp. *ad 1.* Si Clara infirmitate manifeste gravi laboraverit et incommoda gravia ex abstinentia a carnibus merito timuerit, tunc a praecepto excusata erat, adeoque non peccavit.

Resp. *ad 2.* Confessarius prudenter mulieri injunxit, ut ad episcopum pro obtinenda dispensatione recurrat, saltem tunc, si in perpetuum mulier excusari voluerit ab abstinentia carnis, quia omnibus diebus esurialibus vix tanta erit ipsius infirmitas, ut per se excuseter a praecepto. Pro praxi tamen commendandum, ut in iis casibus, ubi poenitentes indigeant dispensatione a praecepto abstinentiae vel jejunii, Confessarius officium boni viri subeat, et ipse pro iis supplicationem (expositis exponendis) ad episcopum dirigat, quia timendum, ne poenitentes negligant dispensationem ab episcopo petere, et praeceptum nihilominus praetermittant.

Resp. *ad 3.* Valida esse pergit dispensatio, si Clara non perfecte convaluerit, vel relapsum in infirmitatem ex praecepti observantia prudenter timeat, quia tunc non totaliter cessavit causa motiva dispensationis; secus autem, si sanitas sit integra restituta nullumque suppetat periculum recidendi in infirmitatem vel aliud grave detrimentum patiendi. Attamen cum in casu proposito mulier jam sit grandaeva, tale periculum vix aberit, adeoque uti poterit dispensatione. Imo juxta s. Alphonsum[1]) etiam in dubio, an causa finalis totaliter cessaverit, standum est pro dispensatione, quae possidet.

Quid autem, si foemina illa abstinentiam per aliquod temporis spatium servaverit, an dispensatione obtenta postea rursus uti posset?

Affirmandum est, quia non videtur dispensationi renuntiasse, vel si forte tacite renuntiaverit, nihilominus dispensatio perdurat, quandoquidem renuntiatio a superiore debet esse acceptata, ut per eam dispensatio tollatur.

---

[1]) Theol. mor. Libr. I. n. 196.

13. — *Edmundus ficto nomine Eduardi et duabus causis, una falsa, altera vera allegatis, petiit et obtinuit dispensationem. An valida est dispensatio?*

Quidam juvenis illegitime natus certissime sibi persuadet, episcopum cum ipso esse dispensaturum pro susceptione Tonsurae et Ordinum minorum, si causam cognosceret; ex qua persuasione Tonsuram et sacros Ordines suscipit. An licite?

Resp. *ad 1.* Error in nomine personae potentis dispensationem non obstat ejus validitati, nisi dispensans ex falso nomine intelligeret personam sibi notam, cui intenderet gratiam facere, non autem illi, cui reapse petitur. Porro si causa vera fuerit motiva et vere sufficiens ad dispensandum, valet dispensatio; secus, si illa fuerit impulsiva tantum, et falsa motiva. Cf. n. 8.

Resp. *ad 2. Neg.*, quia non datur dispensatio praesumpta; quae censuram suspensionis incurrit. Etenim dispensatio est exemptio a lege, quapropter in superiore adesse debet cognitio rei, in qua optatur exemptio, et actualis voluntas eximendi; quod utrumque deest dispensationi praesumptae. — Similiter sacerdos jurisdictione carens invalide absolveret ex ea persuasione, quod si Ordinarius casum praesentem sciret, haud dubie jurisdictionem conferret.

14. — *Ob incompetentiam dotis alicui sponsae dispensatio concessa est ad matrimonium cum consanguineo ineundum. Jamvero in petitione positus est secundus gradus pro tertio; porro tempore petitionis illa foemina erat satis opulenta, tempore tamen concessionis fere omni sua dote privata extitit. Quaeritur: An dispensatio sit valida?*

Petrus obtinuit dispensationem ad contrahendum cum Bertha consanguinea, sed neglecta dispensatione ducit Luciam; paulo post Lucia mortua Bertham sine nova dispensatione ducere cupit. Quaeritur: An valide possit Bertham matrimonio sibi conjungere?

Resp. *ad 1.* Dispensatio certe valida est; etenim a) non obstat, quod ex errore gradus secundus consanguinitatis positus est pro tertio, quia minor gratia in majori ejusdem generis continetur; b) nec obstat, quod sponsa tempore petitionis fuit opulenta, quia ad valorem dispensationis sufficit, ut causa motiva dispensationis vera fiat tempore concessionis, coll. n. 8.

Resp. *ad 2.* Petrus valide potest Bertham ducere, cum qua fuerat dispensatus, quia impedimentum est ablatum, quod non rediit propter matrimonium cum Lucia initum. Tunc tantum Bertham ducere nequiret, si dispensationi prius obtentae *expresse* renuntiasset et renuntiatio dispensanti fuisset nota et ab illo acceptata.[1])

§. 67.

De consuetudine.

1. — *Consuetudo est mos agendi frequentibus populi actibus inductus.* Consuetudo aliis verbis dicitur *jus non scriptum,* quia debitis instructa conditionibus vim legis habet; etenim potest 1) legem dubiam interpretari, hinc axioma: Consuetudo optima legum interpres; 2) legem veterem abrogare; 3) legem modificare, prout e. g. tollere culpam remanente poena et vice versa; et 4) legem novam inducere.

[1]) Vid. s. Alph.: Libr. I. n. 198. Suarez: De legib. Lib. VI. cap. 20. n. 8.—10.

2. — Ut consuetudo vim legis sortiatur,

Requiritur I. *e parte materiae:* 1) ut sit honesta, quia lex quaelibet ab hominibus originem ducens honesta esse debet; adeoque nulla consuetudo contra legem naturalem et divinam valet,[1]) 2) ut sit *utilis,* talis enim omnis lex esse debet, quapropter repudianda est consuetudo bono communi perniciosa.

Requiritur II. *e parte communitatis,* ut sit introducta a *majori* populi parte, et quidem 1) per actus publicos et continuatos seu non interruptos usque ad completam consuetudinem. quia, ut vim obligandi sortiatur, non minus quam quaelibet alia lex debet esse sufficienter promulgata, 2) *cum intentione* saltem implicita *se obligandi,* si agatur de consuetudine praeter legem, quia ad legem essentialiter pertinet vis obligandi, quare ex consuetudine nulla evadit lex, si populus ex sola devotione agat, item, si per vim aut metum aut ignorantiam et errorem actus ponat, quia deest voluntas se obligandi; 3) *per notabile tempus,* et quidem saltem per *decennium,* quod pro qualibet lege ecclesiastica praescribenda sufficiens esse (nisi aliud sit sancitum), probabile censet s. Alphonsus,[2]) et non improbabile vocat Benedictus XIV.[3]) contra alios, qui pro lege ecclesiastica 40 annos requirunt.

Requiritur III. *ex parte superioris,* ut *ejus consensus* habeatur, quia omnis lex a superiore pendet; quam ob rem si princeps resistat et puniat consuetudinis introductores, nulla valet consuetudo. Non autem ad tribuendam consuetudini vim legis requiritur, ut princeps *cognoscat* specialem consuetudinem, atque expresse in eam consentiat; nam praesumitur principem tacite approbare quamlibet rationabilem consuetudinem, quae legitime praescripta est, quando contra illam non reclamat.[4]) — Quid autem, si legi apponatur

[1]) Quo sensu S. Gregorius: M. in ep. ad Aversanum episc. (quae habetur dist. 8.) scribit: *„Si consuetudinem fortassis opponas, advertendum est, quod Dominus dicit: Ego sum via, veritas et vita. Non dicit: ego sum consuetudo, sed veritas.“*

[2]) H. A. Tr. II. n. 11.

[3]) De Synodo Dioeces. Lib. XIII. cap. 5. n. 4.

[4]) Consensus quippe superioris requisitus, ut consuetudo vim legis obtineat, triplex esse potest: 1. *expressus,* quando princeps consuetudini cognitae aperte consentit; 2 *tacitus,* quando consuetudinem scit et non reprobat, dum eam commode possit reprobare; 3. *generalis* seu *legalis,* quando princeps ignorat consuetudinem, sed illi consentit per voluntatem generalem, qua omnem consuetudinem rationabilem et legitime praescriptam adprobat, eique vim legis tribuit.

clausula: *„non obstante quacunque consuetudine?“* Haec clausula respicit *praeteritas* consuetudines, non autem futuras, ideoque consuetudo non obstantibus his verbis contra legem invalescere potest. Quodsi in lege reprobetur etiam *futura* consuetudo ut *irrationabilis*, tunc distinguendum est, videlicet: si reprobetur ut contraria legi naturali aut divinae positivae, certe nunquam consuetudo contraria valere potest; secus si reprobetur ut irrationabilis respectu temporis, quo lex humana constituitur, quia suboriente aliqua causa nova consuetudo fieri potest rationabilis et consequenter valere. [1])

His addendum est, quod ii, qui initio introducunt consuetudinem contra legem, omnino peccant, quia tunc lex adhuc possidet, prouti simile dictum est de lege non acceptata, coll. §. 55. n. 4.

3. — Denique advertendum est, *consuetudinem abrogari posse per subsequentem legem*, quia obligatio consuetudinis ab auctoritate principis pendet, a quo proinde etiam tolli potest. Non autem *particularis* consuetudo loci per legem generalem ipsi contrariam abrogatur, nisi in lege *de illa* specialis mentio fiat, aut nisi in lege expresse revocetur *quaelibet* consuetudo contraria. Consuetudo autem *immemorabilis*, cum majorem vim habeat, non revocatur, nisi ea nominatim exprimatur et revocetur in lege, ut S. C. C. declaravit.

4. — Cum superioris sit, spiritualibus subditorum profectibus consulere, omni studio eum adlaborare oportet, ut consuetudines, quae contra fidem vel mores invaluerint, radicitus evellantur; [2]) laudabiles vero consuetudines, quae ad pietatem nutriendam conferunt, studiose observentur et foveantur; quaeque minus utiles vel inutiles sunt, aut ad bonum subditorum reformentur, aut, ubi hoc non procedit, discrete removeantur, rite perpensis s. Augustini verbis, quod non raro *ipsa mutatio consuetudinis, etiam quae adjuvat utilitate, novitate perturbat.* [3])

* S. Thomas: Summa Theolog. 1. 2. q. 97. a. 3. S. Alphonsus: Theologia moralis Lib. I. n. 107—109. Homo Apostolicus Tr. II. n. 79.—83. — Suarez: De legibus Libr. VII. latissime per 20 cap. Laymann: Theologia moralis Lib. I. Tract. IV. cap. 24. Mazzotta: Theol. mor. Tract. I. Disp. 3. Praeter alios imprimis Bouix: Tractatus de principiis juris canonici Par. II.

[1]) S. Alph.: H. A. Tr. II. n. 81.

[2]) Contra hujusmodi consuetudines conqueritur s. Augustinus: Confess. Lib. I. n. 25. velut aevum nostrum deplorans: *Vae tibi flumen moris humani? Quis resistet tibi? Quamdiu non siccaberis? Quousque volves Evae filios in mare magnum et formidolosum, quod vix transeunt, qui lignum conscenderint?“*

[3]) Epist. 54. ad Jan. cap. 5. n. 6. Cf. Benedictus XIV.: De Syn. Dioec. Lib. XI. cap. 5. n. 1. etc.

Sec. VI. Hammerstein S. J.: Ueber die verbindende Kraft des Gewohnheitsrechtes (Stimmen aus Maria-Laach, kath. Monatsschrift, 1871. 4. H. S. 319. etc.) Marc C. S. R.: Institutiones morales, Tom. I. de legibus n. 261—268. Romae 1885.

Casus.

5. — *Immemorabilis in aliqua parochia obtinet consuetudo, qua singulis annis fideles ad Cellas Marianas peregrinationem instituere solent. Cum vero fervor devotionis paulatim remiserit, porro nonnunquam in via a junioribus aetate fiant insolentiae minusque frequentis populi processio esse incipiat: parochus peregrinationem hanc abrogat. Quaer. 1. An peccaverint parochiani, desides in hac consuetudine observanda? 2. An parochus eam abrogando recte fecerit?*

Resp. Distinguendum: vel ex intentione se obligandi (e. g. ad gratias B. Virgini agendas pro singulari beneficio ab ea obtento), vel ex sola devotione parochiani consuetudinem illam introduxerunt. Si *prius*, tunc consuetudo haec utpote honesta et utilis in se, elapso tempore ad praescriptionem requisito vim legis obtinuit, dummodo expressa vel tacita episcopi dioecesani approbatio accesserit coll. n. 2., quapropter parochiani in ea observanda desides a culpa excusari nequeunt, et parochus eam abrogando inique egit, quamvis mala quaedam subinde eidem se immiscuerint, quia consuetudinem, quae vim legis obtinuit, prouti aliam legem particularem in dioecesi abrogare, ad episcopum pertinet, cujus arbitrio idcirco parochus rem relinquere debuisset. — Si *posterius*, tunc consuetudo vim legis non habuit (coll. n. 2.), ideoque parochiani peregrinationem non frequentantes peccati argui nequeunt, atque parochus illam abrogando saltem Ordinarii sui auctoritatem non laesit. An vero propter quasdam insolentias et minorem populi frequentiam consuetudinem illam tollendo bene egerit, ex praedictis n. 4. facile conjicitur.[1]) In *dubio*, an consuetudo fuerit inducta cum animo se obligandi, facta disquisitione, valet principium: *Lex dubia non obligat.*

§. 68.

De privilegio.

1. — *Privilegium est gratia constans vel contra vel praeter legem alicui a superiore concessa.* Distinguitur a *dispensatione*, quia haec semper est contra legem (§. 66. n. 1.), cum tamen privilegium etiam praeter legem esse possit. Differt etiam a *licentia*, quae non sicut privilegium est gratia constans, sed tantum ad unum vel alterum actum concedi solet.

2. — Privilegium multiplex est, videlicet: 1. reale vel personale, 2. contra legem vel praeter legem, 3. favorabile vel odiosum.

1. *Reale* est, quod directe conceditur alicui rei, nempe loco, dignitati, muneri etc. et indirecte tantum pertinet ad personas, prout e. g. privilegium altaris. *Personale* dicitur, quod directe confertur personae, v. c. ob ejus scientiam, merita, pietatem, infirmi-

[1]) Vide Laymann: Lib. IV. Tract. 4. cap. 3. n. 7.

tatem etc. — Privilegium *reale* transit ad haeredes et successores in eadem re, sed qui illud habent, eodem nequeunt uti extra territorium, quia censetur locale. Privilegium *personale* extinguitur cum eadem persona, et qui illud habent, eodem uti possunt, in quocumque loco versentur.

2. Privilegium *contra legem* est, quo quis eximitur a lege communi, v. g. privilegium oratorii privati, vi cujus privilegiatus liberatur ab obligatione, in ecclesia Missam audiendi. Privilegium *praeter legem*, quo quis a lege non eximitur, sed donatur aliqua facultate, quae ipsi de jure non competit, prout e. g. est facultas dispensandi, absolvendi a casibus reservatis, a censuris etc.

3. Privilegium *favorabile* dicitur, quod est praeter legem aliosque non gravat e. g. facultas dispensandi. *Odiosum* nuncupatur, quod est *vel* contra legem, *vel* dum uni favet, alios gravat, ut e. g. privilegium oratorii privati, privilegium obtinendi plura beneficia, exemptio ab observantia regulari, a tributis solvendis etc. Privilegium favorabile large interpretandum, odiosum vero strictae interpretationis est.

3. — Praeterea adhuc sequentia de privilegiis notatu praeprimis digna sunt:

1. Privilegium *contra legem* illi tantum, qui in legibus dispensandi potestatem habent et *solis subditis* concedere possunt, quia tale privilegium importat dispensationem. Privilegium autem *praeter legem* superiores etiam non subditis concedere possunt, quia talis concessio est instar donationis. Privilegium non solum *rescripto* et *viva voce*, sed etiam *tacite* conferri potest.[1]) Imo et *per consuetudinem* privilegium introduci potest, prout est illud, vi cujus Matutinum anticipare licet die praecedenti.[2])

2. Nemo tenetur regulariter loquendo uti privilegio, quia unusquisque jure suo cedere potest. Excipitur tamen, si illud negligendo praeceptum aliquod observandum adimplere non posset, vel proximo grave damnum inferret. Hinc e. g. peccaret confessarius, qui habens facultatem absolvendi a reservatis peccatorem in gravi necessitate constitutum absolvere nollet; item infirmus, qui oratorio privato, quod in domo sua legitime erectum est, non uteretur ad sacrum audiendum.[3])

[1]) Vid. Benedict. XIV.: De Synod. Dioeces. Libr. VII. cap. 9. n. 3. et 5.

[2]) S. Alph.: Th. m. Lib. V. n. 155.

[3]) Idem: Lib. I. de privil. n. 3.

3. Privilegium cessat: 1) morte personae vel interitu rei, prout est personale vel reale, 2) lapsu temporis praescripti, 3) cessatione causae, propter quam fuit concessum, 4) renuntiatione voluntaria acceptata ab eo, qui illud concessit,[1]) sicut et per non usum spatio temporis ad praescriptionem sufficienti, si privilegium sit odiosum, quia tunc censetur adesse tacita renuntiatio (favorabile autem per non usum vel usum contrarium quantumvis longe protractum non amittitur), 5) revocatione concedentis e. g. per novam legem privilegio contrariam.[2])

* S. Alphonsus: Theologia moralis Lib. I. Append. de privilegiis. — Suarez: De legibus Lib. VIII. per 40 capita. Laymann: Theolog. mor. Lib. I. Tract. IV. cap. 23. Mazzotta: Theolog. mor. Tract. I. Disput. V. Reuter: Theol. mor. P. I. a. 205.—213. J. B. Bouvier: Institutiones Theologicae Tom. IV. Tract. de legibus Par. II. cap. 6. (Edit. 12. Parisiis 1840.)

§. 69.

De cessatione legis.

1. — Lex cessare potest 1. per abrogationem et derogationem, 2. per cessationem causae motivae adaequatae, et 3. per consuetudinem, de qua supra dictum est.

I. *Abrogatio legis* fit, quando lex totaliter aboletur; *derogatio legis* obtinet, quando lex ex parte dissolvitur, cum e. g. aliqui casus a constitutione generali eximuntur.

Qui leges ferre possunt, iidem leges etiam abrogandi vel eis derogandi potestatem habent: *res, per quas causas nascitur, per eas dissolvitur*. Sed inferior legem a superiore latam aut tollere aut relaxare nequit, quia non est paris potestatis.[3]) Legislator vero sine justa causa (evidentis utilitatis vel urgentis necessitatis) valide quidem, sed non licite legem revocat, quia frequenti legum mutatione confusio, legumque contemptus in populo paritur.[4]) — Legum ecclesiasticarum abrogatio vel derogatio plerumque per posteriores contrarias fieri solet, quin priores expresse revocentur.

[1]) Hoc tamen non valet quoad privilegia, quae non tam personae, quam statui seu dignitati conceduntur. Ita clericus non potest renuntiare privilegio *canonis*, nec religiosus privilegio *exemptionis*.

[2]) Vid. s. Alph.: Lib. I. de privil. n. 14.—17.

[3]) De qua re multa habet Bened. XIV. De Synod. Dioeces. Lib. V. cap. 4. n. 3.; Libr. IX. cap. I. n. 6. et 7. Lib. XII. cap. 1. n. 2.

[4]) Vid. S. Thom. 1. 2. q. 97 a. 2. Suarez: De leg. Lib. IV. cap. 25

II. *Cessatio causae motivae adaequatae* est cessatio finis totalis, ob quem lex constituta est. Si finis legis totaliter cessat, etiam lex cessat, etsi non adsit revocatio superioris, *quia cessante causa etiam effectus cessat.* [1]) Sic e. g. oratio ab episcopo imperata pro pace obtinenda, pace obtenta non amplius obstringit. Quando vero lex ob plures causas lata est, et una tantum earum cessat, tunc obligatio legis manet, si adhuc revera sufficiens causa extat.

2. — Sed (quaeres) *an ille obligetur ad legem, pro quo in casu particulari finis adaequatus legis cessaverit?*

Utique obligatur, nisi lex in aliquo casu redderetur nociva aut saltem valde difficilis juxta dicta §. 63. n. 3., tunc enim vel se ipsum excusare vel in re gravis momenti aut dubia dispensationem petere posset §. 66. n. 10. Ratio est: 1) quia lex respicit communitatem, cujus partes singuli existunt, qui proinde a lege non eximuntur, si finis legis non pro tota communitate cesset; 2) quia alioquin daretur subditis occasio saepe eludendi leges; nam sibi quisque facile fingeret finem legis respectu sui cessare. Ita s. Alphonsus [2]) et alii communius docent. Hinc e. g. nequit absque speciali facultate legere libros prohibitos, qui nullum ex eis periculum sibi imminere putat; non eximuntur a bannorum proclamatione sponsi, qui persuasum sibi habent nullum matrimonio, quod inire intendunt, impedimentum subesse.

§. 70.

Epilogus.

Ex primo sancti Augustini sermone in Psalmum CXVIII. [3])

„Quis usquam vel potest, vel potuit vel poterit inveniri, qui nolit esse beatus? — Omnes quidem beatitudinem concupiscunt, sed quonam modo ad eam perveniatur, plurimi nesciunt. Ideoque haec docet iste, qui dicit: *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini.* Tamquam diceret: Scio quid velis, beatitudinem quaeris; si ergo vis esse beatus, esto immaculatus. Illud enim omnes, hoc autem pauci volunt, sine quo non pervenitur ad illud, quod omnes volunt. Sed ubi erit quisque immaculatus, nisi in via? In qua via, nisi in legi Domini? Ac per hoc: *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini,* non superflue nobis dicitur, sed exhortatio

[1]) S. Thom.: I. 2. q. 103. a. 4. ad 3. in fine. S. Alph. Lib. I. n. 199.

[2]) Lib. I. n. 199.

[3]) n. 1. Edit. Maux.

necessaria nostris mentibus adhibetur. Quid enim boni sit, ad quod multi pigri sunt, id est, immaculatos ambulare in via, quae lex est Domini, sic ostenditur, cum beatos esse, qui hoc faciunt, indicatur, ut propter illud, quod omnes volunt, etiam hoc fiat, quod plurimi nolunt. Beatum quippe esse, tam magnum est bonum, ut hoc et boni velint et mali. Nec mirum est, quod boni propterea sunt boni; sed illud est mirum, quod etiam mali propterea sunt mali, ut sint beati. Nam quisquis libidinibus deditus, luxuria stuprisque corrumpitur, in hoc malo beatitudinem quaerit, et se miserum putat, cum ad suae concupiscentiae voluptatem laetitiamque non pervenit, beatum vero non dubitat jactare, cum pervenit. Et quisquis avaritiae facibus inardescit, ad hoc congregat quocumque modo divitias, ut beatus sit: inimicorum sanguinem fundere quicumque desiderat, dominationem quisquis affectat, crudelitatem suam quisquis alienis cladibus pascit, in omnibus sceleribus beatitudinem quaerit. Hos igitur errantes, et vera miseria falsam beatitudinem requirentes, revocat ad viam, si audiatur vox ista divina, *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini:* tamquam dicens, Quo itis? Peritis, et nescitis. Non illac itur, qua pergitis, quo pervenire desideratis: nam utique beati esse cupitis; sed misera sunt, et ad majorem miseriam ducunt itinera ista, quae curritis. Tam magnum bonum quaerere per mala nolite: si ad illud pervenire vultis, huc venite, hac ite. Viae perversae relinquite malignitatem, qui non potestis relinquere beatitudinis voluntatem. Frustra tendendo fatigamini, quo perveniendo inquinamini. Non autem beati inquinati in errore, qui ambulant in perversitate saeculi: sed, *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini.*“

CAPUT II.

De conscientia.

Transitio.

Ad servandum ordinem a Deo stabilitum, eoque ipso recte vivendum non sufficit, cognoscere leges, quae ordinem illum servari jubent; sed requiritur ulterius, ut per rationem leges cognitae accurate applicentur ad casus particulares, in quibus est agendum. Applicatio haec appellatur conscientia, de qua in praesentia disserere instituimus.

Sermo fiet 1. de conscientiae natura et obligatione, 2. de conscientia recta et erronea, 3. de conscientia certa et dubia, 4. de conscientia perplexa et scrupulosa, 5. de conscientia probabili.

§. 71.

De conscientiae natura et obligatione.

1. — Conscientia indicat relationem scientiae ad aliquid, est enim etymologice spectata quasi *cum alio scientia*. Hinc sensu morali *conscientia* apte definitur: *applicatio legis cognitae ad aliquem actum particularem.*[1]) Quae applicatio fit duplici modo: 1. cum judicamus, aliquid in particulari seu hic et nunc esse faciendum ut bonum, aut fugiendum ut malum; et tunc conscientia dicitur *ligare;* — 2. cum judicamus, aliquid a nobis factum, esse bene vel non bene factum; et tunc conscientia dicitur *testificari* Rom. 2, 15., et testificatur quidem, dum aut *excusat* aut *accusat*, et subinde vel *laetificat* vel

[1]) S. Thomas ait: „*Conscientia est applicatio scientiae ad aliquem actum.*“ 1. q. 79. a. 13. c., 1. 2. q. 19. a. 5. c. Conscientia non tantum applicat legem naturalem, sed etiam quamcunque aliam, sive divinam, sive humanam. Suarez: De legib. Libr. II. cap. 5. n. 15.

remordet. Isai. 66, 24. Sap. 4, 20., 2. Cor. 1, 12.[1]) Conscientia quoad primum modum efficaciae, quo respicit actus instantes seu futuros, *antecedens* vocatur, quoad alterum modum efficaciae, quo actus praeteritos judicat, *consequens* nuncupatur.

Conscientia antecedens, de qua nobis potissime agendum, plene definita est *judicium practicum rationis dictans, aliquid hic et nunc esse agendum ut bonum aut vitandum ut malum.* Dicitur *hic et nunc*, quia conscientia semper casum particularem respicit.

2. — Ad conscientiae proprietatem melius adhuc perspiciendam sequentia observamus:

1. *Conscientia non est potentia, sed actus.* Ita cum d. Thoma[2]) et s. Bonaventura[3]) Theologi communissime docent. Ratio est 1., quia conscientia vi etymologiae est applicatio scientiae ad aliquem actum; applicatio vero non est potentia, sed actus; 2. quia effectus, qui omnium consensu conscientiae attribuuntur, sunt actus, scilicet judicare, ligare, testificari, excusare, accusare; 3. quia dicitur, conscientiam deponi, potentia autem deponi nequit; rursus, agere contra conscientiam, quod congruit tantum actuali dictamini seu judicio, non potentiae.[4])

2. *Conscientia est actus rationis seu intellectus.* Sic fert doctrina receptissima s. Thomae[5]) contra paucos, qui conscientiam ad voluntatem deducunt. Probatur 1. ex effectibus conscientiae paulo ante relatis, qui satis clare ostendunt, conscientiam ad intellectum pertinere, — 2. ex loquendi usu s. scripturae: „*Quod non est ex fide, peccatum est,*“ Rom. 14, 22., ubi nomine fidei intelligitur conscientia, jam vero fides spectat ad intellectum.[6])

Ceterum conscientia, quamvis voluntas non sit, neque voluntatis actus, vim tamen maximam in voluntatem, imo et in animum seu cor hominis exerit, ut ex ejusdem effectibus perspicere licet.

[1]) S. Thom.: De veritate p. 17. a. 1. Summa Theol. 1. q. 79. a. 13.

Effectus illos conscientiae pulchre depingit Alph. Anton. de Sarasa S. J. in op.: Ars semper gaudendi Par. II. Tract. 2. n. 21—22. Tract. 9. et 10. (Ed. 4. 1750).

[2]) In II. Libr. Sent. Dist. XXIV. q. 2. a. 4. De veritate q. 17. a. 1. Summa Theol. 1. q. 79. a. 13.

[3]) In Libr. II. Sent. Dist. XXXIX. a. 1. q. 1.

[4]) Legi potest praeter d. Thomam l. c. Suarez: De conscientia Sect. 1. n. 4—6

[5]) 1. p. 70. a. 13.

[6]) Consuli possunt: Suarez: De conscientia Sect. 1. n. 3. Sporer: Theol. mor. Decalogalis Tr. I. cap. 1. n. 5. De Sarasa: Ars semper gaudendi P. II. Tract. II. n. 9—14., ubi et opinio contraria scite refellitur.

Etenim ligat et instigat voluntatem ad recte operandum, cor autem gaudiis perfundit aut morsibus cruciat, prouti sibi vel praestitum vel denegatum est obsequium postulatum.

3. *Conscientia non est scientia agendorum in genere, haec enim synteresis vocatur, sed est judicium agendorum in particulari seu hic et nunc.* Judicium, quo generatim decernitur, Deum prae omnibus diligendum, pro patria ponendam vitam, parentes esse honorandos, peccata esse fugienda etc., — ad synteresin spectat. At vero statuere, hac nunc occasione actum charitatis erga Deum esse eliciendum, nunc temporis pro patria tuenda mortem esse subeundam, modo honorem parentibus hoc vel illo actu esse exhibendum, hoc peccatum nunc fugiendum, — est conscientiae proprium et ipsamet conscientia.[1])

Adverte, quod longo intervallo haec inter se dissident, magnam de divinis humanisque legibus possidere scientiam, atque eam singulis actibus propriis sive ponendis sive positis fideliter applicare. Unde fit non raro, quod qui magna imbuti sunt scientia, conscientiam exiguam vel *cauteriatam* (1. Tim. 4, 2.) habent, *fovent ignem in sinu, peccatum in conscientia, nec sentiunt, nec expavescunt, nec excutiunt.*[2])

4. *Conscientia est conclusio ex duabus praemissis.* Majorem constituit lex generalis (judicium juris), Minorem casus particularis subsumendus (judicium facti), et dehinc conclusio (judicium practicum) i. e. conscientia deducitur.[3]) Sit exemplum de dictamine, hoc die festo sacrum esse audiendum; in quo casu erit *Major:* Quolibet die festo est sacrum audiendum, *Minor:* Hodie est dies festus, *Conclusio:* Ergo hodie est sacrum audiendum.

PROPOSITIO.

Conscientia, eaque antecedens, est proxima et formalis, sicuti lex remota et objectiva regula operationis, a Deo repetens vim obligandi; quare contra eam agere numquam licet.

3. — 1. *Conscientia est regula operationis,* siquidem est applicatio legis, quam constituere regulam morum, nemo ignorat. Non

[1]) De synteresi s. Thomas in op.: De veritate q. 16.; Sum. Theol. 1. q. 79. a. 12.

[2]) S. Bernardus: Serm. 2. in tempore Resurrect. n. 2.

[3]) S. Thomas: De verit. q. 17. a. 2. c. „— conscientia perficitur quasi quodam syllogismo particulari etc.“

minus igitur conscientia, quam lex dicenda regula operationum moralium. Sed appello conscientiam *antecedentem,* quia regula, secundum quam actus dirigendi et componendi sunt, actus ipsos praecedere debet. Itaque semper lex obstringit, prout tempore actionis illam cognoscimus, non vero qualis postmodum nobis illucescit. Hinc utrum quis peccaverit, necne, pendet a conscientia, quam habuit, dum agebat. Solatio sit haec veritas timoratis, qui rebus juxta conscientiam suam peractis postmodum anxietate et tristitia premuntur, opinantes, se contra unum vel alterum praeceptum deliquisse, Deumque offendisse. Subsequens enim opinio, quam ei efformant, non potest facere, ut actio praecedens fuerit peccatum formale. Utiliter tamen attenditur conscientia consequens ad dirigendos actus futuros.

2. Conscientia est *regula proxima* morum, quia per eam legis praecepta immediate ordinantur et applicantur ad actus hic et nunc aut exercendos aut omittendos.

Porro dicitur regula *formalis,* subjectiva, quia juxta dictum d. Thomae[1]) nullus ligatur per praeceptum nisi mediante scientia praecepti, sicuti nemo vinculo ligatur, nisi id applicetur ipsi; instar vinculi enim lex se habet coll. §. 28. n. 1.

3. Conscientia *a Deo repetit obligandi vim suam;* quia conscientia applicat legem, lex autem unaquaeque sive immediate sive mediate a Deo est, et a Deo vim obligandi deducit. „*Eadem virtus est, qua praeceptum ligat, et qua conscientia ligat,*“ Doctor Angelicus[2]) dicit. Quo sensu conscientia haud immerito „vox Dei“ in homine vocatur. Apte Doctor Seraphicus ait: „*Conscientia est sicut praeco Dei et nuntius. Et quod dicit, non mandat ex se, sed mandat quasi ex Deo, sicut praeco cum divulgat edictum regis.*“[3])

4. *Contra conscientiam agere numquam licet.* Sequitur ex praedictis. Etenim operari contra conscientiam, includit voluntatem peccandi, cum hoc nihil aliud sit, quam agere illud, quod a Deo prohibitum esse judicamus. Unde Apostolus clamat: „*Omne autem, quod non est ex fide* (i. e. non secundum, sed contra conscientiam), *peccatum est.*“ Rom. 14, 22. S. Thomas ait: *Omnis voluntas discordans a ratione sive recta, sive errata, semper est mala.*“[4]) S. Bonaventura tradit: „*Facere contra conscientiam, semper est*

[1]) De veritate q. 17. a. 3. c.

[2]) l. c.

[3]) In Lib. II. Sent. Dist. XXXIX. a. 1. q. 3.

[4]) 1. 2. q. 19. a. 5. c.

peccatum, quia semper est in Dei comtemptum." [1]) Denique aliis praetermissis Innocentius III. monet: *Quidquid fit contra conscientiam, aedificat ad gehennam.*"

4. — Conscientia multipliciter distinguitur:

1. Ratione obligationis, conscientia est *praecipiens, prohibens, consulens, permittens.*

2. Ratione objecti, conscientia alia est *recta*, alia *erronea.*

3. Ratione assensus, conscientia est vel *certa*, vel *dubia*, vel *perplexa*, vel *scrupulosa*, vel *probabilis.*

Quae divisiones mox singillatim explicandae recurrent.

* S. Thomas: De veritate q. 17. a. 1. et 3. In Lib. II. Sent. Dist. XXIV. q. 2. a. 4. Summa Theolog. 1. q. 79. a. 13. S. Bonaventura: In II. Lib. Sent. Dist. XXXIX. a. 1. q. 1—3. — Suarez: In primam secundae D. Thomae Tract III. Disp. XII. Sect. 1. 2. et 4. n. 1. Sporer: Theologia moralis Decal. Tract. I. cap. 1. Sect. 1. Laymann: Theologia moralis Lib. I. cap. 1. 2. et 3. De Sarasa S. J.: Ars semper gaudendi Par. II. Tract. II. (Ed. 4. Francofurti et Lipsiae 1750.) Franc. Bardi S. J.: Disceptationes et conclusiones morales de conscientia. Discept. I. cap. 1—7. (Francofurti 1653.) Stapf: Theologia moralis in Compendium redacta Tom. I. §§. 74. 76. 77. Martin: Lehrbuch der katholischen Moral. 4. Aufl. §§. 37—39. et 50.

Observatio.

5. — Magnum bonum est conscientia exacta et tenera, qua omnis sentiendi agendique ratio in rebus minoris quoque momenti divinae legi sollicite conformatur. Quem qui possidet thesaurum, tum Deo perquam gratus et dilectus existit, tum ipse vere dives et beatus praedicari meretur. „Lectulus respersus floribus conscientia est bonis referta operibus," dicit s. Bernardus.[2]) „Nihil est jucundius, nihil ditius, nihil tutius, bona conscientia. Premat corpus, trahat mundus, terreat diabolus, illa secura est." Clemens Alex. ait: „Universa vita justi est quidam sanctus dies festus." [3]) Et s. Ambrosius: „Vitam beatam efficiunt tranquillitas conscientiae et securitas innocentiae." [4]) Hinc s. Paulus: „*Gloria nostra haec est, testimonium conscientiae nostrae.*" 2. Cor. 1, 12. Similiter s. Augustinus confidenter dixit: „Senti de Augustino, quidquid libet; sola me in oculis Dei conscientia non accuset." [5]) „*Secura mens quasi juge convivium.*" Prov. 15, 15.

[1]) In Lib. II. Sent. Dist. 39. a. 1. q. 3. ad 1.
[2]) In Cantica Serm. 47. n. 2.
[3]) Lib. 7. Strom.
[4]) Lib. II. de offic. cap. 1. n. 1.
[5]) Lib. contra Secundinum Manichaeum cap. 1.

Tantum igitur bonum frequenti ruminatione officiorum nobis incumbentium, jugi virtutum exercitio, lectione librorum spiritualium aptorum, seria et in dies repetita actionum nostrarum discussione, unacum pia meditatione et frequenti oratione ad Patrem luminum comparare satagamus. Praecipue Psalmi ejusmodi precationibus abundant: „*Viam justificationum tuarum instrue me, et exercebor in mirabilibus tuis. Da mihi intellectum, et discam mandata tua. Fiat cor meum immaculatum in justificationibus tuis, ut non confundar. Gressus meos dirige secundum eloquium tuum, et non dominetur mei omnis injustitia.*" Psalm 118. Quibus egregie concinunt Ecclesiae preces: „*Vota, quaesumus Domine, supplicantis populi coelesti pietate prosequere: ut et quae agenda sunt, videant, et ad implenda, quae viderint, convalescant.*" [1])

§. 72.

De conscientia recta et erronea.

1. — *Conscientia recta* (sive vera) *est, quae dictat aliquid hic et nunc esse licitum vel illicitum, praeceptum vel prohibitum, quod revera tale est;* secus erronea seu falsa dicenda est.

Conscientia *erronea* duplex est: invincibiliter et vincibiliter erronea. *Invincibiliter erronea* ea dicitur, cujus error vinci seu deponi nequit, cum nulla cogitatio nullumque dubium erroris veniat in mentem operantis. *Vincibiliter erronea* ea est, cujus error potest et debet vinci ab operante, quia vel errorem jam advertit, vel de errore saltem dubitat, et advertit simul obligationem inquirendi et errorem vincendi, attamen eum vincere negligit. [2])

PRINCIPIA.

2. — **Principium I.** Conscientiae rectae *praecipienti* et *prohibenti* semper obsequi tenemur. Ratio patet ex dictis §. 71. n. 3. Haec enim conscientia nobis revera repraesentat Deum ipsum praecipientem vel prohibentem; quare conscientiae tali obedire recusans Deo ipsi obedire recusat. Ast respectu conscientiae *permittentis* non obligamur, ut actum permissum exerceamus, prouti per conscientiam *consulentem* obstringimur tantum, ne contemnamus, non vero, ut impleamus consilium. [3])

[1]) Dominica infra Octav. Epiphaniae.
[2]) S. Alph.: Lib. I. n. 3. coll. Lib. II. n. 3. et sq.
[3]) S. Thomas: De veritate q. 17. a. 3. ad 2.

3. — **Principium II.** Conscientiam invincibiliter erroneam *permittentem et consulentem* quivis sectari potest absque peccato. *Praecipientem* et *prohibentem* quilibet sectari debet ad reatum peccati fugiendum. Ratio est, quia conscientia invincibiliter erronea subjective omnino aequiparatur conscientiae rectae. Praeterea hanc doctrinam tradit Apostolus, dum Rom. 14, 22. ait, eum, qui carnes manducat, judicans eas sibi esse vetitas, eo quod prius idolis fuerant immolatae, peccare, quia contra fidem (i. e. conscientiam) agit. „*Omne autem, quod non est ex fide, peccatum est.*“ Idipsum passim ss. Patres[1]) edisserunt, quibus concinunt Scholae magistri.[2])

Hinc infertur 1. Qui ex tali conscientia id operatur, quod putat bonum vel praeceptum, ponit actum ejusdem virtutis, ex cujus motivo debite operatur, et meritum quoque sibi acquirit; ut e. g. si quis mentiatur ad liberandum proximum e vitae periculo, putans se ex misericordia ad id obstringi, actum facit misericordiae et simul meritorium. Ita s. Alphonsus[3]) et alii communissime,[4]) praeeuntibus ss. Patribus[5]) docent.

2. Qui vero ex hujusmodi conscientia id facit, quod certe putat malum et prohibitum, vel non facit, quod judicat esse praeceptum, committit peccatum ejusdem speciei et malitiae, quam putat suae actioni vel omissioni inhaerere, ut e. g. qui arbitratur, se certa quadam die teneri ad abstinentiam a carnibus, comedendo carnes peccat contra virtutem abstinentiae, vel graviter vel leviter, prouti vel

---

[1]) Unum adducimus s. Augustinum, qui scribit: „— *Quia voluit, ergo fecit, etiamsi non, quia voluit, peccavit, nesciens peccatum esse, quod fecit.*“ Lib. I. Retr. cap. 25. „*Vos* (Manichaeos alloquitur) *autem immunda esse obsonia dicitis, cum dicat Apostolus, omnia munda esse, sed ei malum esse qui per offensionem manducat. Et prorsus credo, vos istis epulis inquinari eo ipso, quo immunda esse arbitramini.*“ Libr. II. De moribus Manichaeorum cap. 14. n. 35.

[2]) S. Thomas: De veritate q. 17. a. 4. Summa Theol. 1. 2. q. 19. a. 5. ubi inter alia dicit: *Quando ratio errans proponit aliquid ut praeceptum Dei, tunc idem est contemnere dictamen rationis et Dei praeceptum.*“ Sententiarii in II. Lib. Sent. Dist. 39., ubi s. Bonaventura art. 1. q. 3. S. Antoninus: 1. par. tit. III. cap. 10. §. 4. Suarez: De conscientia Sect. IV. n. 6. — S. Alphons.: Th. m. Lib. I. n. 5.

[3]) Lib. I. n. 6. et 7. H. A. Tr. I. n. 62.

[4]) Inter quos doctrinam propositam latissime probat et contra objectiones vindicat La Croix: Theol. mor. Libr. I. n. 14—33.

[5]) Huc spectat, quod ait s. Bernardus: De praec. et dispens. c. 14. n. 35. „*Et quidem laude dignam dixerim vel solam intentionem piam, nec plane condigna remuneratione fraudabitur in opere quoque non bono ipsa voluntas.*“ Alii ss. Patres videri possunt penes Terillum: Regula morum q. 3.

gravem vel levem existimaverit hanc obligationem; qui consumit rem, quam falso putat esse alienam, peccat affectu contra justitiam, vel graviter vel leviter juxta ipsius persuasionem etc.[1]) — Operans tamen contra conscientiam erroneam non incurrit poenas latas in transgressores legis, quam ex errore putat se violare, quia poenae non infliguntur nisi transgressori legis vere existentis. Sic v. g. qui percutit laicum putans, eum esse clericum, non incurrit excommunicationem.

4. — **Principium III.** Qui conscientia *vincibiliter erronea* laborat, nec juxta eam, neque contra eam licite operari potest, sed illam deponere tenetur. Etenim operando *juxta eam* temere operatur et periculo se exponit formaliter peccandi, *contra eam* agendo id eligit, quod judicat esse malum; in utroque igitur casu peccat, et gravius quidem, ceteris paribus, si contra, quam si secundum talem conscientiam operetur.[2]) Unde relinquitur, quod *errorem deponere* tenetur inquisitione veritatis,[3]) videlicet Deum exorando, ut ipsi det intellectum ad scrutandam legem: „*Si quis vestrum indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter.*“ Jac. 1, 5., porro consilium petendo a viris piis et prudentibus, praeprimis a Confessario: „*Consilium semper a sapiente exquire.*“ Tob. 4, 19. Si vero conscientia erronea hic et nunc deponi non possit, et adsit agendi necessitas, tunc habita intentione sese instruendi suo tempore, erit illa pars eligenda, in qua minus mali appareat.

---

[1]) S. Thomas: „*Quando conscientia erronea dictat aliquid faciendum, dictat illud sub aliqua ratione boni, vel quasi opus justitiae, vel temperantiae, et sic de aliis; et ideo transgressor incurrit in vitium contrarium illi virtuti, sub cujus specie conscientia illud dictat;* etc.“ De veritate q. 17. a. 4. ad 9.; praeterea a. 1. 2. p. 19. a. 5. ad 3. Vasquez: In 1. 2. q. 19. a. 6. Disp. 59. c. 3. n. 11. Sanchez: Lib. I. in Decal. cap. 1. n. 5. Laymann: Th. mor. Lib. I. Tr. I. cap. 4. n. 2. Elbel: De conse. n. 139., etc. etc.

[2]) De qua re speciali videri potest Sanchez op. c. cap. 1. n. 15. Breviter dico: consideranda *primo* est utraque materia, *dein*, quomodo lex utraque fuerit apprehensa. Qui e. g. e conscientia vincibiliter erronea putaret, se peccaturum venialiter, nisi furaretur rem gravem ad succurrendum pauperi, is furando graviter peccaret, non furando tantum leviter peccaret. Ordinarie autem gravius peccat, qui agit *contra*, quam qui agit *secundum* talem conscientiam, quia magis explicitum prodit affectum ad peccatum.

[3]) S. Augustinus scribit: „*Non tibi deputatur ad culpam, quod invitus ignoras, sed quod negligis quaerere, quod ignoras.*“ De libero arbitrio Lib. III. cap. 19. n. 53. „*Si quis bonum putaverit, quod malum est, et fecerit, hoc putando utique peccat.*“ Epist. 47. (al. 215.) n. 4. S. Bonaventura id accuratius docet: „*Conscientia* (talis) *non ligat ad faciendum vel non faciendum, sed ligat ad se*

* S. Thomas: De veritate q. 17. a. 3. et 4.; Summa Theolog. 1. 2. q. 19. a. 5. S. Bonaventura: Comment. in Libr. Sent. Dist. XXXIX. a. 1. q. 3. et 4. S. Alphonsus: Theologia moralis. Lib. I. n. 3—7. — Suarez: Com. in 1. 2. Tract. III. Disp. XII. Sect. 4. Fr. Bardi S. J.: Disceptationes et conclusiones morales de conscientia. Discept. II. per 6 capita. (de consc. recta.) Discept. II. per 12 cap. (de consc. erronea). Sanchez S. J.: Lib. I. in Decalog. cap. 11. La Croix S. J.: Theolog. mor. Lib. I. n. 2—43. Laymann S. J.: Theolog. mor. Lib. I. Tract. 4. Sporer: Theolog. moral. Decalog. Tract. I. cap. 1. Sect. 2. n. 10 - 25. Voit S. J.: Theologia moralis Par. I. n. 9—27.

Casus.

5. — *Rosalia confitetur:* 1. *Diebus festis numquam elicui actus virtutum theologicarum;* 2. *Pluribus diebus omisi, opera bona diurna offerre Sanctissimo Cordi Jesu, ad quod obligata sum vi confraternitatis Apostolatus orationis appellatae, cui jam dudum sum adscripta;* 3. *Carnem semel manducavi feria sexta, quia nullus cibus alius mihi apponebatur;* 4. *Frequenter in corde meo surrexerunt maledictiones in pios meos parentes, quas abigere studui, sed non valui; quocirca continuo crucior perturbatione, cum non valeam ob istis peccatis me liberare. Confessarius his auditis piam subjungit admonitionem et subinde absolutionem Rosaliae benigne impertitur. Quaer.:* 1. *An Rosalia in propositis casibus peccaverit, et* 2. *An recte egerit Confessarius?*

Resp. *ad 1.* Rosalia in tribus casibus prioribus non peccavit, saltem *per se;* etenim non datur praeceptum, singulis festis elicere virtutes theologicas, nec stricta obligatio sodalibus dictae confraternitatis incumbit, opera pia, quae peragunt, offerendi sanctissimo Cordi Jesu; et demum a praecepto abstinentiae per impotentiam excusabatur. Dixi: *per se;* siquidem certo tunc peccavit, quando se peccare illis omnibus e conscientia erronea existimavit coll. n. 3. — Quod attinet quartum casum, nullatenus peccavit, quia illae maledictiones voluntariae et liberae non fuerunt. Nec obstat, quod judicaverit, se peccare, quia peccatum absque voluntatis consensu committi nequit.

Resp. *ad 2.* Confessarius Rosaliam monere debuit de variis erroribus, quibus videbat eam esse imbutam, ne forte ex conscientia invincibiliter erronea in posterum formaliter peccaret, vel saltem anxietate continuata premeretur. Porro eam absolvere non potuit ob defectum materiae absolutionis, nisi illa conscientia antecedente judicaverit, se praedictis tribus punctis peccare.

6. — *Christophus, adolescens perquam rudis, peracta confessione, antequam accederet ad mensam communicantium, constituit audire et revera audivit concionem, ex qua cum didicisset, desideria turpia, quae innoxie concipi ac foveri posse erronee hactenus existimaverat, esse graviter peccaminosa, illico ad tribunal poenitentiae se recipit, ubi de hujusmodi desideriis saepe habitis, numquam tamen in confessione expressis se accusat, et iteratam petit absolutionem. Confessarius Christophi petito annuens, eundem absolvit. Quaeritur, an recte?*

---

deponendam pro eo, quod cum talis conscientia sit erronea errore repugnante legi divinae, necessario quamdiu manet, ponit hominem extra statum salutis: et ideo necesse est eam deponere." In Lib. II. Sent. Dist. 39. a. 1. q. 3. c. S. Thomas: 1. 2. q. 19. a. 5. De veritate q. 17. a. 4. S. Alph.: Lib. 1. n. 4. Suarez: De conscient. Sect. IV. n. 10.—12. La Croix: Th. m. Lib. I. n. 42. et 43.

Resp. *Neg.*, nisi Christophus etiam materiam necessariam vel saltem sufficientem addiderit; quia ex suppositione quod ignoraverat, desideria turpia esse peccata, formaliter in illis non peccavit. Nec refert, quod concione audita, se peccasse judicat; etenim actionis natura moralis totaque actionis imputatio pendet a conscientia antecedente, non consequenti coll. 71. n. 3. — Ceterum confessarius ad dignoscendum, utrum invincibiliter ignoraverit poenitens malitiam pravae actionis, eum interroget oportet, annon aliquam indecentiam in actu animadverterit, suspicionem vel dubium de peccato habuerit, et obligationem inquirendi senserit. Recole dicta n. 1.

7. — *Eleonora famula valde obsequiosa, sed parum erudita, dominae suae quandoque in rebus etiam illicitis obtemperat, reputans, se dominae suae absolutam debere subjectionem et obedientiam.*

Wenceslaus cum suis amicis familiariter conversans, alicui detrahit absenti ab initio minime apprehendens, se peccare, postea tamen in confuso suspicans indecentiam quandam sermonum, quos profert.

Georgius miles officialis proelio peracto militem invenit lethaliter vulneratum, qui enixe petebat, ut gladii ictu a doloribus acerbissimis liberaretur. Misericordia motus miserum occidit, non tamen sine timore, id forte non licere.

Quaeritur: Quid sit judicandum de casibus propositis?

Resp. *ad 1. Dist.:* aut cogitatio dubiumve de inhonestate obedientiae in mentem venit Eleonorae, dum res illicitae ipsi praecipiebantur, aut non. Si primum, non poterat obedire ob conscientiam vincibiliter erroneam, ideoque obediendo peccavit, coll. n. 4. Si alterum, obedire poterat, imo et debebat ex conscientia invincibiliter erronea, et obediendo honeste egit, coll. n. 3. An etiam *mereri* poterat? — Procul dubio ut communissime docent coll. n. 3. Nec obstare potest objectum malum; etenim juxta d. Thomam.[1]) quem omnes sequuntur, *actus humanus judicatur virtuosus vel vitiosus secundum bonum apprehensum* (in conscientia), *in quod voluntas fertur, et non secundum materiale objectum actus.* Id quod egregie confirmat s. Bernardus[2]) dicens, subditum praelato obedientem ex recta intentione meritorie agere, quamvis materialiter erret contra legem.

Resp. *ad 2.* Initio, dum nullo modo inhonestatem sermonum, quos effutiebat, advertit, a peccato immunis erat ob conscientiam invincibiliter erroneam; postea autem, in confuso jam suspicans, se peccare, certe formaliter peccavit detractionem prosequendo, ob conscientiam vincibiliter erroneam.

Resp. *ad 3.* Georgius homicidii reus est ob errorem vincibilem et culpabilem. Ratio ex hactenus dictis sat superque liquet.

§. 73.

De conscientia certa et dubia.

A. De conscientia certa.

1. — *Conscientia certa dicitur dictamen practicum rationis, quo quis absque errandi formidine judicat, aliquid hic et nunc esse bonum vel malum, adeoque faciendum vel fugiendum.*

---

[1]) Quodl. 3. a. 27.

[2]) De praecepto et dispens. c. 12. et 17.

Conscientia *certa* a *recta* in eo differt, quod haec respicit objectum seu rem, prouti est, illa autem respicit subjectum seu hominem firmiter judicantem de re, qualis sit. Unde fit, quod conscientia potest esse certa, quin sit recta, qualis est conscientia invincibiliter erronea.

PRINCIPIA.

2. — **Principium I.** Ad honeste operandum semper *conscientia certa* requiritur. Id d. Thomas [1]) et Doctores omnes tradunt. [2]) Ratio est: 1) quia *„omne quod non est ex fide* seu ex firma mentis persuasione, *peccatum est.“* Rom. 14, 22., 2) quia operans ex conscientia non certa, se exponit periculo peccandi; qui vero peccandi periculo se temere exponit, eo ipso jam peccat: *„Qui amat periculum, in illo peribit.“* Eccli. 3, 27.

Principium II. Sufficit autem ad honeste operandum conscientiae *certitudo moralis* seu talis, qualis exsurgit ex rationibus, quae quidem infallibiles non sunt, attamen ordinarie non fallunt, nullumque dubio prudenti locum relinquunt. Est doctrina communissima Theologorum, et probatur 1. quia certitudo moralis est vera certitudo, adeoque ex conscientia moraliter certa operans revera ex fide operatur, — et 2. quia certitudo absoluta in rebus morum particularibus plerumque haberi nequit; ergo cum Deus non jubeat impossibilia, satis est, dictamina practica moraliter certa habere. [3])

B. De conscientia dubia.

3. — *Conscientia dubia ea dicitur, quae haeret suspensa circa honestatem actionis in particulari.* Dubium enim est suspensio judicii. Unde manifestum redditur, conscientiam dubiam non esse veri nominis conscientiam, utpote quae consistit *in judicio* aliquo practico rationis circa actum hic et nunc vel exercendum vel omittendum, adeoque illam improprie tantum conscientiam vocari.

---

[1]) Quodl. 8. a. 13 ad conscientiam requirit, ut in nullam dubitationem adducatur; similiter 1. 2. q. 19. a. 5. conscientiam vocat applicationem scientiae ad actum; et de veritate q. 17. a. 2. ad 2. dicit, conscientiam includere scientiam; — jamvero scientia non est nisi cognitio certa.

[2]) Non minus acute, quam prolixe prae ceteris doctrinam hanc demonstrat La Croix: Lib. I. n. 47—66.

[3]) S. Thomas ait: *„In actibus humanis non potest haberi certitudo demonstrativa, eo quod sunt circa contingentia et variabilia. Et ideo sufficit probabilis certitudo, quae ut in pluribus veritatem attingat, etsi in paucioribus a veritate deficiat.“* 2. 2. q. 70. a. 2.

Multiplex dubium distinguitur, scilicet:

1. Dubium juris et dubium facti. *Dubium juris* obtinet, quando dubitatur de existentia vel obligatione legis, vel de valore actus. *Dubium facti* extat, quando ambigitur, an votum sit editum, num in operando intentionem necessariam habueris etc.

2. Utrumque hoc dubium est vel speculativum vel practicum. *Speculativum* (theoreticum) est illud, quod versatur circa rem in se (in abstracto) spectatam, praescindendo a circumstantiis quibuscunque et ab operatione, uti e. g. si dubites, utrum pingere sit opus servile vel liberale, an bellum aliquod sit justum vel injustum etc. *Practicum* est dubium, quod versatur circa rem circumstantiis affectam atque hic et nunc vel exercendam vel omittendam, uti e. g. si dubites, an hoc die festo tibi liceat pingere, num in hoc bello dubie justo tibi fas sit militare etc. [1]) Dubium *practicum* est, quod dicitur *conscientia dubia.*

3. Omne dubium est vel positivum vel negativum. *Positivum* (prudens) dubium obtinet, quando pro utraque parte suppetunt rationes graves, aequales vel fere aequales. *Negativum* audit, ubi pro neutra parte ratio gravis militat. [2]) In priori ob rationum aequalitatem, in posteriori ob rationis sufficientis defectum judicium suspenditur. [3]) Dubium negativum in praxi pro nihilo habendum est.

PRINCIPIA.

4. — **Principium I.** Numquam licet operari *cum dubio practico* (conscientia dubia) de honestate actionis; quod evidenter constat ex doctrina supra n. 2. exposita de conscientia certa. Est omnium doctrina catholicorum, [4]) quam ample confirmat s. Augustinus in Libro III. contra Academicos. — Hinc qui cum tali conscientia ope-

---

[1]) Sapienter monet s. Alphonsus: Th. m. Lib. I. n. 21.: *„Semper distinguendum est verum a licito; dubium enim speculativum, licet in obliquo et potius consequenter respiciat licitum, tamen in recto et principaliter speculativum respicit verum; practicum autem respicit licitum.“*

[2]) Ubi nulla prorsus judicandi ratio occurrit, ignorantia potius quam dubium inveniri dicitur. Voit: Th. m. P. I. n. 29.

[3]) S. Thomas: De veritate q. 14. a. 1. — Sicut statera manet in aequilibrio, tam si nulla, quam si aequalia in utraque lance pondera habeat: ita similiter intellectus haeret suspensus in sua inquisitione, tum si nullas, tum si aequales rationes pro utraque parte habeat.

[4]) Videri possunt: S. Thomas: Quodl. 8. n. 13. Scotus: In IV. Lib. Sent. Dist. 30. q. 1. §. Dico ergo. Suarez: De consc. Sect. V. n. 2. Bardi: Disceptationes et conclusiones moral. de conscientia, Discept. V. cap. 2. n. 1. et 2. Laymann: Th. m. Lib. I. cap. 5 §. 1. Reiffenstuel, Voit etc. S. Alph.: Lib. I. n. 22.

ratur, peccat, et peccatum quidem ejusdem speciei et gravitatis committit, cujus est peccatum, de quo dubitat. Sic e. g. qui dubius est, an actio sua sit furtum, furto peccat. Et qui dubitat, an aliquid sit mortale peccatum, moraliter peccat, periculo enim se exponit, mortaliter peccandi.[1])

Sed quid, si quis apprehendat quidem, id quod agit, esse peccatum vel dubitet, an id sit peccatum, sed non attendat, utrum mortale sit, an veniale? — Tunc juxta s. Alphonsum[2]) et alios plurimos venialiter tantum peccat, modo sit timoratae conscientiae, et gravem malitiam neque in confuso apprehendat.

Casus.

5. — *Maurus e secta protestantium ad religionem catholicam nuper conversus, cum die festo s. Stephani Protomartyris videt multos fideles ad ecclesiam properantes, dubitare incipit, numne hac die obligatio sit audiendi sacrum, nihilominus tamen sacrum omittit; rursus Vigilia Epiphaniae dum dubius haeret, an sit jejunandum, jejunium non servat; praeterea non raro diebus jejunii, quibus est dispensatum ab abstinentia carnis, in iisdem epulis carnes cum piscibus manducat, animo fluctuans, utrum sic agendo peccet, nec ne.*

Resp. Peccavit his omnibus, quia ex conscientia dubia (ut supponitur) elegit, Missam non audire, jejunium non servare, carnes et pisces permiscere diebus praedictis. Operari etenim cum conscientia dubia semper est intrinsece malum, ut Suarez[3]) ait, et in praecedentibus satis ostensum est. Verum hoc tantum valet de dubio positivo, non negativo, ut superius n. 3. notatum est.

An vero graviter vel leviter duntaxat peccavit? Disting., videlicet, si dubitaverit, utrum mortaliter peccaret, mortaliter peccavit: si de venialibus tantum dubitaverit, venialiter deliquit; si in genere dubitaverit, an peccaret, nullo modo apprehendendo, utrum graviter vel leviter, probabilius nonnisi venialiter deliquit, ut patescit ex praedictis n. 4.

6. — **Principium II.** Permissum est operari *cum dubio speculativo* (e. g. an pingere in genere sit opus servile, num bellum aliquod sit justum), semper ac per alias rationes (quae sunt sic dicta principia reflexa) dubium practicum deponitur seu *conscientia certa* efformatur; sed tunc dubium speculativum invincibile esse debet, ne ignorantia fiat culpabilis. Est sententia ab omnibus recepta,[4]) et

[1]) Cum conscientia dubia de honestate actionis operans implicite et interpretative dicit: Volo hoc agere, sive licitum sive illicitum sit; quod est virtualis contemptus divinae legis. Pariter, qui dubitat, an hoc agere, sit mortale, et tamen agit, ita comparatus est animo, ut quasi dicat: Etsi hoc agere sit mortale peccatum, tamen agam; quod certe est grave delictum. Sporer: In Decalog. Tract. I. cap. 1. n. 69. Voit: P. I. n. 3.

[2]) Libr. I. n. 23.

[3]) De conscient. Sect. V. n. 2.

[4]) Consuli possunt praeter s. Alphonsum: Lib. I. n. 25. Scotus: In Lib. IV. Sent. Dist. 30. q. 1. Suarez: op. c. n. 4. Laymann: Th. m. Lib. I. cap. 5. §. 2. Franc. Bardi: De consc. Discept. V. cap. 2. n. 4. Sporer: Th. mor. Decal. Tract. I. cap. 1. Sect. 4. n. 73. et 74. Reiffenstuel: Th. m. Tract. I. Dist. 3. q. 3. n. 33. et 34. Voit: Th. m. P. I. n. 34.

colligitur ex cap. *Dom. de secundis nuptiis,* et ex cap. *Inquis. de sententia excommunicationis.* Ratio est, quia regula operationis immediata non est judicium aliquod speculativum (theoreticum), sed practicum coll. §. 71. n. 2. et 3., quod licet proxime sit incertum, accedentibus tamen rationibus seu principiis certis fieri potest certum de honestate actionis; porro aliunde dubium speculativum, ut supponitur, adhibita diligentia sufficienti vinci seu deponi nequit; quapropter nihil obstat, quominus actio licite ponatur.

7. — **Principium III.** In praxi sequens agendi modus et ordo observandus est: 1. Quoties quis dubitat de existentia et obligatione legis, ante omnia diligentia debita inquirere debet veritatem, qua cognita *directe* conscientia certa efformatur. Porro veritas inquiritur: a) investigando et conferendo utriusque partis rationes, a Deo prius lumine enixe petito, Psalm. 118, 34., vel, quod plerumque melius erit, b) consulendo confessarium aliumve pium ac doctum virum de rei veritate, Eccli. 32, 24. — 2. Quodsi sufficienti diligentia in inquisitione veritatis adhibita dubium perseveret, tunc *indirecte* dubium practicum vincat seu conscientiam certam efformet, recurrendo ad sic dicta principia reflexa, de quibus infra n. 10 et 11. — 3. Si inquirere non possit, nec per principia reflexa a dubio se expedire sciat, *tutius* amplectatur seu id faciat, quod ab omni peccati periculo removet.

His addendum, quod recte advertit s. Alphonsus[1]) dicens: Qui dubius est, sed omnibus ponderatis advertit, dubium esse *inane,* hic bene potest dubium suum deponere sine alia reflexione, et sic actionem exequi.[2])

Casus.

8. — *Almachius sutor die jejunii dubitat, an propter labores suos ab obligatione jejunii sit excusatus. Consulit subinde Cajum, vicinum fabrum, qui respondet, quod labores quieti sutorum et sartorum non eximant ab obligatione jejunii: contrarium tamen reponit adstans sartor. Dehinc Almachius, dubius ut antea, revertitur domum, jejunare autem omittit. Quaeritur: An recte egerit?*

[1]) Lib. I. n. 24.

[2]) Huc spectant verba sancti Augustini in epist. 47. (ad Publicolam) n. 4. „Si quis dubitat de aliqua carne, utrum immolatitia sit, et non est immolatitia, si eam cogitationem tenuerit, quod immolatitia non sit, et ea vescatur, non utique peccat: quia nec est, nec jam putatur immolatitia, etsi antea putabatur. Neque enim non licet corrigere cogitationes a falsitate in veritatem.“

Resp. 1. Non recte egit, sed peccavit, a jejunio se excusando, ob dubium practicum, quo extante jejunium praetermisit. 2. Imprudenter egit, fabrum vel sartorem de hujusmodi obligatione consulendo, quasi de re ferraria vel de veste conficienda ageretur; adire debuisset parochum vel alium in rebus moralibus satis eruditum, et quidem ante urgentem jejunii obligationem, et juxta conscientiam certam ex illius responso sibi formatam agere. Si autem urgente jam praecepto alios consulere, aliove modo dubium deponere non potuisset, tutius eligere, nimirum jejunium servare debuisset. — S. Brigitta in Revelationibus cap. 48. narrat, tres principes apparuisse in conspectu Domini ad judicium vocatos, unumque ex illis ad inferni poenas damnatum excusationem de suis peccatis allegasse dicentem, se viros doctos et literatos, et confessarium consuluisse. Cui responsum est, nullatenus esse validam aut proficuam excusationem, quia tam illi consiliarii quam confessarius erant passione affecti, utpote a rege muneribus et dignitatibus subornati.

9. — *Indirecte* (dubio speculativo manente) dubium practicum deponitur conscientiaque moraliter certa de honestate actionis formatur ex *principiis reflexis,* ut supra innuimus. Est doctrina communissima et certa.[1]) In principiis hisce applicandis ad casus particulares imprimis sacerdos bene versatus esse debet, ut conscientias fidelium, qui illa principia plerumque ignorant, prudenter dirigere valeat. Haec igitur sic dicta principia reflexa, tum generalia, tum specialia, modo statim exponere opportunum videtur.

Principia reflexa generalia.

10. — Principium primum et universalissimum, cui innixa conscientia evadere potest certa de honestate operationis, hujus est tenoris: *Lex dubia non obligat* seu: *Non est imponenda obligatio, nisi de ea certo constet.* Etenim lex non obligat, nisi sit sufficienter notificata, lex autem non est sufficienter notificata, nisi certa de ejus existentia cognitio seu scientia habeatur, quocirca d. Thomas ait: „*nullus ligatur per praeceptum aliquod, nisi mediante scientia illius praecepti.*“ Ergo ubi lex non est certa, sed dubia, non obligat.[2])

Principium alterum, quod ex priori enascitur, sic sonat: *In dubio melior est conditio possidentis;* reg. 65. juris in 6. In quovis

[1]) Cardin. Gousset: Moralth. I. B. n. 78. in Nota refert, se numerasse plures quam quadringentos Theologos docentes, ex principiis reflexis omnino formari posse conscientiam certam, contra alios numero longe pauciores asseverantes, dubio morali persistente semper tutius esse eligendum.

[2]) Principium hoc tum ex auctoritate ss. Patrum et Theologorum, tum ex rationibus intrinsecis lucidissime et firmissime evincit s. Alphonsus: Theol. mor. Lib. I. Dissertatio de usu moderato opinionis probabilis n. 60—34. H. A. Tract. I. n. 37. et 59.

quippe casu dubio aut libertas aut lex est in possessione. Libertas possidet, quando lex dubia est, quia lex dubia non obligat, non ligat voluntatem, quae proinde libera manet. Lex possidet, quando moraliter certa est; tunc enim obligat et obstringit voluntatem. Casu igitur, quo possidet libertas, standum pro libertate; et casu, quo possidet lex, standum est pro lege.[1])

Hoc principium, quod, ut communissime tradunt, in omnibus materiis valet, signanter locum habet in materia justitiae. Si e. g. rem aliquam bona fide possideas ut tuam, postea vero incipias dubitare, utrum revera sit tua, an aliena, et post diligentem inquisitionem nequeas deprehendere veritatem, vi hujus principii recte resolves, quod stante dubio speculativo possis ea uti tamquam tua.[2])

Ad dignoscendum, pro qua parte, utrum pro lege, an pro libertate stet possessio, videndum erit, pro qua stet praesumptio; etenim praesumptio plerumque efficit certitudinem moralem, saltem latam. Generatim praesumi nequit aliquod factum, proinde habes tertium principium: *Factum non praesumitur, nisi probetur,* in L. 2. *de probationibus.* Attamen praesumitur factum, quando fieri consuevit; nam praesumptio dicitur nasci *ex communiter contingentibus.*

Quodsi factum ipsum juxta suam principalitatem sit certum (v. g. si matrimonium sit certe initum), et solum dubitetur de ejus accessorio, ut de qualitate vel valore (e. g. an matrimonium sit rite initum): tunc aliud recurrit principium, quod quarto loco assignamus his verbis: *In dubio omne factum praesumitur recte factum* seu

[1]) S. Alph.: Lib. I. n. 26. Bolgeni: Ueber den Besitz. Uebers. Regensburg 1857.

[2]) S. Alph.: Lib. I. n. 35. cum aliis communissime.

Principium hoc: *In dubio melior est conditio possidentis,* valere non tantum in materia justitiae, sed etiam in omnibus aliis materiis, negarunt Azor, Vasquez, Salas, Gonzalez, aliique inprimis Probabilioristae, et Rigoristae, sed affirmarunt praeter s. Alphonsum Lib. I. n. 26. Suarez: In 1. 2. T. III. Dist. 12. Sect. 5. n. 8. De Censuris Dist. 40. Sect. 5. n. 15., qui oppositam opinionem *falsam* dixit et *nulli fundamento innixam,* porro Lugo: De justit. et jure Dist. 17. n. 87., Dist. 23. n. 110. Moja: De opin. probab. q. 6. n. 15. et sq.. qui 30 alios citat, Sanchez: In Decalog. Lib. I. cap. 10. n. 10. De matrimonio Lib. II. Dist. 41. n. 32. Sporer: Th. mor. in Decalog. Tr. I. cap. 1. Sect. 4. n. 75. qui hanc sententiam *communem* vocat et *receptam,* item La Croix: Th. m. Lib. I. n. 502. et sq., qui hoc axioma pluribus vindicat contra objectiones, Reuter: Th. m. P. I. n. 82. cum lucida hujus principii probatione. Voit: Th. m. P. I. n. 35., Bardi: De consc. Discept. V. cap. 4. Bolgeni etc.; recentissime idem tenent Scavini: Th. mor. univ. Vol. I. n. 90. Ed. 12. Gury: Compend. Theol. mor. P. I. n. 79. q. 5. Ed. 17. 1866. Gousset: P. I. n. 84. Friedhoff, Pruner etc.

praesumitur factum, quod de jure faciendum erat, videlicet tunc *standum est pro valore actus.*

Principia reflexa specialia.

11. — Multa ejusmodi principia reperiuntur in jure canonico, et regulae juris appellantur. Sequentia ceteris sunt notabiliora pro scopo nostro, et praedictis principiis generalibus innituntur.

1. *In obscuris, quod minimum est, tenendum.* Regula juris 30. in 6. Infertur ex principio generali: *Lex dubia non obligat.* Illud valet, ubi dubium vertitur de mensura obligationis implendae, de quantitate poenae infligendae.

2. *In dubio judicandum est ex ordinarie contingentibus.* Regula juris 45. in 6. Ex iis enimvero, quae ordinarie et communiter contingunt, praesumptio prudens enascitur. Ubi vero probatur seu dignoscitur contrarium, valet axioma: *praesumptio cedit veritati.*

3. *Quilibet praesumitur bonus, nisi probetur malus.* Regula juris 6. Haec valet, quoties agitur de dubio alicujus delicti. Etenim *factum non praesumitur, nisi probetur,* eo minus delictum, quia charitas non cogitat mala.

4. *In dubio favendum est reo.* Regula juris in 6. Videlicet in causa dubia reus absolvi debet. Sequitur ex regula praedicta. Applicatur igitur magis remote principium generale: *Factum non praesumitur, nisi probetur.*

Exempla, quibus principia exposita declarantur et ad conscientiam certam formandam applicantur.

12. — 1. In dubio, an lex condita sit vel promulgata, non obligat, quia lex dubia est; atqui *lex dubia non obligat.* — Contra vero, si dubites, utrum lex certe condita et promulgata fuerit abrogata, teneris ad legem; quia tunc lex possidet, et *in dubio melior est conditio possidentis.*

Plane idem dicendum est de voto; votum enim est instar legis particularis, quam homo sibi imponit. Hinc, si quis dubitat, an emiserit votum, non tenetur id implere. Contra vero, si quis est certus de voto et dubius de impletione, tenetur ad votum.

Certus de debito et dubius de solutione tenetur solvere; casu vero, quo etiam creditor dubitat de jure suo, facienda est inter partes compositio pro qualitate dubii. [1])

[1]) S. Alph.: Lib. I. n. 34. Sporer: De consc. cap. 85.

2. Quid, si dubium vertitur, an in lege promulgata comprehendatur aliquod onus praestandum? Ex principio: *In obscuris, quod minimum est, tenendum,* colligitur, obligationem illud onus subeundi, non urgere. Pro illa parte, de qua lex est dubia, lex non possidet, dicit s. Alphonsus. [1])

Sic pariter, qui dubitat, an in voto emisso comprehendatur aliquid vel non, ad votum in ea parte, de qua dubitat, non tenetur; pro hac enim parte votum non possidet.

3. In dubio, an lex sit justa vel injusta, lex vim suam habet juxta principium: *in dubio omne factum praesumitur recte factum,* adeoque legi obtemperandum est. Ex eadem ratione in dubio, an lex per se justa fuerit acceptata, omnino observari debet.

4. Adolescens dubitans, an vigesimum primum annum expleverit, senex, qui dubitat, an pervenerit ad annum sexagesimum (quo incoepto, ut communiter dicunt, homo deobligatur a jejunio), num tenentur ad jejunium? — Non tenetur adolescens, quia libertas est in possessione, tenetur senex, quia possidet jejunii praeceptum.

Similiter ille, qui feria quinta dubitat, an transierit hora mediae noctis, post adhibitam diligentiam licite potest edere carnes, cum adhuc possideat libertas; secus vero dicendum de eo, qui desuper dubitat feria sexta, hic quippe nequit carnibus vesci, cum adhuc possideat praeceptum abstinentiae.

5. Qui dubitat, an peccatum aliquod mortale certe commissum unquam fuerit confessus, tenetur illud confiteri, nisi dubium sit merus scrupulus; quia lex confitendi omnia peccata mortalia est certa, dubia autem confessio; ergo lex adhuc est in possessione. [2])

6. An superveniente dubio de matrimonii impedimento bona fide initi, post diligentiam adhibitam dubio perseverante, potest conjux reddere et petere debitum conjugale? — Communiter affirmant, quia in dubio standum est pro valore actus, nempe matrimonii. [3])

Ubi obiter notamus quoad causas matrimoniales, quod praesumptio stat pro valore matrimonii; impedimentum plene probari debet.

7. Sacerdos, qui bona fide recitat aliquam horam canonicam posteriorem, et interim dubitat, num jam priorem recitaverit, licite potest se eximere a priore recitanda, si numquam soleat ordinem

[1]) Lib. I. n. 27.
[2]) S. Alph.: Libr. IV. n. 477.
[3]) S. Alph.: Lib. I. n. 33 et fusius Lib. VI. n. 903 et 904.

horarum invertere; ipsi enim praesumptio favet juxta regulam: *In dubio judicandum est ex ordinarie contingentibus.* [1])

* S. Alphonsus: Theologia moralis Lib. I. n. 20—39. — Suarez: Comment. in 1. 2. Tract. III. Disp. XII. Sect. 5. Alph. Ant. de Sarasa: Ars semper gaudendi ex principiis divinae providentiae et rectae conscientiae deducta. Par. II. Tract. VI. (Ed. 4. Francofurti 1760. pag. 129—146.) Franc. Bardi: Disceptationes et conclusiones moral. de conscientia. Discept. I. cap. 9. et Disceptatio V. et VI. (Francof. 1653.) Sporer: Theol. mor. super Decalog. Tract. I. cap. 1. Sect. 4. La Croix: Theologia moral. Lib. I. n. 46—91. Mazzotta: Theologia moral. Tract. I. Disp. I. Quaest. 3. cap. 1—5. Reuter: Theologia moralis Pars. I. Tract. II. cap. 2. n. 75—89. Voit: Theologia moral. n. 38—69. Cardin. Gousset: Moraltheologie zum Gebrauche der Pfarrer und Beichtväter. Nach der 7. Original-Auflage ins Deutsche übersetzt. I. B. n. 72.—88. Aachen. 1851.

§. 74.

De conscientia perplexa et scrupulosa.

A. De conscientia perplexa.

1. — *Conscientia dicitur perplexa, qua quis inter duo praecepta constitutus peccare putat, sive hoc, sive illud eligat implendum,* ut e. g. si quis infirmo assistens se peccaturum esse arbitratur, tum infirmum deserendo, ut Missae intersit, tum Missam omittendo, ut infirmo assistat.

2. Regulae in perplexitate tenendae: [2])

1. Qui laborat conscientia perplexa, si possit actionem suam suspendere, eam suspendere tenetur, ut consulat confessarium aliumve peritum virum; secus enim ignorantia esset culpabilis.

2. Quando actionem suspendere nequit, eligat minus malum non tamen, ut faciat malum, sed ut magis recedat a malo. [3]) Praeponendum igitur praeceptum naturale praecepto humano et positivo divino.

3. Quodsi nesciat discernere, quodnam sit minus malum, eligat, quidquid velit; non peccat, quia deest libertas ad peccatum formale requisita; neque enimvero peccatum esse potest *in eo, quod nullo modo caveri potest,* ut s. Augustinus [4]) dicit.

---

[1]) S. Alph.: Lib. V. n. 150. Alia exempla: Lib. III. n. 1036. Lib. VI. n. 476. 477.

[2]) Vide s. Alph.: Lib. I. n. 10.

[3]) S. Gregorius M. ait: *„Dum mens inter minora et maxima peccata constringitur, si nullus omnino sine peccato evadendi aditus pateat, minora semper eligantur.“* Lib. 32. Moral. cap. 20. n. 39.

[4]) Lib. III. de libero arbitrio cap. 18. n. 50.

B. De conscientia scrupulosa.

3. — *Conscientia scrupulosa ea dicitur, quae ex inani causa dubitat de alicujus actionis honestate, ideoque formidat de peccato, ubi non est.* Scrupulus enim est inanis apprehensio seu levis suspicio, qua quis falso judicat, aliquid esse peccatum. [1])

Conscientia haec non confundenda est cum conscientia tenera ac timorata, prouti hominibus profanis autumare usitatum est, siquidem eos, quos magna conscientiae religione duci, et ab ipsis minimis peccatis et defectibus adhorrere conspiciunt, mox ut scrupulosos rident. [2])

Supersedemus scrupulorum signa et causas, necnon regulas pro confessariis in scrupulosis dirigendis modo exponere, cum his de rebus in Sacramento Poenitentiae Lib. III. §. 159. opportunior sermo recurret. Interim cum s. Alphonso breviter notamus, quod praecipuum, imo unicum remedium hujusmodi infirmorum est, omnino acquiescere judicio superioris sive confessarii. [3])

§. 75.

De conscientia probabili.

Notiones praeviae.

1. — *Conscientia probabilis est dictamen rationis practicum deductum ex opinione probabili de honestate actionis.*

Opinio est judicium de re quapiam cum formidine errandi. [4]) Opinio, prout est *judicium,* differt a dubio, in quo suspenditur judicium coll. §. 73. n. 3., quatenus involvit *errandi formidinem,* differt tum a fide divina tum a scientia, quae quidem omnem errandi formidinem ab assensu excludunt, dum prior fundatur in infallibili Dei loquentis auctoritate, posterior principiis evidentibus nititur. [5])

---

[1]) S. Alph.: Lib. I. n. 11. — Vox *scrupulus* repetenda dicitur ex lapillis seu scrupis, qui calceis viatorum se ingerentes, pedibus molestiam creant.

[2]) Stapf: Th. m. Tom. I. §. 78.

[3]) Lib. I. n. 12.

[4]) Secundum s. Bernardum: De consideratione Lib. V. cap. 3. n. 6. opinio in genere est *„quasi pro vero habere aliquid, quod falsum esse nescias; opinio certi nihil habet, verum per verisimilia quaerit potius, quam apprehendit“* — ibid. n. 5. *„opinio sola verisimilitudine se tuetur.“* Doctor Angelicus ait: *„Opinio est actus intellectus, qui fertur in unam partem contradictionis cum formidine de opposito.“* 1. q. 79. a. 9. Doctor Seraphicus dicit: *„Opinio est assensio unius partis cum formidine alterius.“*

[5]) S. Bernardus scribit: *„Fides est voluntaria quaedam et certa praelibatio necdum propalatae veritatis. In-*

Opinio seu sententia dicitur *probabilis,* quae nititur gravi fundamento, quod valet ad se trahere assensum viri prudentis, etsi cum formidine oppositi; *improbabilis* est, quae omni solido fundamento destituitur.[1])

2. — Opinio probabilis vel *in se,* vel *relative* i. e. in comparatione ad aliam opinionem considerari potest.

1. Si opinio probabilis *in se* spectetur, tunc vel *intrinsece* vel *extrinsece,* vel *utroque modo* probabilis esse potest.

Intrinsece probabilis est, si nititur argumentis gravibus ab ipsa rei natura deductis.

Extrinsece probabilis est, si nititur auctoritate i. e. numero et pondere doctorum, qui opinionem defendunt. Quare probabilis habenda est opinio, quae tolerante Ecclesia, communis est Theologorum vel saltem a quinque vel sex Theologis probitate et judicio insignibus traditur, vel docetur a s. Thoma, a s. Alphonso, doctoribus excellentissimae auctoritatis.[2]) Regulariter autem unus auctor non sufficit, ut ejus opinio gaudeat gravi probabilitate extrinseca, siquidem Alexander VII. damnavit hanc n. 27. propositionem: *Si liber sit alicujus junioris et moderni auctoris, debet opinio censeri probabilis, dum non constet rejectam esse a Sede Apostolica tamquam improbabilem.*[3])

---

tellectus est rei cujuscunque invisibilis certa et manifesta notitia. Opinio est quasi pro vero habere aliquid, quod falsum esse nescias." De Considerat. Lib. V. cap. 3. n. 6. S. Thomas observat: „*Assentit intellectus alicui dupliciter: uno modo, quia ad haec movetur ab ipso objecto, — — alio modo intellectus assentit alicui, non quia sufficienter moveatur ab objecto proprio, sed per quamdam electionem voluntarie declinans in unam partem magis, quam in aliam. Et si quidem hac fit cum dubitatione et formidine alterius partis, erit opinio; si autem fit cum certitudine absque tali formidine, erit fides.*" 2. 2. q. 1. a. 4.

[1]) S. Alph.: Libr. I. n. 40.

[2]) Sapienter dicit Cardin. Sfondratus: Reg. Sacerd. Lib. I. §. 20. Lib. II. §. 14. n. 6. (apud La Croix: Lib. I. n. 149.): Sunt opiniones instar monetae, cujus valor non ex numero, sed pondere et metallo aestimatur. Non enim doctorum numerus, sed major ratio, veritas et prudentia opiniones commendat.

[3]) Ejusdem sententiae fuit Haeresiarchae Pelagii collega Coelestius. Etenim in Carthaginiensi Synodo cum dixisset, de traduce peccati utramque sibi partem probabilem esse, et negativam probari variis Catholicae Ecclesiae Doctoribus, a Sancto Paulino Diacono rogatus ipsorum nomina indicare, respondit: „*Sanctus Presbyter Ruffinus Romae qui mansit cum sancto Pammachio. Ego audivi eum dicentem, quia tradux peccati non sit.*" Et rogatus alios, nec valens adducere plures, denuo reposuit: *Non tibi sufficit unus sacerdos?* — Ad statuendam probabilem sententiam volebat solum Ruffinum sufficere. Ita habes apud s. Augustinum: De gratia Christi et de peccato originali Lib. II. cap. 3. n. 3. Affirmat s. Augustinus: De Baptizmo contra Donatistas Lib. III. cap. 4. n. 6. fieri posse, „*ut in obscurissima quaestione verius pluribus unus paucive sentirent,*" ast id esse rarissimum et non facile praesumendum. Multum in rebus moralibus magnae auctoritati merito deferri, idem magnus s. Ecclesiae Doctor profitetur dicens, „*utilissimum maximae multitudini, excellentissimae auctoritati credere, et secundum hoc agere vitam.*" De quantitate animae cap. 7. n. 12. Quo de argumento etiam s. Thomas scribit: „*Aliquis parvae scientiae magis certificatur de eo, quod audit ab alio scientifico, quam de eo, quod sibi secundum suam rationem videtur.*" 2. 2. q. 4. a. 8.

Semper autem, ut opinio aliqua sit vere probabilis, ad minimum requiritur: a) ne ex illa aliquid absurdi sequatur, b) ne adversetur s. scripturae aut Traditioni aut rationi certae, et c) ne quid contrarium Ecclesia definierit.[1])

3. — 2. Si opinio probabilis *relative* sumitur seu ad aliam comparatur, tunc potest esse a) simpliciter probabilis, certe probabilior, probabilissima; — b) minus communis, communis, communior, communissima; — c) minus tuta vel tutior.

a) Opinio *simpliciter probabilis,* quam superius n. 1. definivimus, admittit contrariam ut probabilem, nempe *aeque probabilem,* et *paulo minus probabilem,* aut *parum probabiliorem;* nam *quod parum est, quasi nihil accipit ratio,* Doctor Angelicus dicit.[2])

Opinio *certe* (sine haesitatione) *probabilior* ea est, quae innititur fundamento quasi certo, quod vera sit, ita ut opposita fiat *dubie probabilis* respectu illius,[3]) seu talis, ut merito dubitetur, an nitatur gravi fundamento potente movere virum prudentem ad assensum.[4])

Opinio *probabilissima* ea dicitur, quae nititur fundamento gravissimo, quapropter opposita censetur *tenuiter probabilis* seu talis, quae quidem aliquo fundamento, sed non tanto nititur, ut valeat assensum viri prudentis ad se trahere.[5]) Non superflue observat

---

[1]) Angelicus ait: „*Qui ergo assentit opinioni alicujus magistri contra manifestum Scripturae testimonium, sive contra id quod publice tenetur secundum Ecclesiae auctoritatem, non potest ab erroris vitio excusari.*" Quodl. 3. a. 10.

[2]) 1. 2. q. 14. a. 4. S. Alphonsus: Lib. I. n. 55. scribit: „— sicut omnes et probabilistae et antiprobabilistae conveniunt, cum inter utramque opinionem modica est praeponderantia, ita ut valde tenuis et dubius sit excessus, tunc ambae opiniones aeque probabiles existimantur, juxta commune illud axioma: *parum pro nihilo reputatur.*"

[3]) S. Alph. Lib. I. n. 56.

[4]) Eusebius Amort: Theologia moralis inter rigorem et laxitatem media Tom. 1. Tract. I. §. III. q. 4.

[5]) S. Alph. Lib. I. n. 40. Apposite animadverit La Croix: Lib. I. n. 126.: „Opiniones tenuiter probabiles habent motivum, sed ita leve, ut censeatur imprudens, qui illi assentitur: ideoque recte notat Cardenas, duos illos terminos, *tenuis probabilitas,* esse veluti oppositos: nam τὸ *probabilitas* simpliciter et absolute dicit, habere grave fundamentum: τὸ

s. Alphonsus,[1]) quod opinio probabilissima, licet teneat principalem locum inter opiniones probabiles, non tamen excludit omnem prudentem formidinem, quod veritas etiam pro opposita stare possit.

b) Opinio potest esse *minus communis, communis, communior, communissima,* prouti a paucioribus, a multis, a pluribus, ab omnibus fere tenetur.

c) Opinio est vel *minus tuta* vel *tutior,* prouti vel minus vel plus recedit ab omni peccandi periculo. Minus tuta dicitur favere libertati hominis, tutior favere legi. Securitas et probabilitas opinionum inter se multum differunt; videlicet major minorve securitas alicujus opinionis desumitur a majore vel minori ejusdem distantia a peccato, dum ex adverso major vel minor probabilitas opinionis desumitur a majori vel minori veritatis apparentia. Unde sequitur, opinionem tutiorem non semper necessario esse probabiliorem.[2])

§. 76.

Systemata circa probabilitatem.

Ut doctrinae de recto usu sententiae probabilis probe intelligantur, diversa, quae hoc de argumento condita sunt, systemata praemittantur oportet. Haec vero sunt:

1. *Tutiorismus absolutus* seu rigorismus, juxta quem pars tutior i. e. legi favens semper sequenda est, quantumvis probabilis sit pars altera contradictoria.

2. *Tutiorismus mitigatus,* juxta quem semper tenenda est opinio legi favens, nisi opposita sit probabilissima.[3])

3. *Probabiliorismus,* juxta quem semper exequenda est opinio legi favens, nisi opposita sit notabiliter probabilior.

---

tenuis autem hoc tollit; sicuti quando aliquem dico tenuiter prudentem, significo, non esse absolute prudentem, sed habere parum prudentiae seu defectum illius."

[1]) H. A. Tr. I. n. 29.

[2]) Id multis exemplis ostendit Christ. Lupus: Disert. de opin. probabili cap. 12.

[3]) S. Alphonsus scribit: „Auctores illi, qui tenent non licere sequi ne opinionem quidem probabilissimam, vocantur *Tutioristae rigidi;* auctores autem probabilioristae moderni, qui existimant licitum usum probabilissimae favore libertatis, et non requirunt, quod opinio pro libertate omnino certa esse debeat, uti volunt rigidi tutioristae, ita ut opinio contraria pro lege sit penitus improbabilis, vocantur quoque Tutioristae, sed *Tutioristae mites;* dicunt enim, quod, ut quis licite opinione minus tuta uti possit, moraliter certa esse debeat, sed large, ita ut contraria magis tuta probabilis non sit." H. A. Tr. I. n. 33.

4. *Aequiprobabilismus* seu Probabilismus moderatus, juxta quem licet opinionem amplecti minus tutam, modo sit aeque vel fere aeque probabilis ac opposita, ubicunque de solo licito et illicito quaeritur.

5. *Probabilismus absolutus,* juxta quem permissum est sectari opinionem minus tutam et probabilem relicta opinione tutiore non tantum aeque probabili, sed etiam certo probabiliore, ubi de licito vel illicito agitur.

6. *Laxismus,* ex quo semper fas est sequi opiniones probabiles imo etiam tenuiter tantum probabiles.

§. 77.

Historicus probabilitatis conspectus.

1. — Opinio statuitur, ubi veritas ignoratur. *Scientia certi est, opinatio incerti,* Lactantius dicit.[1]) *Pessimae matris ignorantiae,* s. Bernardus inquit, *pessimae itidem filiae duae sunt, falsitas et dubietas, illa misserior, ista miserabilior; perniciosior illa, ista molestior.*[2]) Ignorantia autem, quae opinionibus ansam praebet, vulnus est humanae naturae ex peccato primi parentis ipsi inflictum.[3])

2. — In protoparentibus ante peccatum commissum non solum nulla falsa opinio, sed penitus nulla opinio fuit, nam quod cognoverunt, secundum certitudinem cognoverunt, Doctor Angelicus[4]) dicit. Deus siquidem *creavit illis scientiam spiritus, sensu implevit cor illorum, et bona et mala ostendit illis.* Eccli. 17. 6. Imo ignorantiam cum illo beatissimo protoparentum statu consistere non potuisse, s. Augustinus[5]) asseverat, atque eo ostendit, quod *ex ignorantia dehonestat error, ex difficultate cruciatus affligit.* Cum vero mulier daemonis suggestioni illicitas aures praeberet, tunc *maxima libertate,* — ut s. Augustinus[6]) ait, — *habenas prohibitionum rumpere delectata, probabilius* (errore sane maxime culpabili) *existimavit, non esse mortem, quam timuerat, securam.*

3. — Scripta a gentilium philosophis exarata si obiter tantum pervolvimus, opiniones diversissimas in permultis rebus, „quibus

---

[1]) Divin. Institut. Lib. III. cap. 3. n. 8.

[2]) In Cant. Serm. 17. n. 3.

[3]) S. Thomas: Summa Theol. 1. 2. 85. a. 3. c.

[4]) De veritate q. 18. a. 6. c.

[5]) De libero arbitrio Lib. III. cap. 18. n. 52.

[6]) De Genesi ad literam Lib. XI. cap. 31. n. 41.

aut misere vivitur aut beate", ab eis traditas fuisse atque acerrime non raro propugnatas invenimus, quia, quid verum rectumque sit, plene et perfecte non cognoverant, unde Tertullianus infert: „*sapientiae philosophorum infirmitatem prima haec contestatur varietas opinionum, veniens de ignorantia veritatis.*" [1])

Multi illorum sophismatibus usi sunt ad opiniones suas, quae omni prorsus probabilitate carebant, ut probabiles tuendas et vindicandas, ita ut Cicero asserere non dubitaverit: *Nihil est tam improbabile, quod docendo non fiat probabile.* Porro Academici etiam voce „*probabile*" ad alios decipiendos abusi sunt. *Id enim probabile vel verisimile Academici vocant,* — scribit s. Augustinus [2]) — *quod nos ad agendum sine assensione potest invitare. Sine assensione autem dico, ut id, quod agimus, non opinemur verum esse, aut non id scire arbitremur, agamus tamen.* Ad quod commentum sapienter reponit magnus hic Ecclesiae Doctor: „*Quomodo est illud, quod sequuntur, si non probant, probabile?*" [3])

4. — Ubi venit plenitudo temporis desiderata, Dei filius homo factus homines viam salutis veritate docuit; quaeque Ipse tradidit, Apostolis eorumque successoribus Spiritus sancti assistentia munitis commisit omni creaturae praedicanda. Ecclesiae igitur habemus infallibile magisterium, cui qui fideliter obsequitur, veritatis beatifica tutaque cognitione gaudet. At vero, si Ecclesia in rebus fidei et morum sensum suum non manifestaverit, judicium non pronuntiaverit, atque verum quid, rectumque sit, non aliunde satis liquide constet, tunc opinionibus tantum probabilibus locus suppetit. Hinc est, quod jam ss. Patres probabiliter opinandi modo usi sunt, instar principii statuentes, libertati humanae esse favendum, ubi lex et obligatio non est manifesta; quod clare demonstrat Petrus Antonius Terillus S. J., scriptor Anglus († 1676.) in suo celebrato opere: De conscientia probabili, Leodii 1668, et eruditius firmiusque adhuc prosequitur Christianus Lupus Ord. Eremit. s. Augustini in praestantissima sua Dissertatione de opinione probabili, Op. Tom. XI. Venetiis 1729. Loquimur autem de Probabilismo quoad essentiam spectato, terminus enim „probabile" a ss. Patribus plerumque accipitur pro eo, quod certum ideoque necessario adprobandum est; quo sensu s. Gregorius Nazianzenus

[1]) Ad nationes Lib. II. cap. 2.
[2]) Contra Academicos Lib. II. cap. 11. n. 26.
[3]) De utilitate credendi cap. 11.

doctrinam de necessitate fidei in Jesum Christum probabilem dicit. [1]) Imo vero sanctum Augustinum hoc vocabulum etiam eo sensu, quo in schola modo usurpatur, jam tunc adhibuisse, id sequentia reddunt manifestum. In explicatione verborum: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie,* de qua agit: In Lib. II. de Sermone Domini in monte cap. 7. n. 25., quaestionem movet, utrum panis quotidianus dictus sit pro eis omnibus, quae hujus vitae necessitatem sustentent, aut pro Sacramento corporis Christi, aut pro praeceptis divinis, quae quotidie oportet meditari et operari; et protinus subdit: „*Sed horum trium quid sit probabilius, videri potest.*" In Epist. 54. (al. 118.) cap. 7. n. 9. scribit: „*Sed nonnullos probabilis quaedam ratio delectavit, ut uno die per annum, quo ipsam coenam Dominus dedit, tamquam ad insigniorem commemorationem post cibos offerri et accipi liceat corpus et sanguinem Domini. Honestius autem arbitror ea hora fieri, ut qui etiam jejunaverit, post refectionem, quae hora nona fit, ad oblationem possit occurrere. Quapropter neminem cogimus ante Dominicam illam coenam prandere, sed nulli etiam contradicere audemus.*" In opere: De fide et operibus cap. 19. dicit, negligentiam, imperitiam ac ignorantiam Praesulum Ecclesiae *probabiliter* Dominus somni nomine significasse intelligitur, ubi ait: „cum dormirent homines, venit inimicus etc."

5. — Doctrinam ss. Patrum de benignitate christiana in rebus dubiis observanda firmiter suffulsit Doctor Angelicus, expressis verbis statuendo generale principium, neminem ligari per legem, nisi promulgatam et satis cognitam (de veritate q. 17. a. 3. Sum. Theol. 1. 2. q. 19. a. 1. et 10.). Quo supposito principio subinde Theologi docuerunt, quemlibet posse in dubio de obligatione inter contrarias doctorum opiniones eligere mitiorem; nempe praeter alios Gerson, Cancellarius Univers. Pariens. († 1429.), in lib. de vita spirituali lect. 2. et al., s. Antoninus O. P., archiep. Florentinus († 1459.), in sua Summa Theolog. pluribus in locis, Joannes Nider O. P., clarus Universitatis Vindobon. Theologus († 1438.), in op. Consolatorium timoratae conscientiae cap. 11. et seq., citans pro se antiquiores Theologos, Monaldum, Card. Hostiensem († 1271), Guilelmum, episcopum Antissiodorensem († 1223), Humbertum († 1277), Godfridum de Fontibus etc.

Quae cum ita sint, Bartholomaeus de Medina O. P. († 1581.) auctor probabilismi eatenus tantum vocari potest, quatenus

[1]) Orat. 22.

in Commentariis in Summam Theologicam divi Thom. 1, 2. q. 19. a. 6. concl. 3. editis anno 1577. regulam peculiarem pro usu opinionum probabilium proposuit, hujus quidem tenoris: „*Si est opinio probabilis, licitum est eam sequi, licet opposita probabilior sit.*“

Non inutile putamus, integram hujus Theologi doctrinam de usu opinionum probabilium ex praefato ipsius opere: Scholastica Commentaria in d. Thomae Aquinatis primam secundae, q. 19. a. 6. (Edit. Coloniae Agrippinae 1618.) fideliter excerptam hic summatim indicare.

Primo discrimen inter opinionem et dubium proponit. „*Qui opinatur, assentitur uni parti cum formidine alterius: qui vero dubitat, nec habet assensum nec dissensum, sed manet animus in dubio: Sciendum est, quod opiniones sunt in duplici differentia, quaedam sunt probabiles, quae confirmantur magnis argumentis et sapientium auctoritate, — aliae sunt opiniones omnino improbabiles, quae nec firmantur argumentis, nec majorum auctoritate.*“

„*Prima conclusio: Si quis agat secundum opinionem, de qua dubitat, an sit probabilis, peccatum committit.*“

„*Secunda conclusio: Quando utraque opinio, tam propria, quam opposita, aeque probabilis est, licitum est indifferenter utramque sequi. Hanc conclusionem habet doctissimus Soto.*“

„*Tertia conclusio: Aliquando tenemur agere contra propriam opinionem, e. g. confessarius tam ordinarius, quam extraordinarius debet poenitentem absolvere contra propriam opinionem, nec agit contra conscientiam, jam certum habet judicium, quod quando sunt duae opiniones probabiles, licet utrique adhaerere indifferenter.*“

„*Ceterum magna est controversia, quando sunt opiniones de materiis et formis Sacramentorum, utrum liceat adhibere materias et formas secundum opiniones probabiles?*“ Ipse sic respondet: „*Quando necessitas aut utilitas non premit ministrum, ut adhibeat formas aut materias secundum opiniones probabiles, si relinquat certas, est peccatum mortale: sed si est necessitas aut magna utilitas, ut si materia indubitata non inveniatur, nullum est peccatum.*“

„*Sed ex hoc nascitur magna quaestio: Utrum teneamur sequi opinionem probabiliorem, relicta probabili, an satis sit, sequi opinionem probabilem?*“ Dein sententia *Soti, Sylvestri, Conradi* et *Cajetani* affirmantium, nos teneri opinionem probabiliorem sequi, relicta probabili, cum suis quinque argumentis relata sic pergit: „*Certe argumenta videntur optima, sed mihi videtur, quod si est opinio probabilis, licitum est eam sequi, licet opposita probabilior sit;*“ et hanc suam sententiam septem argumentis probare, sententiam autem contrariam spectatis ejusdem argumentis refellere nititur.

6. — Sententiam de usu opinionis probabilis in concursu cum opinione probabiliore, quam Bartholomaeus de Medina defendendam suscepit, brevi tempore amplexabantur non solum Scholastici privati communiter, sed etiam studiorum Universitates fere omnes, praeterea religiosorum instituta compluria, nec non magnae auctoritatis episcopi. Vasquez, qui primus inter Theologos Societatis Jesu anno 1598. probabilismum a Bartholomeo de Medina conceptum ex professo docuit,[1]) eundem tunc temporis jam communiter in scholis traditum fuisse testatur. Petrus Navarrus anno 1597. eum vocat communiorem, Gonzalez ipse, antiprobabilista, fatetur, probabilismum usque ad annum 1656. omnes fere theologos traxisse in sui assensum, nullamque fortasse opinionem esse, quae plures cursu non longo temporis sectatores et defensores habuerit.[2])

7. — Multifariam tamen sortem probabilismus subiit per temporis decursum; etenim jam saeculo 17. per nonnullos ipsius sectatores degeneravit in *Laxismum,* qui vero Sedis Apostolicae Decretis juste perculsus eodem adhuc saeculo expiravit; porro adversarios duos nactus est non parum validos, unum severiorem, *Tutiorismum,* qui pariter saeculo 17. et aliquatenus subsequenti adhuc saeculo acerrime illum impugnavit, sed devictus est dudumque jam obdormivit, mitiorem alterum, nempe *Probabiliorismum,* qui praesertim saeculo 18. arma contra Probabilismum convertit, quin tamen potuerit praevalere; superatus est, sed penitus nec hodiedum obmutescit. Postremo Probabilismus ipse debitis limitibus circumscriptus est saeculo elapso praesertim a doctissimo et sanctissimo viro Alphonso Maria de Liguori, et *Aequiprobabilismi* nomen sortitus est.

§. 78.

Continuatio.

1. — *Laxismus,* qui est et Probabilismus excessivus seu vagus apte dici potest, juxta verba Decreti ab Alexandro VII. die 24. Septembris 1665. emissi *per summam luxuriantium ingeniorum licentiam irrepsit.*

[1]) Ut refert Antoine: Theol. mor. Tract. de conscientia cap. 4. q. 2. obj. 15.

[2]) Vide La Croix: Theol. mor. Lib. I. n. 269.

Nimirum laxitatis qui arguuntur, 1. tradiderunt, opiniones quamvis tenuiter tantum probabiles, vere tamen esse probabiles, quibus nemo non uti possit in operando juxta axioma tritum: *Qui probabiliter agit, prudenter agit,* atque omnem opinionem speculative probabilem etiam esse practice talem. Hinc non mirum, quod in quaestionibus permultis particularibus opiniones quovis solido fundamento destitutas ut probabiles admiserunt, cujusmodi sunt propositiones 27. et 40. ab Alexandro VII. proscriptae, et propositiones 1. 2. 6. 35. 44. et 57. ab Innocentio XI. damnatae. Quae quidem omnes reprobatae sunt, quia immerito vocabantur *probabiles.* [1]) Generatim plures laxas, quam rigidas sententias Sedes Apostolica condemnavit.

2. Modum excesserunt in usu opinionum probabilium, scilicet cum extendendo ad materias etiam illas, in quibus, ut inferius §. 80. probabitur, omnino tutius est eligendum; dum universaliter rursus applicarunt axioma praedictum: *Qui probabiliter agit, prudenter agit.*

Laxi nimisve benigni Probabilistae, notatu digniores:

Joa. Caramuel Lobkowitz, Cisterciensis, abbas Mesrosensis, postmodum episcopus Vigevan. in Italia († 1682.), quem s. Alphonsus (Lib. 3. de prohib. libr.) principem Laxistarum vocat. — Apologema pro antiquissima et universalissima doctrina de Probabilitate. In Ind. per Decr. 15. Jan. 1664. Theologia fundamentalis. Moralis Theologia Regularis. Francofurti 1652. — Auctor esse legitur propositionum 24. et 25. ab Alexandro VII. damnatarum, et propositionum 48. et 49. ab Innocentio XI. proscriptarum. Asseruit: *„Non inde Ecclesia infelix, quod Doctores opinantur passim, sed inde felicior. quod facilius et benignius suos possit ad lauream empyream promovere.“* — *„Si jam sunt probabiles* (opiniones), *quae antea non erant, jam non peccant homines, cum antea peccarent, cum probabile omne a peccato excuset.“* — Bona tamen ipsius intentio fuit: voluit enim viam coeli faciliorem reddere.

Sancius (Sanchez) Joannes, Hispanus, doctor Theologiae et utriusque juris († 1624). — Disputationes selectae de rebus in administratione sacramentorum passim occurentibus, Matriti 1624. Tractatus de jejunio etc. Lugduni 1636., quod opus, *„donec corrigatur“*, est in Ind. libr. proh. relatum 18. Dec. 1646. [2]) Est auctor propositionis 4. ab Innocentia XI. damnatae. Cum Caramuele et aliis dixit, omnem opinionem *speculative* probabilem etiam *practice* probabilem; [3]) — porro omnes sententias vere probabiles esse *aeque tutas,* cum operans sive secundum hanc, sive secundum illam certus sit, se nullo modo peccare [4]) etc.

---

[1]) S. Alph.: H. A. Tr. I. n. 73.

[2]) H. Hurter S. J. Nomenclator literarius etc. Tom. I. pag. 685. Oenip. 1872.

[3]) Vide La Croix: Lib. I. n. 117.

[4]) Idem n. 471.

Bauny Stephanus S. J., Gallus († 1649). Ejus opera: Theologia moral., Somme des péchés etc., Pratique du droit canonique, in Indic. relata sunt die 26. Dec. 1640.

Pasqualigus Zacharias, Italus, Theatinus († 1664). Ejus decisiones morales sunt in Ind. 25. Jan. 1684. *donec corrigantur.* De sacrif. novae legis, opus locupletissimum. Lugduni 1662.

Leandera ss. Sacramento, Gallus, ordinis ss. Trinitatis († 1663.). Quaestiones morales in 5 Eccl. praecepta, in decalogi praecepta, in Sacramenta.

Diana Antonius, Theatinus († 1663). Resolutiones morales. Tom. 4 in Fol. Venetiis 1647. Theologia moralis in compendium redacta. Coloniae 1656. — De quo scribit S. Alphonsus (Theol. mor. Lib. VI. n. 257.): *„Diana — in seligendis sententiis ut plurimum in benignam partem declinat et non raro declinat plus, quam par est.“* Hic auctor ipse mentem suam his verbis manifestat: *„— o quanta ego haberem et dicerem, quae novitatum amatoribus nimis plausibilia essent, si calamo et ingenio liberam vagandi facultatem praeberem! sed ut sapientissimo (!) Caramueli respondi, Romanus incolatus et aliena pericula cautum me in scribendo fecerunt.“* P. 10. Tr. 14. r. 56.

Moya Mathaeus de, Hispanus, S. J. († 1684). — Quaestiones selectae morales, quae in Indicem libr. prohibit. relatae sunt die 11. Martii 1704.

Tamburini Thomas, Siculus, S. J. († 1675). — Scripsit in Decalogum, de Sacramentis, de contractibus etc. — Vir doctissimus, sed nimis indulgens: e. g. docuit (cum aliis), licitum esse, opinionem sequi, quae *probabiliter* tantum est *probabilis.* In Decalog. Lib. I. cap. 3. §. 3. n. 8. *„Absolute puto, satis esse in omnibus casibus constare probabiliter opinionem esse probabilem; tunc enim satis firmabitur certa moraliter illa veritas me in hunc fere modum dirigens: Ego hic et nunc prudenter opinor; quia dum probabiliter puto hoc esse probabile, satis prudenter illud judicium in praxi sequor. Nec enim, quod opposita sit evidenter probabilior, dejicit opinionem meam a sua probabilitate.“*

2. — Relaxatae morum doctrinae, bona fide a nonnullis traditae, e diametro oppositus est *Tutiorismus,* cujus parens merito dicitur Jansenismus. Cum videlicet obstinaces istius haereseos sectatores acerrime tuerentur istud prius in Ecclesia inauditum commentum: *Aliqua Dei praecepta sunt impossibilia; deest quoque gratia, qua possibilia fiant:* ideo inexorabili furore contra Probabilistas insurrexerunt, probe intelligentes, per usum sententiae probabilis in operando facilem proindeque possibilem quam maxime viam aperiri ad praecepta implenda. Catholicorum insuper non pauci ideo in Probabilismi systema invecti sunt, quia putarunt, per illud christianam morum disciplinam enervari, ac inique latiorem reddi arctam evangelicam salutis viam. Zelati sunt, sed non secundum Deum, nativam naturae infirmitatem non attenderunt, consilia cum praeceptis confuderunt, salutem fidelium in discrimen vocarunt. Nihil assequitur, qui nimium petit.

Probabiliorismo ansam dederunt laxae quorundam probabilistarum opiniones, nec non principia insufficientia, quibus insti-

terunt. Audiatur s. Alphonsus, testis hujus rei fide dignissimus sic dicens: *„Propter laxas opiniones, quas plures probabilistae amplexi sunt, et insubsistentiam falsorum principiorum ab ipsis propugnatorum, auctores probabilioristae cum tanto ardore et furore contra ipsos invecti sunt, et tam multos secum traxerunt sequaces.“* Theol. mor. Lib. I. n. 69.

Tutioristae et Probabilioristae insigniores:

I. Doctores Janseniani.

Sinnichius Joa., Hispanus, Doctor Lovaniensis († 1666). Est auctor sententiae ex principiis Jansenii desumtae et ab Alexandro VIII. damnatae: *„Non est licitum, inter opiniones probabiles sequi probabilissimam.“*

Wendrochius Guilielmus, vero nomine Petrus Nicole († 1695), cujus liber: de probabilismo damnatus est ab episcopis multis Galliae et a doctoribus Parisiensibus tamquam plenus haeresi Janseniana et maledictis.

Huggens Gomarus, Doctor Lovaniensis († 1702.), Quesnelli familiaris. Ejus scripto a S. Congr. Ind. sunt prohibita, nempe Theses Theologicae per Decret. 8. Aug. 1685. Compendium Theologiae per Decr. 17. Jan. 1691.

II. Doctores Catholici.

Saeculo XVII.

Rebellus Ferdinandus, Lusitanus, S. J. († 1608). De obligationibus justitiae, religionis et charitatis, Lugduni 1608.

Comitolus Paulus, Italus, S. J. († 1626). Responsa moralia 1609, qui fuso calamo demonstrare nititur, probabilismum esse „foedam prolapsionem“.

Philaletus a superioribus prohibitus suum nomen (Andreas Blancus), et Societatis Jesu, cui erat adscriptus, nomen libro suo praefigere, († 1657.) testante La Croix: Lib. I. n. 327. — De opinionum praxi, Genuae 1642.

Antoine (Theol. mor., de conscienta cap. 4. q. 2. obj. 15.) refert, praefatos auctores primos fuisse Societatis Jesu Theologos, qui Probabilismum impugnarunt.

Mercorus Julius, ordinis s. Dominici († 1669). — Basis Theologiae moralis. 1658. — Dicit tamen Cardenas: Prima Crisis Theologica. Dist. 56. n. 738., illum in quibusdam casibus Probabilismum admisisse

Contensonius Vincentius, Gallus, ordinis s. Dominici († 1674.), auctor rigidissimus a s. Alphonso appellatus, qui sententiam benignam vocavit intolerabilem, ab Ecclesia configendam potius, quam Jansenii sententias. Sic refert La Croix: Lib. I. n. 327.

Baronius Vincentius, Dominicanus († 1674.), cujus Theologia moralis („contra Caramuel aliosque laxiores theologus“) Tom. II. Parisiis 1667. nimis rigida et conviciis plena in Indicem relata est decr. 27. Sept. 1672.

Fagnani Prosper, per multos annos s. Congregationis Concilii Secretarius († 1678.) Ord. s. Dominici. A sancto Alphonso (H. A. Tr. I. n. 63) vocatur „Tutiorista, imo auctorum rigidorum facile princeps,“ item (Th. m. Lib. IV. n. 669.) „magnus rigoristarum princeps.“ Scripsit Comment. in libros Decretalium. Col. Agr. 1676. 1681. Venetiis 1709. etc. Docuit (in cap. *Ne innitaris de Constitut.* n. 402.), illam tantum opinionem sequi licitum esse, quae judicatur *sine ulla trepidatione et formidine vera*, qua re usum etiam opinionis probabilissimae reprobasse videtur.

Launojus Joannes, Gallus, Doctor Sorbonicus († 1678.), Apostolicae Sedi valde infestus. Plurima ejus opera sunt prohibita.

Gonzalez Thyrsus, Hispanus, Praepositus generalis S. J. († 1681.) — De recto usu opinionum probabilium. Dilingae 1694. — Hic licet non verbis, re tamen penitus rejecit usum opinionum probabilium; nam in ipsa operis sui fronte probandum sibi assumit, *„ut quis licite possit sequi opinionem probabilem faventem libertati, — omnino necessarium esse, quod opinio illa ab ipso judicetur vera judicio absoluto, firmo et non fluctuante,“* qui sane sunt certitudinis characteres.

Gonet Joannes, Gallus, ordinis Praedicatorum (1681). — Clypeus Theologiae Thomisticae Ed. 6. Antverpiae 1733. — Nimia amaritie fertur in auctores benignae sententiae, ait La Croix: Lib. I. n. 327.

Elizalde Michael de, Hispanus Soc. J. († 1678.) — Recta doctrina morum. Friburgi 1684., in quo opere profert comminationem, neminem posse tutum esse in conscientia, qui rationes a se per magnum tomum in folio allatas non expendisset. Docuit, nec probabiliorem, sed solam veram (certam) sententiam, quam in moralibus semper inveniri posse contendit, esse regulam operationis honestae.

Camargo Ignatius de, Doctor Salmaticensis (circa idem tempus), Soc. Jesu, Elizaldum sectatus absolute tenuit sententiam rigidam conviciisque acerrimis persecutus est probabilismum, ut testatur La Croix: Lib. I. n. 327. Scripsit opus sub titulo: Regula honestatis moralis. Neapoli 1702.

Genetus Franciscus, Gallus, episcopus Vasionensis († 1702.), „caput probabilioristarum“ a s. Alphonso (Apologia IV. de usu moderato opin. probab.) appellatus. Théologie morale Paris 1672., latine 1702. etc.

Saeculo XVIII.

Jueninus Casparus, Gallus, presbyter Oratorii († 1713.), cujus opera die 25. Sept. 1708. in Indicem relata sunt, *donec corrigantur*. Habet morem arctandi conscientias usque ad extremum, ait s. Alphonsus Lib. VI. n. 118. Not. 2.

Habert Ludovicus, Gallus, Doctor Sorbonicus († 1718.) — Theologia dogmatica et moralis, planissima, critica etc. Parisiis 1736. Lugduni 1754. etc., recentissime Parisiis 1828. — Docuit in Tr. de conscientia cap. 2. q. 7., licitum esse, opinionem „probabiliorem“ sequi, si „explodit momenta oppositae minus probabilis,“ tunc enim „efficere conscientiam certam saltem moraliter.“ Unde recte animadvertit s. Alphonsus, ubi loquitur de Gonzalez, Habert, Fagnani etc. *„Nescio, quomodo praefati auctores asserendo, quod non licet uti ad agendum nisi sententiis moraliter certis, cum sic revera penitus usum opinionum probabilium reprobent, quamvis verbis videantur admittere; nescio, dico, quomodo excusari possint a propositione damnata, quae dicebat: Non licet sequi opinionem inter probabiles probabilissimam.“*

Pontas Joannes, Gallus, Doctor Sorbonicus († 1728.), Probabiliorista dictus a s. Alphonso: Th. m. Lib. I. n. 84. — Dictionnaire des cas de conscience V. Volum. Paris. 1733. Dictionarium casuum conscientiae. III. Tom. Luxemb. 1731. Hujus operis compendium exhibuit Petrus Collet, nonnullis adnotationibus adjectis. 2 Vol. Par. 1794.

Antoine Gabriel, Gallus, S. J. († 1743.), qui juxta s. Alphonsum „inter rigidos auctores non infimum habet locum.“ Asseruit: De conscient. cap. 4. q. 1.: *„Non licet (sequi conscientiam probabilem), nisi probabilitas sit tanta, ut excludat omnem formidinem rationabilem falsitatis et pariat certitudinem saltem relativam.“*

Concina Daniel, Italus, ordinis s. Dominici († 1756.), „auctor rigidissimus“ a s. Alphonso: Lib. III. n. 547. vocatus. Theologia christiana dogmatica moralis. Venet. 1761—62.

Franzoja Angelus, Patavinus, „adhuc severior P. Concina,“ ait s. Alphonsus: Apol. II. — Theologia morum ab H. Busenbaum primum tradita, tum a Cl. La Croix et Fr. Zaccaria ejusdem sociis aucta, nunc demum juxta saniores et praesertim d. Thomae Aquinatis doctrinas ad trutinam revocata. Bononiae 1760.

Billuart Carolus Renatus, Belga, ord. s. Dominici († 1757). Probabiliorista moderatus. — Summa s. Thomae hodiernis moribus accommodata. Ed. n. Tomi 10. Paris. 1840. Contra Aequiprobab. disputat in Tract. de act. hum. Dissert. 6. de opinionum probabilitate et delectu.

Ballerini Petrus et Hieronymus, ejusdem frater († ambo 1764.), a s. Alphonso: H. A. Tr. I. n. 43. „moderati rigidae sententiae sectatores“ dicti. — Moralium actionum regulae seu quaestiones de opin. probabil. (Petr. Ballerini etiam dogmatica opera scripsit: Libr. II. de infallibilitate et potestate Papae. 2 Vol. Aug. Vindel. 1770. Libr. de vi ac ratione Primatus etc. Taurini 1822. Monasterii 1845.)

Berti Joan. Laurentius. Italus, Ord. s. August. († 1766). Probabiliorista; asseruit enim: „non licere sequi opinionem aeque probabilem minus tutam.“ S. Alph. Lib. I. n. 171. H. A. Tr. I. n. 42. — Opus de theologicis disciplinis seu Theologia historico-dogmatico-scholastica. Romae 1739—1747. Romae 1765.

Collet Petrus, Gallus († 1770.), Continuator Honorati Tournely, qua appellatione a s. Alphonso citari solet. Antiprobabilistis ab eodem Sancto accensetur: Th. m. Lib. I. n. 171. Docuit enim in Tract. de Conscientia cap. 5. Conclus. 2. „*Ex duabus opinionibus aeque probabilibus, quarum altera favet legi, libertati altera, ea teneri debet, quae tutior est, id est, quae stat pro lege.*“

Patutius Joa. Vincentius, Ord. Praedicat. († 1769.), acerbus s. Alphonsi adversarius, ficto nomine se appellavit Adolphum Dositheum coll. s. Alph. Th. m. Lib. I. n. 173. Hic Probabiliorismo se adhaerere dixit, sed re ipsa fuit Tutiorista mitior; videlicet non admisit sententiam minus tutam, nisi probabilissimam, seu ut ipse ait „*moraliter certam imperfecte,*“ eam nempe, „*quae quidem involvit aliquam errandi formidinem sed plane imprudentem, qualis esse solet formido eorum, qui scrupulis anguntur.*“ Ethica christ. Vol. I. Tract. II. cap. 4. Laude Pompeja 1833.

Saeculo XIX.

Vernier Joa. Bapt., Gallus († 1834). Probabiliorista. Theologia moralis practica. 2. Vol. Vesuntione 1828.

Collationes Andegavenses (Conferences ecclesiastiques du diocèse d'Angers) Probabiliorismum sectantur, ut Gury testatur.

Dieckhoff Bernard. in academia Monaster. Professor. — Compendium ethicae christianae etc. Paderbornae 1852—1855. — Probabiliorismus, quem tradit, a Probabilismo vix multum discedit.

Palasthy Paulus, Hungarus, Professor s. Theologiae Pestinensis. — Theologia morum catholica. 2 Par. Ratisb. 1861. (Par. I. de conscientia §. 10. deserit doctrinam a s. Alphonso de Aequiprobabilismo traditam, et §. 11. „doctrinam opinionum *probabiliorum* profitetur“.)

3. — Contra rigidae morum doctrinae assertores sapientius firmiusque nemo Probabilismum propugnavit et evicit, quam sanctus Alphonsus, qui praeterea haec quoque merita sibi com-

paravit, quod hanc doctrinam, quam valde confuse antea traditam fuisse, merito ipse conqueritur, lucidissime explicavit, principia, quibus usus opinionum probabilium adtemperandus est, accurate determinavit et vindicavit, denique distinctius assignavit limites in probabilitatis usu non excedendos. Auctores enimvero saeculi decimi septimi, ut ipse refert s. Alphonsus,[1]) fere communiter tenuerunt, licitum esse, opinionem sequi minus probabilem pro libertate, licet opinio pro lege sit *certe* probabilior. Quam sententiam rejicit hic s. Ecclesiae Doctor, ex rationibus, quas inferius §. 81. n. 9. et 10. proferemus, et admittit tantum usum opinionis probabilis vel minus probabilis stantis pro libertate, quando opinio opposita non est notabiliter et certe, sed parum tantum probabilior, adeoque aeque vel fere aeque probabilis, quia parum pro nihilo reputatur.[2]) Et idcirco Probabilismus a s. Alphonso sic conceptus et moderatus apte dici solet *Aequiprobabilismus*, qui hodiedum in scholis fere ubique docetur. Maxime mirandum est, quod cl. Ballerini in Dissertatione: de morali Systemate S. Alphonsi Mariae de Liguorio, Romae 1864., et in Notis edit. 17. Theologiae moralis auct. P. Gury Tom. I. ad n. 53. asseverat et contendit, sanctum hunc Doctorem nonnisi communem Probabilismum docuisse, et si Aquiprobabilismi auctor dicatur, id non ita esse intelligendum, quasi a communi Probabilismo, quem illum acerrime defendisse affirmat, aliquando recesserit. Certo non ita; nam s. Alphonsus jam anno 1762. in Dissertatione de usu moderato opinionis probabilis (italice scripta), Neapoli 1762., dein in aliis subsequentibus operibus, demum in postrema Theologiae moralis editione a. 1785. Aequiprobabilismum diserte et constanter docuit, et nunquam nec ante annum 1762. approbavit usum opinionis stantis pro libertate, quando opposita legi favens est longe et certe probabilior; id quod occassione, qua de concessione tituli Doctoris in honorem s. Alphonsi agebatur, doctissimus causae vindex luculentissime evicit, ut videre est in Actis S. R. C. huc spectantibus, Romae 1870. Summarium Additionale pag. 399—516.

4. — Vix numerari possunt omnes, qui Probabilismum editis scriptis unquam defenderunt. De Sarasa in op. saepius jam citato: Ars semper gaudendi P. II. Tract. IV. post n. 49. ordine alphabetico adducit 189 auctores, fere omnes, ut affirmat, a se lectos,

[1]) H. A. Tract. 1. n. 31.

[2]) Theol. moral. Lib. I. n. 55. et 56.

qui libris impressis docuerunt, licitum esse operari ex opinione probabili; et e quibus 159 docuerunt etiam, relicta opinione probabiliore licitum esse ex opinione probabili agere, dum fere 18 tantum assertum posterius negarunt, ceteri id non pertractarunt. Terillus: De conscientia probabili q. 22. a. n. 9. Leodii 1632. citat 200 auctores, plerosque a se inspectos, qui docuerunt, licitum esse usum sententiae probabilis, probabiliori sententia relicta. His Gobat: Clyp. n. 5. addit alios 25 a Terillo non visos; plures alios adjicit Moya: Quaest. selectae morales q. 6. §. 2. et 3. Postmodum eorum numerus adhuc auctus est. Sed advertendum est, quod non omnes, qui docent, nos posse sententiam *minus probabilem* sequi, id admittunt, si opposita sit certe et evidenter probabilior (v. §. 81. n. 10.). Multi porro illorum plane nullius sunt auctoritatis. Insigniores tantum ex tanto numero seligimus hic producendos.

Probabilistae praecipui.

Saeculo XVI.

Lopez Ludovicus, Hispanus, ord. s. Dominici († 1596). Instructorium conscientiae, quod prodiit Salamanticae a. 1585. (ubi *I. Par. cap. 287. concl. 2. q. 2.* Probabilismum profitetur.) [1]

Bannez Dominicus, Hisp., Dominicanus, celebris ob inceptam ab ipso cum Molina controversiam de gratiae auxiliis, s. Theresiae confessarius († 1604). In Sum. Theol. d. Thomae *(2. 2. q. 10. a. 1. concl. 4.)* Venetiis 1586. et al.[2]

Ledesma Bartholom., Hispanus, ord. s. Dominici, episc. Antequeranus in America († 1598). In Summam Theol. d. Thomae *(P. II. Tr. 8. c. 22.)*

Hi speciali mentione digni sunt, quia primi exstiterunt inter Theologos ordinis s. Dominici, qui Probabilismum a Bartholomaeo Medina († 1581.) propositum amplexi sunt.

Sotus Dominicus, Hispanus, Dominicanus, interfuit Concilio Tridentino († 1560). In Libros Sententiarum *(Lib. IV. Dist. 18. q. 2. a. 5.* in fine §. *An vero.)* De jure et justitia *(Lib. 3. q. 6. a. 5.)*

Navarrus (a patria communiter dictus, pp. Azpilcueta) Martinus, Hispanus, doctor canonum († 1586.) In Summam Th. (ubi *c. 27. n. 281. 288.* tenet formulam a Barth. Medina propositam). Scripsit insuper Manuale seu Enchiridion confessariorum et poenitentium (prius hispanice 1557. latine Romae 1588. et saepius) et alia opera.[3]

[1]) Citata etiam subsequentia per parenthesim signata indicant loca, ubi auctores de Probabilismo vel obiter vel prolixe agunt. Pleraque haec citata quoad scriptores antiquiores inveni penes *Sarasa* in op. supra laudato, reliqua ex operibus singulorum Theologorum ipse congessi.

[2]) De hoc Scholasticae ornamento Hurter: Nomenclator lit., Tom. I. pag. 268—270.

[3]) Pietate non minus quam eruditione excelluit. Per 60 annos cathedram numquam conscendit, quin B. Virginis recitasset rosarium. Legas quae scitu digna refert doct. Hurter: Nomenclator liter., Tom. I. pag. 236—239.

Toletus Franciscus, Hispanus, S. J., Cardinalis, de quo v. Introd. §. 12. n. 3. († 1596). — Instructorium sacerdotum, Libr. VIII. Lugduni 1681. *(Lib. 3. c. 20. n. 4.)*

Sa Emmanuel, Lusitanus, S. J., jam in Introd. §. 12. n. 3. laudatus († 1596). — Aphorismi confessariorum (Verbum: *Dubium n. 3.)* Quod opus (fructus studii 40 annorum) spatio triginta annorum editiones ultra triginta nactum est. (Hurter.)

Azor Joannes, Hispanus, S. J. († 1607). — Institutiones morales, 3 Vol. in folio 1600. et saepius *(Tom. I. Libr. 2. c. 12. et 16).* Ingenio et doctrina profunda merito spectatus, auctor classicus a. s. Alph. dictus.

Vasquez Gabriel, Hispanus, S. J., „in quo virtus cum doctrina, obedientia cum ingenio, pietas cum sapientia certasse videtur" († 1604). Comment. in Sum. Th. *(1. 2. Disp. 62. cap. 4 n. 14.)* [1]

Gregorius de Valentia, Hispanus, S. J. († 1603). Ingenio et doctrina praestantissimus. Dilingae et Ingolstadii rem catholicam praelectionibus, disputationibus et scriptis promovit. — Comm. in Sum. Theol. *(1. 2. Disp. 2. q. 14. punct. 4.)* Reliquit etiam opuscula (28) de fidei controversiis Lugduni 1591. et alias.[2]

Henriquez Henricus, Lusitanus, S. J., discipulum P. Suarez celeberrimum habuit († 1608). — Summa Theologiae moralis *(Lib. 14. de irregul. cap. 3. n. 3.)* Salmanticae 1591. et al. Aliud opus: Summa moralis sacramentorum die 7. Aug. 1603. in Indice positum est, „*donec corrigatur*".

Suarez Franciscus, Hispanus, S. J., apud omnes ingenii acumine, eruditione et sapientia maxime commendatus († 1617). Immensa edidit opera 23 Vol. in folio constantia Lugduni 1628. Venetiis 1747. — Probabilista moderatus *(In 1. 2. Tract. III. Disp. 12. Sect. 6. n. 8. et sq.)* Vid. etiam Introd. §. 12. n. 2. et 3.

Sanchez Thomas, Hispanus, S. J. in materia de matrimonio auctor classicus a P. M. Clemente VIII. laudatus († 1610). — De matrimonio 2 Vol. Consilia moralia, 1 Vol. Opus morale in praecepta decalogi (ubi *Lib. 1. cap. 9. et 14.)* Omnia opera prodier. Venetiis 1740.

Lessius Leonardus, Belga, S. J., († 1623). Romani Pontifices eum magni aestimabant; Suarez, Vasquez, Molina et alii in gravissimis scientiarum negotiis ipsius judicium exquirebant. — De justitia et jure ceterisque virtutibus cardinalibus 1 Vol. Ed. nov. Venetiis 1734; pro quo opere s. Franciscus Salesius epist. 436. de die 26. Aug. 1618. ipsi gratulatus est. In Summ. Theol. *(1. 2. q. 1. a. 6. Dub. 7. n. 45.)* Vid. et Introd. §. 12. n. 3.

Becanus Martinus, Belga, S. J., docuit per 22 annos Theologiam Herbipoli, Moguntiae, Viennae in Austria cum magna auditorum admiratione († 1624. Viennae). — Summa Theologiae Scholasticae. Paris. 1689. (ubi *Par. II. Tract. I. cap. 4. n. 15).* Manuale controversiarum hujus temporis. Herbipoli 1623. Coloniae. 1697. etc. Opera omnia in II Tom. comprehensa. Moguntiae 1649.[3]

Laymann Paulus, Germanus, S. J., Theologiam tradidit Ingolstadii, Monachii et Dilingae († 1625). Inter summos Theologiae moralis auctores merito refertur.

[1]) De cujus laudibus Hurter op. c. Tom. I. pag. 264—268.

[2]) De hoc „limatissimi judicii theologo, nullique sui temporis secundo" auctor laudatus pag. 280—283.

[3]) Theologis polemicis exemplar esse potest, — merito ait cl. Hurter, qui uberius de illo agit op. c. pag. 569—572.

Probabilista moderatus. — Theologia moralis in 5 Libr. distributa Moguntiae 1728. (ubi *Lib. I. Tr. I. c. 5. §. 2. n. 7—12.)*

Saeculo XVII.

Bonacina Martinus, Italus episcopus Uticensis et nuntius ab Urbano VIII. ad aulam Austriacam designatus, a s. Alphonso auctoribus classicis adnumeratur († 1631). — De Theologia morali, 3 Vol. Lugduni 1684. *(Disp. II. de peccatis q. 4. punct. 9. propos. unica.)*

Castropalaus (Palaus) Ferdinandus, Hispanus, S. J., a coaevis in quaestionibus theologicis ut oraculum spectatus, a s. Alphonso magni habetur († 1633). — Opera moralia, 5 Vol. in fol. Lugduni 1650. (ubi *Tom. I. Tract. I. Disp. 2. punct. 2.)*

Coninchius (Koenig) Aegydius, Belga. S. J., Lessii discipulus, a s. Alphonso classicis scriptoribus accensetur († 1633). — De actibus humanis. De censuris. De fide, spe et caritate. De Sacramentis (ubi *Disp. 34. de Matrim. Dub. 10. n. 84*). Antwerpiae 1616—1623.

Alvarez Didacus, Hispanus, Dominicanus, archiepiscopus Tranensis (in dissidiis de divinae gratiae auxiliis celebris), a s. Alphonso inter graves auctores refertur († 1640). — Com. in Summ. Theol. (ubi *1. 2. q. 19. art. 6. Disp. 80 n. 1.)* Trani 1617.

Sylvius Franciscus, Belga. Canonicus, vir doctus et sanctus, a s. Alphonso auctor classicus appellatus († 1649). Probabilista moderatus. — Variae resolutiones casuum. Comm. in Sum. Theol. 4 Vol. in fol. Antwerpiae 1697. (ubi *1. 2. q. 19. a. 5. q. 5. concl. 3.)*

Lugo Joannes, Hispanus, S. J., Cardinalis, vir a s. Alphonso maximis laudibus celebratus, coll. Introd. §. 12. n. 3. († 1660). — Responsa moralia Lugd. 1651. De Sacramentis in genere et Eucharistia, 1 Vol. in fol. De Poenitentia. 1 Vol. in fol. De justitia et jure 2 Vol. in fol. (ubi Vol. 2do. *Disp. 37. Sect. 10. n. 113,* ubi supponit „unicuique licere, sequi opinionem probabilem relicta probabiliori"), Lugduni 1644. Scripsit etiam de virtute fidei divinae; Lugduni 1646.

Terillus Antonius, Anglus, S. J., doctor et professor Lovaniensis eruditissimus, *„probabilistarum antesignanus"* ab Eusebio Amort dictus († a. 1676). — Tractatus de conscientia. Leodii 1668. Regula morum (contra rigoristam Elizalde). Leodii 1677. Aequiprobabilismum tradit.

Esparsa Artieda de, Martinus, Hispanus, S. J., docuit Theologiam Salmanticae et Romae († circa a. 1676.), ingenio et doctrina insignis. Scripsit praeter alia de virtutibus moralibus in communi Romae 1674. Append. ad q. de usu licito opinionis probabilis, ibid. 1669. Aequiprobabilismum tuetur.

Sporer Patricius, Germanus, ord. s. Francisci, de quo ait s. Alphonsus, quod in suis sententiis fuit satis aequus, et forte aliquando plus, quam par est, benignus († 1714). — Theologia moralis super Decalogum. Salisb. 1692, ubi *(Tract. I. cap. 1. Sect. 3. Assert. 8. n. 42—45.)* probare studet, quod „per se loquendo licet sequi opinionem minus probabilem (modo sit vere probabilis) etiam contra propriam probabiliorem".

Lupus Christianus, Flandrus, ord. s. Augustini, professor Lovaniensis († 1681.), vir immensa eruditione insignis.[1]) — Dissertatio de opinione probabili (Op. Tom. XI.) Venetiis 1729.

[1]) De quo multa praeclara refert cl. Hurter op. c. Tom. II. pag. 472. et seq.

Abelly Ludovicus, episc. Ruthenensis et familiaris s. Vincent. de Paula, cujus vitam scripsit († 1691). Probabilista moderatus, auctor classicus, vir piissimus. — Medulla Theologica 2 Part. Ed. novissima Ratisbonae 1859. *(P. II. Tract. II. cap. 1. Sect. 6.* disputat de opinione probabili, et signanter §. III. ostendit, „licitum esse ex duabus opinionibus probabilibus, relicta probabiliori, sequi minus probabilem, dummodo tamen illa sit vere probabilis." et observentur limitationes aliae, quas subdit.)

Cardenas Joannes, Hispanus, S. J., a s. Alphonso classicis auctoribus accensetur († 1684). — Crisis theologica bipartita 1680. et al. Crisis theologica circa propositiones ab Innocentio damnatas 1690. et al.

Dechamps Stephanus, Gallus, S. J. (1701.), Probabilismi pereruditus propugnator. — Quaestio facti. Utrum Theologorum Societatis Jesu propriae sint istae sententiae duae. Prima: *Ex duabus opinionibus probabilibus possumus sequi minus tutam.* Secunda: *Ex duabus opinionibus probabilibus licitum est amplecti minus probabilem.* Prodiit 1659.

Rassler Christophorus, Germanus, S. J., in Academia Diling., dein Ingolstad. Professor († 1713). Praeter opera philosophica et dogmatica, Norma recti Ingolstadii 1713. Aequiprobabilista.

La Croix Claudius, Belga, S. J., docuit Theologiam in Universitate Coloniensi († 1714). Auctor ingenii acumine et doctrina celebratus. Magni habetur a s. Alphonso et laudatur tamquam „vir doctus, qui egregie tractat de Sacram. Poenitentiae". (Lib. VI. a. 464.) — Theologia moralis antehâc ex probatis auctoribus breviter concinnata ab H. Busenbaum, nunc pluribus partibus aucta, 2 Vol. Edit. recent. Coloniae 1739. *(Lib. I. n. 93—510).* perspicaciter non minus quam copiose Probabilismi systema edisserit, et argumenta adversariorum refellit; hinc inde tamen sententias profert, quibus non subscribimus, ut Lib. I. n. 301., ubi dicit: *„Licitum est operari secundum probabilem, licet evidens sit, oppositam esse probabiliorem, uti habet communis."* Opus commemoratum adnotationibus illustravit Franciscus Zacharia S. J. Coloniae 1748.

Salmanticenses (Theologi collegii Salmanticae in Hispania), ordinis Carmelitarum discalceatorum. S. Alphonsus eos in numerum auctorum classicorum refert; interdum tamen plus aequo benigni esse videntur. — Collegii Salmanticensis cursus Theologiae moralis a. 1717—1724.

Saeculo XVIII.

Roncaglia Constantinus, Italus, Congr. matris Dei († 1737). Probabilista valde moderatus, a s. Alphonso inter auctores classicos relatus. — Universa Theologia moralis, 2 Vol. in fol. Venetiis 1760. *(Tract. I. q. 1. cap. 2.)*

Reiffenstuel Anacletus, Bavarus, Ord. minor. s. Francisci († 1703), Probabilista moderatus, auctor classicus, doctrinae soliditate et perspicuitate insignis. — Theologia moralis, postmodum pluribus additionibus aucta a Massaeo Kresslinger, et aliis adjectis additionibus locupletata a Dalmatio Kick. Tom. S. Pedeponte *(Tom. I. Tract. 1. Dist. 3. q. 4. tota, n. 38—68. cum Add.)* 1756.

Elbel Benjamin, Germanus, Ord. minor. s. Francisci, examinator synodalis episcopi Passaviensis († 1750). Sana doctrina nec non casuum practicorum copia praestat. — Theologia moralis Decalogalis et Sacramentalis per modum conferentiarum, 3 Tom. Augustae Vindelic. 1747. *(Tom. I. Conf. 7. n. 175—210.)*

Mazzotta Nicolaus S. J., Neapolitanus († 1748). Probabilista, sana et perspicua doctrina insignis. — Theologia moralis. Augustae Vindelic. 1756. *(Tract. I. Disp. 1. Quaest. 4. cap. 4.)*

Holzmann Appollonius, Germanus, Ord. minor. s. Franc., Probabilista moderatus. — Theologia moralis, 2 Tom. Campid. 1737. *(I. Tom. Tr. I. Disp. 3. tota in 3 cap. distributa,* omnibus casibus consideratis.)

Reuter Joannes, Germanus S. J., Professor s. Theologiae in Universitate Trevirensi († 1762). Probabilista moderatus, argumentorum pondere, styli nitiditate, rerum ordine praeclarus. — Theologia moralis quadripetita. Bononiae 1754. *(Tom. I. Tract. II. cap. 3. n. 90—107.* plene et solide.)

Amort Eusebius, Germanus, canonic. regul. Lateran. Pollingae († 1775), vir valde eruditus a s. Alph. (Lib. I. n. 66.) appellatus. Probabilismum moderatum seu Aequiprobabilismum egregie pertractat, sed in quaestionibus practicis non paucis justo severior esse videtur. — Theologia eclectica moralis, scholastica etc. 4 Vol. in fol. Bononiae 1753. Theologia moralis inter rigorem et laxitatem media, ex fusiore opere Theologiae eclecticae excerpta Tom. II. Augustae Vindel. 1757. *(Tom. I. in Tr. de conscientia §. III. et IV.)*

Voit Edmundus, Germanus, S. J. († vers. finem saec. 18). Probabilista moderatus, ob casuum practicorum resolutiones commendatus. — Theologia moralis 2 Par. Edit. 7. Wirceburgi 1860. *(Par. I. cap. 3. n. 70—123.)*

Saeculo XIX.

Aevo nostro Probabilismum, eumque moderatum operibus divulgatis praeter alios tuentur Bouvier, episcopus Cenomanensis, Card. Gousset, archiep. Rhemensis, Martin, episcopus Paderbornensis, Kenrick, archiep. Baltimorensis, Grassi, Stapf, Scavini, Fuchs, Probst, Neyraguet, Panzuti, Varceno, Martinet, Friedhoff, Simar, Schmid, Rohling, Konings, Ninzatti, Marc, quorum opera jam in Introd. §. 13. n. 8. sunt recensita; Van Endert: De opinionis probabilis usu ad efformandum conscientiae dictamen. Coloniae 1860.

Gury: Compend. Theologiae moralis, in editionibus, quae praecesserunt editioni Romanae (1866.), tradit: *Licet sequi opinionem vere et solide probabilem, relicto tutiori aeque probabili vel etiam probabiliori,* quae thesis (quam etiam alii hodiedum proponunt) non est praecise determinata; siquidem Aequiprobabilismum includere et excedere potest, prouti sententia (tutior) *probabilior* subauditur aut parum aut valde probabilior. In edit. Romana Annotationibus Antonii Ballerini S. J. locupletata (Ed. 17.) post n. 59. legitur: *Licet sequi opinionem vere et solide probabilem, relicta tutiori aeque probabili vel etiam vere probabiliori,* quae thesis in Aequiprobabilismo vix amplius persistit, quia opinio, quae *vere probabilior* censetur, aeque vel fere aeque probabilis ac opposita non est, adeoque illam sequi juxta Aequiprobabilismi systema non licet (coll. §. 81. n. 9. et 11.); atque idcirco thesis praefata minus recte veluti propria Probabilismo moderato ab auctore praelaudato n. 59. habetur et perperam auctoritate s. Alphonsi munitur, quem alioquin cl. Ballerini in Nota ad n. 53. et in Dissertatione de morali systemate s. Alphonsi, Romae 1864., communis Probabilismi defensorem falso constituit, coll. §. 78. n. 3. et §. 81. n. 9—12. Ex opposito cl. Dumas S. J., alius Compendii P. Joannis P. Gury editor, Theologus aeque modestus ac eruditus, S. Alphonsum ut Aequiprobalismi doctorem merito veneratur, sicque Probabilismum explicat, ut si non in verbis in re saltem cum systemate s. Alphonsi conveniat.

§. 79.

De usu opinionum probabilium.

Praenotanda.

1. — Vi solius probabilitatis agere non licet, quia probabilitas per se spectata incertitudinem non excludit; ad honeste vero operandum absolute requiritur conscientia saltem moraliter certa, ut §. 73. probatum est. Qua igitur ratione efformari potest conscientia certa, quando probabilitas tantum extat opinionis? Confugiendum est ad *principia reflexa,* quorum ope certitudo ad licite operandum necessario requisita comparetur.

Et haec quidem principia ex doctrina communi sunt sequentia: I. *Lex sufficienter promulgata obligat.* II. *Lex non sufficienter promulgata seu lex dubia non obligat.* Hinc in singulis casibus probabilitatis aut *lex* aut *libertas* est in possessione.[1]) Cf. §. 73. n. 10.

Unde colligitur 1, quod false nonnulli (Vasquez, Sancius etc.) asseruerunt, sufficere judicium *probabile* de actionis honestate. Etenim dictamen ultimum et practicum ad honeste operandum semper esse debet saltem moraliter certum, quod quippe omne dubium strictum et prudentem formidinem de opposito excludit.[2])

Colligitur 2, quod axioma a plerisque Probabilistis defensum: *Qui probabiliter agit, prudenter agit,* si accipiatur tamquam principium directum, falsum est et admitti nequit; quia vi solius probabilitatis agere non licet, adeoque homo, qui soli probabilitati opinionis innixus operatur, non bene, hincque nec prudenter operatur. Verum autem illud principium est, si habeatur tamquam corollarium, quod a principiis reflexis infertur.[3])

2. — Ad doctrinam de usu opinionum probabilium licito et illicito satis implicatam recto lucidoque ordine, ut imprimis pro tiro-

---

[1]) Audiamus sanctum Alphonsum, qui dicit: „*Auctores* (ante hunc s. Doctorem florentes) *eadem nostra principia in suis operibus jam statuerunt, nempe quod lex non sufficienter promulgata non obligat, et quod ubi libertas possidet, lex incerta nequit certam inducere obligationem, ex illo principio adeo ab ipsis acclamato, quod in dubio melior est conditio possidentis. Ergo si de hujusmodi principiis expressam non faciebant mentionem, saltem ea indubitanter supponebant.*“ Lib. I. n. 80.

[2]) Potest quandoque remanere quoddam *dubium latum* de existentia legis, quod tamen nihili faciendum, cum in moralibus absoluta certitudo raro haberi possit. Cf. s. Alph. n. 67. v. *Dixi.*

[3]) S. Alph.: Lib. I. n. 58. et 80. *Nec valet.*

nibus opus est, exponendam, eandem in duas partes dividimus. Videlicet casus duplicis generis hac in materia in considerationem veniunt: *vel* agitur de absoluta obligatione finem determinatum obtinendi, *vel* agitur de sola actionis honestate absque tali obligatione. Unde quaeritur, quid in his, quidque in illis casibus de usu opinionum probabilium sit statuendum.

§. 80.

A. An licitus est usus opinionis alicujus probabilis, relicta tutiori, ubi absoluta urget obligatio finis determinati obtinendi?

1. — *Laxistae* coll. §. 76. et §. 78. n. 1. docuerunt, in omnibus materiis atque semper licitum esse opinionem probabilem sequi. Contra quos haec valet

REGULA.

Tutius eligendum est posthabita opinione quacunque probabili, quoties usus opinionis probabilis non removet periculum frustrandi finem, ad quem obtinendum ex justitia vel charitate vel alia virtute extat obligatio absoluta.

Est doctrina certa et omnino tenenda. Ratio est, quia lex sive prudentiae sive charitatis sive justitiae, quae absolute obligat ad finem determinatum assequendum, eodem rigore obligat ad talia media adhibenda, quae procul dubio apta sunt ad finem assequendum. Cumque usus medii seu opinionis probabilis non excludat periculum frustrandi finem: ideo lex illa obligat, ut talia media, quae sunt omnino tuta et certa, adhibeantur seu *ut tutius eligatur*. Tunc ergo lex est in possessione. Haec obligatio tenet, quando agitur *de valore actus*, quem quis procurare debet, vel *de damno spirituali* vel *temporali*, quod vitare tenetur.

In specie:

2. — 1. In rebus ad veram fidem seu religionem spectantibus, posthabita opinione contraria sive probabili sive probabiliori, sententia tutior necessario observanda, ac per consequens religio catholica, utpote quae sola vera est, amplectenda est. Cum enim quaevis alia religio falsa sit, licet alicui probabilior videatur, tamen amplectens eam tutiori relicta nequaquam damnum aeternae suae salutis effugiet. Ita s. Alphonsus. Huc spectant s. Augustini dicta:

„*Tene certum, et dimitte incertum.*“ [1]) „*Graviter peccaret in rebus ad salutem animae pertinentibus, vel eo solo, quod certis incerta praeponeret.*“ [2]) Hinc merito ab Innocentio XI. damnata est propositio n. 4. sic dicens: *Ab infidelitate excusabitur infidelis, non credens ductus opinione minus probabili.*[3])

2. In administratione Sacramentorum minister uti nequit opinione probabili vel probabiliori circa eorum valorem, sed tutam sententiam sectari tenetur; quia aliter exponeret Sacramentum periculo nullitatis et proximum periculo damni spiritualis. Hinc merito damnata est ab Innocentio XI. haec sub n. 1. propositio: *Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti.* Excipe tamen:

a) Si urgeat casus necessitatis, et per usum opinionis probabilis, vel tantum tenuitur probabilis de valore Sacramenti melius consulatur saluti proximi, quam si administratio Sacramenti penitus omittatur; quia cum Sacramenta sint propter homines, ea homini in gravi vitae periculo versanti omni meliori, quo fieri potest, modo administranda sunt. Conditione autem apposita tunc conferri debent ad injuriam eorum praecavendam, si forte invalide conferantur. Sic e. g. infans recens natus sub conditione baptizandus erit, etiamsi probabilius exanimis videatur, dummodo aliqua vitae indicia adsint. Tunc Sacramentum etiam cum dubia materia conferri potest, si indubitata non inveniatur.

b) Si defectus suppleatur ab Ecclesia seu id suppleatur, quod desideratur ad valorem Sacramenti, ut evenit in Sacramento Poenitentiae, in quo Ecclesia aliquando supplet Confessarii jurisdictionem, si forte desit; et in Sacramento matrimonii, quod Ecclesia aliquando convalidat, si forte contractum sit invalide ob impedimentum juris ecclesiastici, quod aufert habilitatem supplendo, ut alio loco dicendum est.

Non tantum in administratione, verum etiam in susceptione Sacramentorum illicitum est uti opinione probabili, tutiore relicta; quod ex damnatione propositionis supra relatae merito infertur, atque eo insuper confirmatur, quod quilibet Sacramentum suscipiens periculum ejus frustrationis necnon proprii damni spiritualis evitare tenetur.[4])

[1]) Serm. 393. (al. 41. in homiliis 50.)

[2]) De Baptizmo contra Donatistas Lib. I. cap. 3. n. 4.

[3]) S. Alph.: Lib. I. n. 43.

[4]) S. Alph.: Lib. I. n. 51. cum La Croix: Lib. VI. n. 105., Suarez: Tom. IV. in p. 3. Disp. 27. Sect. 6., *Viva, Cardenas* et aliis contra Vasquez, Sanchez, Sporer etc.

3. Medicus et chirurgus obligantur ad remedia tutiora, quae hic et nunc haberi possunt, infirmo applicanda, quia tacito contractu se obstrinxerunt ad infirmitatem avertendam. Unde simul deducitur, quod numquam adhibere possunt medium ad experimentum super infirmo faciendum, quamvis de ipsius salute desperetur, propter periculum accelerandi mortem. Quodsi non suppetant remedia certa et probabiliora, medici applicare possunt, imo debent remedium probabiliter profuturum, et alio deficiente, medium etiam dubie profuturum et certo non nociturum; quia ratione officii ex justitia tenentur omni meliori modo saluti infirmi providere.[1])

Praeterea tutius facere tenentur illi omnes, qui conventione sive expressa sive tacita ad finem certum obtinendum sese obstrinxerunt.

4. Imo tutius eligere debemus, ubicumque agitur de periculo damni sive proprii sive alieni, quod praecavere vel impedire tenemur ex justitia vel ex charitate. Hinc e. g. venator, qui probabiliter vel probabilius judicat, objectum in silva latens esse feram, non hominem, plumbum in illud ejaculare non potest; etenim ex una parte proximus habet jus certum vitae suae, ex altera parte probabilitas, etiam major, efficere nequit, ne, si revera homo sit, pereat casu, quo venator feriat.[2])

* S. Alphonsus: Theologia moralis Libr. I. n. 41—52. — La Croix: Theologia moralis Lib. I. n. 476. et 477. Holzmann: Theologia moralis Tom. I. Part. I. Tract. 2. Disp. 3. c. 2. art. 2. Reiffenstuel: Theolog. moral. Tom. I. Tract. I. Disp. 3. §. II. n. 47—49. 56. 57—68. cum Addition. Massaei Kresslinger. Reuter: Theol. moral. Tom. I. Par. I. Tract. II. n. 96—98. Voit: Theologia moralis P. I. n. 86—91. Gury: Compendium Theologiae moralis T. I. n. 56—57.

Casus.

3. — 1. *Martinus sectae protestantium addictus, quamvis nonnulla Ecclesiae catholicae dogmata minus probabilia sibi appareant, quam commenta sectae suae, generatim tamen tutiorem viam ad salutem consequendam in Ecclesia catholica reperiri, quam in secta protestantium non diffitetur, saepius dicens: In Lutheranismo homo belle vivit, in Catholicismo autem belle moritur. Quaeritur: An Martinus licite sequatur protestantium confessionem?*

Resp. *Neg.*, ut patet ex dictis n. 2. Attamen non obligatur protinus ingredi Ecclesiam catholicam, quia ipsi prius evidenter credibilis esse debet religio catholica, ut constat ex propositione 21. ab Innocentio XI. damnata. Hinc proxime

[1]) S. Alph.: Lib. I. n. 44—46.

[2]) Idem n. 52. Lib. IV. n. 700. Nota ab Haringer addita.

inquirere et a Deo lumen petere debet, ut perveniat ad rectam cognitionem religionis catholicae et ad firmam de ejusdem veritate persuasionem. His mediis sedulo utens certe fide divina donabitur, quia facienti, quod in se est, Deus non denegat gratiam, utpote qui vult, omnes homines salvos fieri. Ubi vero diligentiam non adhibet in inquirendo veritatem, a Deo gratiam non petit, vel gratiam impedit non vivendo secundum rectam rationem, sane mortaliter peccat.

2. *Cassianus, confessionem Sacramentalem peracturus, sedulo quidem ad eam se praeparat, subinde tamen post acceptam jam absolutionem recordatur alicujus peccati gravis ex oblivione omissi, idemque ad confessionale statim rediens aperit absque novo dolore. Confessarius autem perplexus haeret, quid facere debeat ignorans, cum Theologorum alii affirment, alii negent, novum dolorem eliciendum esse a poenitente, qui statim post absolutionem confitetur peccatum, cujus est oblitus.*

Hinc quaeritur: An Cassianus absolvi possit, quin ullum dolorem relate ad novam absolutionem eliciat?

Resp. *Neg.* Ratio est, quia in conferendis et suscipiendis Sacramentis, quando agitur de eorum valore, non licet sequi sententiam, quantumcunque probabilem, minus tutam, relicta tutiori coll. supra n. 2. Atqui sententia docens, eundem dolorem sufficere ad duas absolutiones moraliter connexas, solum est probabilis, estque minus tuta, ac opposita, et agitur de valore Sacramenti; ergo eandem sequi non licet. Ex quo fluit, quod Cassianus inducendus sit ad eliciendum novum dolorem, uti et emendationis propositum, ne alioquin secunda absolutio et consequenter Sacramentum Poenitentiae exponatur periculo nullitatis.[1])

3. *Macarius, capellanus cujusdam parochi, grassante morbo pestifero, diu noctuque ad aegrotos vocatur. Quadam die domum reversus parocho refert, quod absolvit unum moribundum, qui vix confiteri potuit et probabilia tantum signa contritionis ostendit, et alium sensibus destitutum, qui signa dispositionis prorsus dubia edidit. Idcirco graviter increpatur a parocho, qui talem agendi rationem, a junioribus, ut ait, invectam, prorsus abominandam esse declarat. Inter disceptationem capellanus noster rursus ad duos moribundos vocatur. Subridens ea modestia, quae capellanum decet, parocho dicit: Ecce, probabilius mihi et tutius omnino videtur, quod parochus ad unum properet, et ego ad alterum; quia utrique moribundo solus assistere nequeo. Cui reponit parochus tutiorista: In hoc casu tutius est, meam valetudinem non exponere periculo; nosti, carissime, meam complexionem, nativam timiditatem, ac proinde properes ad aegrotos.*

Hinc quaeritur: 1. *An Macarius peccaverit moribundos praefatos absolvendo?* 2. *An parochus tuto secutus fuerit sententiam suam tutiorem?*

Resp. ad 1. *Neg.*, dummodo conditionate moribundis illis absolutionem impertierit. Rationem vide n. 2.

Resp. ad 2. *Neg.*, tutius enim non egit respectu moribundi, ut per se patet; neque respectu propriae conscientiae, quia defuit gravissimae obligationi, quae ipsi ex justitia incumbit, et a qua non excusabatur, neque vitae propriae periculo, nisi per alium potuerit sufficienter providere moribundi saluti. Perverse igitur elegit tutius quoad valetudinem corporis conservandam, cum debuerit tutius eligere tum quoad animam moribundi tum quoad animam suam salvandam. Nonne anima plus est, quam corpus?[1]) Id enimvero tutius dicitur sensu morali, quod magis recedit a periculo peccandi.

[1]) S. Alph.: Lib. VI. n. 448. La Croix: Lib. VI. n. 707—713. Holzmann: Tom. I. Tr. I. n. 188.

[2]) Vide Voit: P. I. n. 117—119.

§. 81.

B. An licitus est usus opinionis alicujus probabilis, relicta tutiore, ubi de sola actionis honestate quaeritur?

1. — Ubi de sola actionis honestate sermo incidit, exclusa obligatione absoluta obtinendi certi cujusdam finis, casus multiplicis generis in considerationem veniunt; videlicet tunc sententia de legis existentia est vel certa, vel probabilissima, vel certe probabilior, vel aequiprobabilis, vel notabiliter minus probabilis, vel tenuiter probabilis.

Hic statim generaliter observandum, *quoties licitus est usus opinionis probabilis, benignioris, confessarius nequit poenitentem stricte obligare ad opinionem rigidiorem exequendam.*

REGULA I. uscivstan.

Si ex una parte constat de lege, et ex altera parte opinio probabilis vel probabilior supervenit favens libertati, tunc standum est pro lege.

2. — Regula haec ex eo probatur, quod lex certa, quae antecedenter est in possessione, per probabilitatem libertatis superveniente ex possessione deturbari nequit. Profecto certitudinem unius partis, nempe legis in proposito casu, probabilitas partis oppositae, id est libertatis, aequare et elidere non valet. Hinc cum lex sit in possessione, standum est pro lege, seu lex adimpleri debet. Excipe tamen, si ex ordinarie contingentibus vel ex particularibus circumstantiis praesumptio stat contra legem pro libertate. [1])

Illationes practicae:

1. Qui certus est de quadam obligatione, et probabiliter censet, se illi jam satisfecisse, ab obligatione non liberatur. Sic e. g. qui votum certe emisit, et probabiliter putat, se illud implevisse, nilominus tenetur votum implere. Sicut enim certum est votum, ita pariter certa ejus impletio esse debet, ait s. Alphonsus; [2]) lex certa per probabilem satisfactionem non impletur. Eo solo casu, subjungit s. Alphonsus, [3]) probabilis satisfactio admitti posset, cum probabilitas esset talis, quod praesumere faceret quadam certitudine morali, voto jam fuisse satisfactum. Et plane idem dicendum de obligatione recitandi horas canonicas, persolvendi poenitentiam sacramentalem,

[1]) Vid. Marc C. S. R. Institutiones morales, Tom. I. n. 96. et seq.

[2]) H. Apost. Tr. I. n. 17.

[3]) Theol. mor. Lib. I. n. 29.

confitendi peccata mortalia, solvendi debita etc.; cum enim praecepta sint certa, voluntas ligata manet ab eis, quamdiu certo non sint impleta. [1])

Similiter obligatio certo contracta e. g. juramenti, per dispensationem probabiliter datam auferri nequit. [2])

2. Regula proposita maxime in materia justitiae locum habet. Si quis rem bona fide possidet, illa privari nequit, nisi moraliter certum fiat, rem esse alienam, vel nisi contra possessorem pugnent rationes probabilissimae atque tales, quae adversus ipsum certitudinem moralem fundent. [3]) Ratio haec est: possessor per rei possessionem bona fide inchoatam acquisivit jus retinendi rem, quam habet; [4]) jam vero instat et exposcit lex justitiae, ne quis privetur jure legitime acquisito, atque lex illa certa tamdiu possidet seu retinet vim suam, quamdiu moraliter certo probatum non est, possessorem non habere jus verum seu rem, quam possidet, esse alienam.

Subditus, qui certus est de praecepto a superiore dato, et probabiliter vel probabilius censet, illud esse illicitum et inhonestum, nihilominus tenetur obedire; quia, ut ait s. Alphonsus, [5]) jus possessionis, quod habet superior (adeoque obligatio obediendi, qua afficitur subditus), praevalet omni opinioni contrariae, quae non habet rationes convincentes, et fundantes certitudinem moralem.

REGULA II.

Licitum est sequi opinionem probabilissimam, relicta tutiori, ubi de solo licito vel illicito agitur.

3. — Probatur 1. ex damnatione propositionis ab Alexandro VIII. proscriptae, quae sic jacet: *Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam.* Ergo permissum est, sequi opinionem saltem probabilissimam, eamque minus tutam, cum nemo unquam negaverit, licere usum opinionis probabilissimae tutioris. Confirmatur 2. ex eo, quod ubi sententia, quae stat pro libertate, est probabilissima, lex non apparet sufficienter notificata, seu incerta et dubia est. Atqui *lex dubia non obligat.*

[1]) S. Alph.: H. A. Tr. I. n. 17. Theol. mor. Lib. I. n. 29. Lib. IV. n. 700. in fine Lib. VI. n. 477.

[2]) S. Alph.: Lib. IV. n. 190.

[3]) Idem Lib. I. n. 35. et 36.

[4]) Idem: „Possessio enim legitima fundat de se praesumptionem certam de justitia possessoris.“ Lib. I. n. 36.

[5]) Lib. I. n. 148. Lib. IV. n. 112. q. 3.

Exempla:

1. Cum probabilissima sit sententia, omnes poenas privantes juribus jam acquisitis non incurri ante sententiam saltem declaratoriam criminis,[1]) eandem amplecti omnino licet.

2. Juvenis, qui probabilissime vigesimum primum annum nondum complevit, ad servandam unicam refectionem diebus jejunii non obstringitur.

3. Qui probabilissime censet, se votum non emisisse, vel praeceptum sibi non esse impositum, ad nihil tenetur.

4. Si tibi ex auctoritate Theologorum, vel ex ratione interna, vel ex utraque simul probabilissimum esse videtur, quod opus quodpiam non sit servile, contractus certus non sit inhonestus vel injustus etc., licite potes tali sententia uti.

4. — Ex veritate indubitanda regulae propositae sponte sua sequitur, quod *Tutiorismus absolutus* seu *Rigorismus*, qui coll. §. 76. semper tutius sequendum esse defendit, omnino falsus est et rejiciendus. Etenim condemnatus est Sedis Apostolicae judicio et rectae rationi adversatur, ut ex probatione regulae praemissa aperte constat. His insuper accedit, quod 1. hoc systema alienum est ab evangelico spiritu, 2. contrarium est ss. Patrum doctrinae, et 3. perniciosum est in praxi.

1. Rigorismus alienus est ab evangelico spiritu. Nam Christus Dominus dicit: *„Jugum meum suave est, et onus meum leve.“* Matth. 11. 29.; atqui jugum Christi non esset suave, nec leve ejus onus, si semper tutiora sequi teneremur; imo plurimum per omnem modum inde aggravaretur et prorsus intolerabile redderetur.

2. Rigorismus contrarius est ss. Patrum doctrinae. Audiamus s. Ambrosium sic conquerentem: *„Sunt etiam in nobis, qui habent timorem Dei, sed non secundum scientiam, statuentes duriora praecepta, quae non possit humana conditio sustinere; timor in eo est, quia videntur sibi consulere disciplinae, opus virtutis exigere; sed inscitia in eo est, quod non compatiuntur naturae, non aestimant possibilitatem.“*[2]) Nec aliter loquitur s. Augustinus, qui conqueritur de iis, *„qui ne luce veritatis carere ostendantur, umbram rigidae severitatis obtendunt. Nec dubium est, quod id suggerat daemon, qui per imaginem quasi justae severitatis crudelem saevitiam persuadet, nihil aliud appetens venenosissima versutia sua, nisi ut corrumpat atque disrumpat vinculum pacis et charitatis.“*[3])

3. Rigorismus est perniciosus in praxi; imponit enim onus intolerabile, auget peccata, generat desperationem, et, ut s. Antoninus ait, aedificat ad gehennam. Qui si valeret, teneremur confiteri omnes circumstantias mere aggravantes, item teneremur ad omnes sententias rigidas in materia jejunii, horarum canonicarum etc.; omnes oporteret religionem intrare, cum hoc tutior via sit, quam in saeculo permanere; superiores non auderent plurima praecipere, nec subditi obedire, ubi esset etiam minus probabile periculum peccati; medici non auderent

[1]) S. Alph.: Lib. IV. n. 112. Quaer. III.

[2]) In Ps. 118. Serm. V. n. 37.

[3]) Lib. III. contra epist. Parmen. c. 1.

ut plurimum praescribere medicinas, quia saepissime nesciunt, quaenam sit tutior foretquae tutius, omnino nullam adhibere; vix ullus posset absolvi, quia vix ullus habet propositum semper sequendi tutiora.[1]) Hinc merito infert Palavicini: *„Lex, per quam juberemur facere omnia optima, esset pessima et inobservabilis, ac perpetua causa peccati et damnationis.“*[2])

REGULA III.

Non licet sequi opinionem tenuiter probabilem, tutiore relicta.

5. — Probatur 1., quia Innocentius XI. damnavit propositionem 3. sic jacentem: *Generatim dum probabilitate intrinseca seu extrinseca, quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeatur, confisi, aliquid agimus, semper prudenter agimus.* Probatur 2. ex eo, quod opinio tenuiter probabilis, legem non existere, non est vere probabilis coll. §. 75. n. 3., adeoque sententia opposita, legem seu obligationem existere, fit quasi moraliter certa. Ergo standum est pro sententia, quae legi favet.

Exempla:

1. Haereticus, qui tenuiter probabilem seu credibilem reputat suam sectam, in ea permanere salva conscientia nequit.

2. Qui tenuiter probabile censet, aliquem contractum esse justum, peccat, si eum celebrat.

3. Qui aliquam actionem probabilissime simoniacam, vel superstitiosam etc. esse judicat, eam omittere tenetur.

4. Peccat opifex, qui nocte diei dominicae absque justa causa opus servile incipit, tenui probabilitate confisus, duodecimam noctis horam jamjam esse praeterlapsam.

6. — Ex praedictis colligitur falsitas *Laxismi* ex ea parte, qua affirmat, licitum esse usum opinionis tenuiter probabilis, quemadmodum ejusdem vitium ex altera parte, qua contendit, usum opinionis probabilis in omnibus materiis esse permissum, jam superius §. 80. comprobatum est. His accedit, quod *„laxus iste opinandi modus,* — ut loquitur P. M. Alexander VII. in Decreto die 24. Sept. 1665. emisso, — *alienus est omnino ab Evangelica simplicitate, Sanctorumque Patrum doctrina, quem si pro recta regula fideles in praxi sequerentur, ingens irreptura esset vitae Christianae corruptela.“*

Profecto 1. Laxismus alienus est ab Evangelica simplicitate. Argutiis enimvero et sophismatibus auctores, qui illi adhaeserunt, non raro usi sunt ad actiones tamquam licitas probandas, dum vix aliqua umbratilis ratio suppetebat.

2. Laximus alienus est a ss. Patrum doctrina, qui quippe non minus benignitatem intempestivam, quam severitatem immoderatam abhorruerunt. Si e. g. s.

[1]) La Croix: Lib. I. n. 487.

[2]) In 1. 2. q. Dist. 9. quaest. 4. a. 2. n. 12.

Joannes Chrysostomus rigoristas monet: *„Melius est errare in misericordia, quam in severitate, ubi enim paterfamilias largus est, dispensator non debet esse tenax“*:[1]) vicissim s. Augustinus laxatae doctrinae sectatoribus acclamat: *„Melius est cum severitate diligere, quam cum lenitate decipere.“* Et s. Hieronymus observat, *„aequali maledicto eos subjacere, qui bona mala dicunt, et illos, qui mala bona judicant.“* [2]) Denique medium tenendum inter rigorem et laxitatem s. Bonaventura perbene designat his verbis: *„Cavenda est conscientia nimis larga, et nimis stricta; nam prima generat praesumptionem, secunda desperationem.“* [3])

3. Laxismus inducit vitae christianae corruptelam; siquidem actionem inexcusabilem saepe excusat, malum dicit bonum, appetitus inordinatos cohonestat, praesumptionem generat atque proterviam, a semita salutis, quam aeterna veritas arctam esse definivit, ad spatiosam latamque viam, quae ducit ad perditionem, mobiles incautosque illecebrose evocat, — ut passim notatur in Decreto Alexandri VII. supra laudato.

REGULA IV.

Licitum est sequi opinionem multo probabiliorem relicta tutiori minus probabili.

7. — In hac regula conveniunt omnes Theologi, si solos excipias Tutioristas. Sic autem probatur: Lex dubia seu non sufficienter notificata non obligat coll. §. 73. n. 11. Atqui lex sufficienter intimata censeri nequit, ubi sententia, quae stat contra legis existentiam, est multo probabilior, quam opposita, tunc enim opinio stans pro lege non est nisi tenuiter vel dubie probabilis. Ergo licite quisque uti potest sententia, quae favet libertati.[4]) Id continuo s. Alphonsus monet: *„Hominis libertas, cum certa sit, possideatque ante legis obligationem, ipsa nonnisi a lege* (moraliter) *certa ligatur.“* [5])

Exempla:

1. Qui multo probabilius censet, se votum non emisisse, ad votum non tenetur. Qui valde probabilius opinatur, se annum vigesimum primum nondum explevisse, ad jejunandum non obstringitur.

2. Qui minus probabile judicat, onus aliquod in lege certe promulgata conprehendi, illud sustinere non tenetur, supposita, ut per se intelligitur, diligenti rei inquisitione.

---

[1]) Homil. 49. in Matth.

[2]) Epist. 85. (al. 153.) ad Paulinum n. 4.

[3]) Compend. theolog. verit. Lib. II. cap. 32. n. 3.

[4]) Huc spectat cap. 31. de off. et potest. jud. deleg. *„Nisi de mandato certus extiteris, exequi non cogeris, quod mandatur“.*

[5]) Theol. mor. Lib. I. n. 77. et al. Videri etiam potest Eusebius Amort: Theol. mor. Tom. I. Tr. 1. § IV. q. 11.

3. Quum juxta s. Alphonsum[1]) aliosque plurimos probabilius sit, nos per se loquendo non teneri confiteri circumstantias peccatorum aggravantes intra eandem speciem, quilibet sententia hac secure uti potest.

8. — Ex doctrina modo probata simul perspicitur falsitas *Tutiorismi mitigati*, qui coll. §. 76. usum opinionis probabilissimae tantum admittit. Praeterea de hoc systemate proportionate eadem valent, quae supra n. 4. animadvertimus de Tutiorismo absoluto. Etenim ille quoque Tutiorismus 1. alienus est ab evangelico spiritu, 2. contrarius est doctrinae ss. Patrum, et 3. perniciosus in praxi.

1. Alienus est ab Evangelico spiritu. Profecto enim onus non leve, sed grave foret dicendum, si obligatio existeret, legem observandi, de cujus existentia sufficiens ratio non reperitur.

2. Contrarius est doctrinae ss. Patrum, quippe qui, ut n. 11. ostendetur, generatim pro libertate standum esse docent, ubi lex certa non est. Praeclare s. Gregorius Nazianzenus monet: *„Nemo sapientior sit, quam conveniat, nec lege exactior, nec luce splendidior, nec norma rectior, nec praecepto divino sublimior.“* [2]) Talis autem esset, qui vellet obligationem ponere, quam Deum ipsum legislatorem imposuisse ignoratur. Vere s. Petrus Damiani ait: *„Qui prohibent non licere, quod licet: ac per hoc jactant se defensores esse justitiae, hostes adjudicantur Ecclesiae.“* [3])

3. Perniciosus est in praxi, quia conscientias inique angit et aggravat, peccata sine causa multiplicat, fideles sub fucata purioris pietatis specie decipit et a religionis exercitio absterret.

REGULA V.

Illicitum est opinionem sequi minus probabilem, relicta tutiore et certe probabiliore.

9. — Doctrina proposita, quam praeter alios s. Alphonsus[4]) fortiter tuetur, sequentibus argumentis evincitur: 1. Ad licite operandum debemus veritatem inquirere et inventam sequi: ac proinde, ubi veritas clare inveniri nequit, tenemur saltem illam opinionem amplecti, quae juxta propriam persuasionem evidenter propius ad veritatem accedit, qualis est opinio certe probabilior.[5]) — 2. Ubi opinio pro lege est certe probabilior ac proinde longe majoris ponderis, quam opposita favens libertati: tunc lex est sufficienter promulgata et quasi *moraliter certa*, adeoque possidet et obligat voluntatem.

Dixi: opinio *certe probabilior*, i. e. sine ulla haesitatione, ideoque solide et notabiliter probabilior; nam parvus excessus ac tenuis praeponderantia in moralibus difficulter percipi potest.

---

[1]) Lib. VI. n. 468.

[2]) Orat. 26.

[3]) Opusc. 30. de Sacramentis per improbos administratis, cap. 4.

[4]) Th. m. Lib. I. n. 56. 67. v. *Dixi*, et n. 84. in fine. A. H. Tr. I. n. 31. et 77.

[5]) Negat hoc clariss. Lehmkuhl, Vol. I. n. 98., quod tamen dictat ipsa sana ratio (vid. infra n. 10. sub 2.), et confirmat reg. 45. Juris in Sexto: *Inspicimus in obscuris, quod est verisimilius.* Hinc nulla est petitio principii.

Exempla:

1. Qui nocte evigilans valde probabilius credit, jam sonuisse duodecimam horam, mane communicaturus, modo licite nequit aliquid potus sumere.

2. Qui certe probabilius censet, aliquam actionem esse Simoniacam, eam ponendo formaliter peccat Simonia.

3. Obligatur ad votum, qui sine haesitatione probabilius arbitratur, se votum nuncupasse. Ad jejunium pariter ille obstringitur servandum, cui certe probabilius videtur, se annum vigesimum primum jam adimplevisse.

10. — Hinc *Probabilismum absolutum*, juxta quem coll. §. 76. licet uti opinione minus probabili in concursu opinionis tutioris et certe probabilioris, adoptare nequimus. Is per se ducit ad Laxismum n. 5. refutatum, quia, ut recte sanctus Alphonsus observat, ubi opinio tutior est certe probabilior, adeoque moraliter aut quasi moraliter certa: opinio minus tuta certo fundamento caret, adeoque remanet aut tenuiter aut saltem dubie probabilis respectu tutioris.[1]) Dein adverte, quod in quaestionibus moralibus saepissime haberi nequit certitudo moralis stricte dicta: ideoque si numquam obligaremur ad observandam legem, nisi esset stricte moraliter certa, permultae leges respectu plurimorum essent inefficaces, morumque disciplina nimium laxaretur.

Dicunt Probabilismi istius fautores 1. Dum opinio minus tuta est vere probabilis, homo judicium circa opinionem tutiorem et certe probabiliorem potest suspendere, et probabilitati opinionis benignae innixus operari.

Resp. Sapienter s. Alphonsus reponit:[2]) *„Quoties intellectui certe appareat, veritatem multo magis stare pro lege, quam pro libertate, tunc voluntas nequit prudenter et sine culpa parti minus tutae adhaerere: siquidem eo casu homo non proprio judicio — — innixus operaretur, sed potius per quemdam conatum, quem sua voluntate in intellectum inferret, ut a parte, quae valde verisimilior sibi apparet, removeretur, et ad partem, quae sibi vera non apparet, imo quae videtur nec certum fundamentum habere, quod possit esse vera, inflecteretur. Et huc facit illud Apostoli: Omne, quod non est ex fide, peccatum est.“* Rom. 14, 23.

2. Qui opinionem tutiorem, quae videtur *certe probabilior*, sequitur, ideo non semper propius ad veritatem accedit; saepe enim talis etiam sententia est falsa, nec juvat major apparentia.

Resp. a) Debemus veritati studere, quantum intelligimus et possumus: quod fit, dum adhaeremus sententiae, quae nobis videtur multo verisimilior, quam opposita. Ad rem egregie Esparsa S. J. ait: *„Quis magis proprie dici potest nolle intelligere, ut bene agat, et scientium bene vivendi contemnere, quam qui terga vertit rationibus, quas praesensit ineluctabiles, ut concedat in eam partem, quam praevidit a veritate longius recedere seu ad veritatem, quae unice quaerenda est, minus accedere, utque ita in animum inducere possit, in quo clare ac indubitanter conspicit minorem affulgere spem veritatis attingendae et majus est periculum falsitatis*

[1]) Theol. mor. Lib. I. 56. H. A. Tr. I. n. 31.

[2]) Lib. I. n. 56.

incurrendae?“[1]) — Porro b) ex ipsa naturali mentis nostrae ad veritatem inclinatione consequitur, ut dum veritatem ipsam certo non cognoscimus, id quod ad veritatem magis accedere perspicimus, amplectamur. Ideo s. Ignatius in Exerc. spirit., ubi Regulas ad sanam et bonam electionem faciendam exponit, sapienter praescribit, ratiocinandum esse in omnes partes super re proposita, et videndum, *quam in partem ratio magis inclinet*, et ita *secundum majorem motionem rationalem* fieri debere deliberationem et electionem.[2])

3. Nulla est obligatio, nisi de ea constet. Atqui non constat de legis obligatione, ubi sententia libertati favens est vere probabilis, quamvis opposita sit certe probabilior.

Resp. cum s. Alphonso: Si sententia tutior est certe probabilior, ita ut excessus sit notabilis et evidens: tunc sententia minus tuta respectu tutioris non est vere, sed dubie probabilis; ideoque jam habetur saltem aliqua certitudo moralis de obligationis existentia. Idem alii antiquiores Theologi sentiebant. Sic s. Antoninus tradit: *„Consurgit certitudo moralis — ex probabilibus conjecturis, magis ad unam partem, quam ad aliam se habentibus.“*[3]) Suarez observat: *„Major probabilitas est quaedam moralis certitudo, si excessus probabilitatis certus sit.“*[4])

Ceterum jam ante s. Alphonsum insignes Probabilistae istam, de qua loquimur, sententiam Probabilismi absoluti rejecerunt.

S. Antoninus scribit: *„Constat, quod in materia fidei licitum est ante determinationem Ecclesiae tenere unam vel alteram partem sine periculo peccati: ergo a simili licet unam opinionem in moralibus tenere juxta limitata superius, ubi saltem magis sapientes non sentiunt contrarium,“* ergo ubi tutior non apparet multo probabilior. Summa Theol. P. I. Tit. 3. cap. 10. §. 10.

Sylvius (supra pag. 306. laudatus) ait: *„Dum una opinio sic est probabilior, ut ejus opposita sit improbabilis, necesse est sequi probabiliorem; sicut et quando dubium est, an opinio, quae probabiliori opponitur, vere sit probabilis.“* In 1. 2. 19. a. 5. q. 5. concl. 3. Jam vero, ubi excessus probabilitatis in una sententia est evidens, tunc probabilitas sententiae oppositae non est nisi dubia.

Eusebius Amort (de quo pag. 308.) in sua Theologia morali (quae priusquam ederetur, emendata fuit vel saltem revisa Romae jussu Benedicti XIV.) Tract. de consc. §. IV. q. 9. probat, quod *non licet sequi sententiam notabiliter minus probabilem.*

Martinus de Esparsa S. J. (v. pag. 306.) agit hac de materia fuse in op. Append. ad q. de usu licito opinionis probabilis art. 152—156., utens, ut ipse ait, directione d. Antonini et Adriani. Signanter art. 156. concludit: *„Libertas physica opinandi in utramque partem contradictionis sufficit pro usu licito opinionis cujusvis practice probabilis, hoc est affirmantis cum fundamento magni momenti: licere hoc vel illud seu agere seu omittere, sive talis opinio sit minus probabilis sive magis probabilis, dummodo excessus verisimilitudinis ex parte opposita ei, quae deducitur in opus, non sit manifestus atque omnino indubitatus ipsi operanti.“*

[1]) Appendix ad q. de usu licito opinionis probabilis, art. 154.

[2]) Merito Stapf: Tom. I. §. 81. adminadverit: *„Sane omnes fateri cogimur, naturam rationalem violari, atque impium esse, si quis, neglectis momentis gravioribus, illud sequitur, quod utpote rationibus levioribus nixum, divinae legi minus congruit.“*

[3]) Summa Theol. P. I. Tit. 3. cap. 10. §. 10.

[4]) De legib. Lib. VIII. cap. 3. n. 19.

Nec aliter sentit Terillus S. J. (supra pag. 306. laudatus) in op. Regula morum q. 1. n. 7., quamvis totus in eo sit, ut defendat Probabilismum ex professo contra Tutioristas.

His merito accensetur Suarez, quatenus (ut supra vidimus) probabilitatem in una parte non admittit, ubi in altera parte excessus probabilitatis certus est.

Rassler S. J. (de quo pag. 307.) in op. Norma recti, illustrat ac defendit, fas esse opinionem minus tutam ac probabilem sequi, *modo non sit notabiliter minus probabilis ac opposita;* quamvis prius acriter benigniorem sententiam defendisset.

Neubauer S. J. in op. Theol. Wirceburgens. Ed. nova Paris 1852. Tom. III. Tract. de actib. humanis cap. IV. de conscientia n. 240. dicit: „*Si de opinione notabiliter et certo probabiliore procedit quaestio, vix ullus prudens Theologus opinionem suam affirmabit manifeste et notabiliter probabiliorem, quamdiu oppositam agnoscit vere et theologice probabilem, quae si cessat talis esse, cessat et quaestio.*“ Hinc e converso, si opinio est *notabiliter et certo probabilior,* opposita cessat *probabilis* esse, ideoque eam sequi non licet.

Antonius Mayr S. J. in Theol. scholast. Tractatus omnes in Universitatibus Provinciae Germaniae superioris Societatis Jesu tradi solitos et quaestiones in iis praescriptas complexa Ingolstadii 1730. Tract. IV. de act. human. Disp. II. q. 3. de conscientia probabili art. 14.—22., ergo latissime defendit et contra objectiones vindicat thesim: *Non licet sequi opinionem minus tutam et notabiliter minus probabilem;* citans n. 356. plures auctores, qui eandem sententiam tenent; art. 6—13. autem tuetur thesim: *Inter duas sententias aequaliter probabiles licet sequi minus tutam.*

REGULA VI.

Licitum est sequi opinionem minus tutam vere probabilem, opinione tutiore aeque vel fere aeque probabili relicta.

11. — Contradicunt huic regulae Probabilioristae coll. §. 76., contra quos igitur eam sequentibus argumentis demonstrandam suscipimus.

1. Ex natura rei: *Lex dubia non obligat.* Jam vero, ubi duae opiniones, una pro lege, altera contra legem, aequalis fere ponderis concurrunt, lex dici nequit sufficienter promulgata, quin potius promulgatum est dubium, an lex existat. Atqui hoc obtinet in casu proposito. Ergo in hoc casu lex dubia est, adeoque non obligat.[1])

2. Ex doctrina Sanctorum, tum Patrum, tum aliorum, in eo consentientium, quod in dubio sequi licet partem benigniorem. S. Gregorius Naz. scribit: „*Quod si res dubia est, vincat humanitas et facilitas.*“[2]) S. Augustinus proponens peculiares casus eodem principio nititur: „*Dixerit aliquis, non quotidie accipiendam Eucharistiam.*“ (Alius contrarium dicit.) „*Faciat autem unusquisque,*

[1]) S. Alph.: Lib. I. n. 67. 70.

[2]) Orat. 39.

quod secundum fidem (persuasionem) *suam pie credit esse faciendum.*“[1]) Rursus dicit, nonnullis „*probabili quadam ratione*“ videri, ut uno die per annum, quo nempe ipsam coenam Dominus dedit, tamquam ad insigniorem commemorationem post cibos offerri et accipi liceat corpus et sanguinem Domini; ac deinde subjungit: „*Neminem cogimus ante Dominicam illam coenam prandere, sed nulli etiam contradicere audemus.*“[2]) Quibus effatis sanctus Ecclesiae Doctor satis aperte significat, quemlibet posse in rebus dubiis sua libertate uti. S. Leo M. sic loquitur: „*In eis, quae vel dubia fuerint, aut obscura, id noverimus sequendum, quod nec praeceptis evangelicis, nec decretis ss. Patrum invenitur adversum.*“[3]) Huic egregie concinit s. Bernardus docens: „*Sane ibi unusquisque in suo sensu securus abundat, ubi aut certae rationi, aut non contemnendae auctoritati, quod sentitur, non obviat.*“[4]) Ne nimis longi simus, unum tantum adducimus adhuc s. Bernardinum Senensem, qui scribit: „*Quando diversae sunt opiniones, ceteris paribus, humanior est praeferenda.*“[5])

3. Ex Sedis Apostolicae judicio. Etenim cum Sancta Sedes declaraverit, nihil censura dignum in operibus sancti Alphonsi reperiri, et signanter edixerit, Theologiae professorem ac confessarium tuto posse omnes ejusdem Sancti opiniones sequi, et manifestius adhuc affirmaverit, sanctum hunc Doctorem inter implexas Theologorum sive laxiores sive rigidiores sententias tutam stravisse viam, per quam Christifidelium moderatores inoffenso pede incedere possent (§. 6. n. 12.): multiplicata hac approbatione ac laude absque dubio approbavit praesertim laudavitque Aequiprobabilismi systema, utpote quod ad principalia doctrinae moralis capita pertinens a sancto nostro Doctore tam firmiter, constanter et copiose propugnatum est, ut ejusdem auctor merito dicatur. Id autem potissime ad rem facit, quod Sancta Sedes cuidam Theologiae moralis professori, qui in quadam Universitate juramento se obstrinxerat, probabiliorismum pro viribus tuendi et docendi, respondit, eum non obstante juramento in omnibus posse s. Alphonsi doctrinam sequi et publice tradere, nec dispensatione a juramento indigere.[6])

[1]) Epist. 54. (al. 118.) c. 3. n. 4.

[2]) In eadem epist. cap. 7. n. 9.

[3]) Epist. 92. ad Rusticum Narbon.

[4]) Tractat. (al. epist. 77.) de baptizmo ad Hugonem de S. Victore cap. 5. n. 18.

[5]) Serm. 3. fer 2. post Quinquagesimam.

[6]) Nimirum pius hic Professor confugiens ad S. Poenitentiariam quaesivit: 1. An praefato juramento obstet, S. Alphonsi a Ligorio doctrinam in omnibus

12. — Ad omnem praecavendam ambiguitatem observamus, quod dum defendimus, licitum esse usum opinionis vere probabilis in concursu opinionis tutioris aeque vel fere aeque probabilis, sane etiam admittendum esse arbitramur usum opinionis probabilis in concursu opinionis tutioris probabilioris, dummodo excessus modicus sit, adeoque opinio tutior non notabiliter probabilior; quod idem censemus *in dubio*, an opinio tutior sit notabiliter probabilior; quia, ut ait s. Alpsonsus.[1]) „cum inter utramque opinionem modica est praeponderantia, ita, ut valde *tenuis* et *dubius* sit excessus, tunc ambae opiniones aeque probabiles existimantur, juxta commune illud axioma: *parum pro nihilo reputatur.*"

Hinc viri docti, qui tenent, licitum esse usum opinionis minus tutae, vere probabilis in concursu opinionis tutioris et *probabilioris*, dum excipiunt, si sententia tutior sit certe et notabiliter probabilior, in re ipsa s. Alpsonso consentiunt.

Exempla:

1. Qui aeque probabile opinatur, se emisisse et non emisisse votum, ad nihil tenetur. Qui probabiliter judicat, legem non comprehendere aliquem casum, secure quoad hunc potest excusari ab obligatione legis; quamvis habeat rationem probabilem de opposito.

2. Ille, cui utrimque adsint rationes probabiles, quod peccatum mortale non commiserit vel commiserit, rigorose loquendo id confiteri non tenetur, ut communissime tradunt; licet in praxi hujusmodi confessio omnino suadenda sit. Utique autem tenetur actum contritionis elicere.[2])

3. Cum utrinque aequalis adest probabilitas, quod quidam contractus sit et non sit usurarius, lex prohibens usuram quoad hujusmodi contractum dubia est, et consequenter ejusdem respectu non obligat.

4. Ubi super quaestione quapiam morali duae extant doctorum sententiae, una mitior vere probabilis, altera severior et parum probabilior, quilibet mitiorem licite sectari potest, nisi peculiaris ratio exceptionis inveniatur.

---

sequi et publice tradere? Vel 2. ut ab eodem servando juramento dispensetur. S. Poenitentiaria die 19. Decembr. 1855 respondit: *Ad primum, Negative. Ad secundum, Provisum in primo.*

[1]) Lib. I. n. 55.

[2]) Vide s. Alph.: Lib. VI. n. 473.

13. — Ob gravissima rationum momenta, quae pro Aequiprobabilismo militant, *Probabiliorismo* acquiescere non valemus. Nec persuadent rationes, quas hujus systematis propugnatores passim proferre solent. Praecipuae earum sunt sequentes:

1. Lex aeterna possessionem libertatis antecedit, cum ab aeterno habeat obligandi virtutem; ideoque in concursu duarum opinionum aeque probabilium, quae dubium creant, opinio, quae stat pro lege, praeferri debet.

Resp. Lex aeterna praecedit quidem libertatem prioritate temporis, non tamen prioritate obligationis. Quomodo enim valet ligare hominem, antequam ipse existat, vel illam cognoscat? Itaque lex aeterna quamvis *in se* vim obligandi semper habuerit et habeat, *actualiter* tamen non obligat hominem, nisi quando ipsi promulgatur.

2. Lex naturalis et positiva divina certo praecedunt libertatem nostram; secus enim homo nasceretur independens a Deo. Ergo libertas non potest esse in possessione contra leges divinas.

Resp. 1. Libertas praecedit leges divinas a) ratione naturae, quamvis enim nulla sit in Deo cognitionis et consilii successio, modo tamen cogitandi conceptus legis hominibus imponendae supponit conceptum naturae humanae libertate voluntatis donatae; et b) ratione obligationis, quia legem proxime obligantem reddit sola ipsius actualis intimatio; quare lex naturalis et positiva divina, ubi dubia et invincibiliter ignorata est, non ligat libertatem, quae cum certa sit nonnisi a praecepto certo ligatur. — 2. Homo certo potestati divinae subjectus nascitur, ideoque semper paratus esse debet ad obediendum Deo suo; actu tamen praeceptis ejus obsequi non tenetur, nisi quando ipsi sufficienter innotescunt.[1])

3. Ubi dubium vertitur, utrum ad casum particularem lex extendatur, pariter dubium extat, an sit libertas in possessione; ac proinde obtinet dubium practicum, quo stante nefas est, contra legem agere.

Resp. Quando lex dubia est quoad extensionem ad casum particularem, remanet certa et firma libertas, quae scientiam legis praecedit. Ita s. Alphonsus, cujus verba sunt: „*Nec valet dici, quod ubi lex est dubia, est etiam dubia libertas hominis; quia libertas manet semper certa, usquedum a lege pariter certa et manifesta non ligatur. Quantumvis igitur lex generalis sit certa, — donec tamen ipsa non est casui particulari applicata: libertas utpote non adhuc ligata in sua possessione remanet.*"[2]) Optime s. Thomas:[3]) „*Ita se habet imperium alicujus gubernantis ad ligandum in rebus voluntariis illo modo ligationis, qui voluntati accidere potest, sicut se habet actio corporalis ad ligandum res corporales necessitate coactionis. Actio autem corporalis agentis numquam inducit necessitatem in rem aliam nisi per contactum coactionis ipsius ad rem, in qua agit. Unde nec ex imperio alicujus domini ligatur aliquis, nisi imperium attingat ipsum, cui imperatur. Attingit autem ipsum per scientiam. Unde nullus ligatur per praeceptum aliquod, nisi mediante scientia illius praecepti.*" Unde clare constat, quod in dubio de obligatione legis remanet libertas in possessione, ideoque homini permissum est libertate uti.

4. In concursu duarum opinionum probabilium non licet pro libertate stare, quia possidet lex interdicens, aliquid fieri, quod non cognoscimus esse permissum.

Resp. Ea sunt hominis arbitrio permissa, quae ipsi non manifeste prohibita sunt: „*Deus ab initio constituit hominem, et reliquit illum in manu consilii sui.*

---

[1]) V. s. Alph.: Lib. I. n. 72. et 77.

[2]) Lib. I. n. 68.

[3]) De veritate q. 17. a. 3. c.

Adjecit mandata et praecepta sua." Eccli. 15, 14.; igitur homo, ubi ipsi non constat de praecepto, relinquitur consilio et arbitrio suo. S. Augustinus ait: „*Quod neque contra fidem, neque contra bonos mores esse convincitur, indifferenter est habendum.*" [1]) Diserte id s. Thomas enuntiat his verbis: „*Illud dicitur licitum, quod nulla lege prohibetur.*" [2]) Hinc sequitur, quod in concursu duarum opinionum aeque probabilium licitum est stare pro libertate, quia non constat actionem esse prohibitam.

5. Qui se exponit periculo peccandi, peccat; dicitur enim: Qui amat periculum, in illo peribit." Eccl. 3. Atqui sequens opinionem libertati faventem tutiori aeque probabili posthabita, tali periculo se exponit. Ergo.

Resp. 1. Si ob periculum peccandi nefas esset, sententia probabili uti: tunc nec probabiliorem, imo neque probabilissimam opinionem sectari liceret, quandoquidem et probabilissima errandi formidinem includit (§. 75. n. 3). Itaque illa Probabilioristarum argumentatio consequenter ducit ad profitendum Tutiorismum absolutum, qui vero ab Ecclesia est proscriptus (§. 81. n. 3). Porro 2. bene potest haberi formido de rei veritate et certitudo de honestate actionis; qui namque opinione aeque probabili utitur, ex principio reflexo certus redditur, actionem licite exerceri posse, ita ut transgressio legis, quae forte existat, non veniat imputanda ad peccatum formale.

6. In jure canonico haec traditur regula: In dubiis pars tutior eligenda est. Cap. Illud Dominus, de sent. excommun. Ergo nefas dicendum, opinionem probabilem minus tutam usurpare, tutiori opinione probabili neglecta.

Resp. 1. Si deductio praejacta esset legitima, tunc profecto nec Probabiliorismo locus suppeteret, et rursus amplexandus foret Tutiorismus absolutus, quem vero Ecclesiae magisterium damnavit. 2. Extant in jure aliae regulae, quae contrarium affirmant, prouti illa: *In obscuris, quod minimum est, tenendum;* rursus: *Nisi de mandato certus extiteris, exequi non cogeris, quod mandatur.* Unde merito infertur, regulam juris praelaudatam, videlicet: In dubiis pars tutior eligenda est, omnino restringendam esse. Et communissime quidem restringitur a) ad casus, in quibus est absoluta obligatio finis cujusdam obtinendi coll. §. 80. et b) ad casus, ubi dubium practicum deponi nequit coll. §. 73. n. 7. „*Quid vero,* sapienter observat s. Alphonsus, *quid vero dicta canonum regula obstat, quando homo aliquo cum principio certo reflexo dictamen practicum moraliter certum sibi efformat? Tunc foras a dubietate prodit et a terminis, de quibus loquitur textus, et amplius dici nequit, quod sit in dubiis.*" [3]) Quae cum ita sint, s. Antoninus merito dicit: „*Viam tutiorem eligere, est consilii, non praecepti.*" [4])

* S. Alphonsus: Theologia moralis Lib. I. n. 40—89. Homo Apostolicus Tract. I. n. 21—79. Vindiciae Alphonsianae seu Doctoris Ecclesiae S. Alphonsi de Ligorio doctrina moralis vindicata, cura et studio quorumdam Theologorum e Congr. SS. Redemptoris Tom. I. P. I. de morali systemate s. Alphonsi. Ed. 2. Bruxellis 1874. Christianus Lupus: Dissertatio de antiquitate, auctoritate et legitimo usu sententiae probabilis. (Op. Tom. XI. Venetiis 1729.) Christoph. Rassler, S. J.: Norma recti. Ingolst. 1713. Ant. Mayer S. J.: Theologia scholastica. Tr. de actibus humanis Disp. II., quaest. III. Ingolst. 1730. Eusebius Amort: Theologia moralis (ex fusiore opere Theologiae Ecclecticae excerpta). Tom. I. Tract. I. §§ III. et IV.

[1]) Epist. 54. (al. 118.) cap 11. n. 3.
[2]) In IV. Libr. Sent. Dist. XV. q. 2. a. 4. ad 2.
[3]) H. A. Tract. I. n. 70.
[4]) Summa P. I. Tit. III. cap. 10. §. 10.

Augustae Vindelic. 1757. Scavini: Theologia moralis universa Tom. I. Tract. I. Disp. II. n. 70. et seq. (Ed. 12.) Card. Gousset: Moraltheologie etc. I. B. n. 89—106. Aachen 1851. Friedhoff: De sententiae probabilis ad efformandam conscientiam certam vi et efficacia commentatio. Monasterii 1859. Van Endert: De opinionis probabilis usu ad efformandum conscientiae dictamen. Coloniae 1860. Simar: Lehrbuch der kathol. Moraltheologie §§. 44—52. Aufl. 2. Freiburg 1877. Konings C. S. R. Theologia moralis s. Alphonsi in Compendium redacta, Tr. de conscient. cap. 4. Ed. 2. Neo-Eboraci, Einsidlae 1876. Dumas S. J.: Compendium Theol. moral. P. Joannis P. Gury multis correctionibus auctum, Tom. I. n. 51. et seq. Ed. 2. Lugduni 1875. Clem. Marc C. S. R. Institutiones morales Alphonsianae, Tom. I. P. I. de consc. cap. 3. (n. 57—112.) Romae 1885.

non

§. 82.

Sancti Alphonsi observatio perutilis, de probabilitatis usu finalis.

„Quantum ad praxim, in dubio, utrum rigidae sententiae benignis praeferendae sint aut e contra hae illis, ita ego respondeo: Ubi agitur de removendo poenitente a periculo peccati formalis, debet confessarius, quantum prudentia christiana suggerit, benignis opinionibus uti; at ubi benignae opiniones eum periculo peccati formalis admoverent et approximarent, prout sunt nonnullae opiniones doctorum de vitandis occasionibus proximis et aliae id genus, tunc semper expedit, ut confessarius utatur, imo dico, quod ut medicus animarum tenetur uti opinionibus rigidis, quae poenitentes ad se servandos in statu gratiae melius conducunt.

Demum pro conclusione hujus materiae rursus animadvertendum, certum esse, quod in opinionibus perfectius est, tenere tutiores, et si poenitens paratum se ostendit ad sequenda tutiora, tenetur confessarius *per se loquendo* secundum illa eum dirigere, ut majori suo profectui incumbat; nam universe loquendo omnes quidem debemus usum opinionum tutiorum inculcare, sicut consiliorum; quia sine culpa non possumus ad ea, quae perfectioni repugnant, alios inducere. Dixi: *per se loquendo;* quia sicut et periculosissimum est, dirigere aliorum conscientias per opiniones non satis probabiles, sic etiam periculosum est, imponere quibusvis obligationem operandi secundum rigidiores sententias, cum inde facile in peccatum formale incidere possent. Imo juxta s. Bonaventuram damnosior est rigiditas, quam laxitas: „„*Cavenda est,* ait s. Doctor, *conscientia nimis larga et nimis stricta; nam prima generat praesumtionem, secunda desperationem; prima saepe salvat damnandum, secunda contra damnat salvandum.*"" — S. Bernardus loquens de confessariis

dicit: „„*Habeat in voluntate compati et liberare eum* (poenitentem), *et nitatur aliquid detrahere severitati, imitans dulcedinem Domini sui.*““ S. Antoninus scribit: „„*Inter duram et benignam circa praecepta sententiam benigna est potius interpretatio facienda; quia praecepta Dei et s. Ecclesiae non sunt ad tollendam omnem spiritualem dulcedinem, qualis certe tollitur, quando nimis scrupulose et timide praecepta interpretantur.*““ Teneamus illud s. Joannis Chrysostomi: „„*Etsi erremus, modicam poenitentiam imponentes, nonne melius est propter nimiam misericordiam rationem reddere, quam propter crudelitatem? Ubi enim paterfamilias largus est, dispensator non debet esse tenax; si Deus benignus est, ut quid sacerdos ejus austerus? Vis apparere sanctus? Circa vitam tuam esto austerus, circa alienam benignus.*““ His aliisque similibus argumentis s. Alphonsus ad justam benignitatem in fidelibus dirigendis sacerdotes enixe adhortatur. [1])

[1]) Apologia II. in Edit. Theologiae moralis ab Mich. Haringer procurata pag. 41. et sq.

CAPUT III.

De libero hominis arbitrio.

Transitio.

Bonitas salusque hominis principaliter quidem, sed non unice a Deo pendet; homo enim libera praeditus voluntate Deo suo fideliter cooperari et obsequi debet, ut bonus adeoque et beatus evadat. Hinc liberum hominis arbitrium, quod praeter legem et conscientiam causa bonitatis moralis existit, modo considerabimus; et 1. quidem de multiplici libertatis acceptione, 2. de libero arbitrio in genere, et 3. de libero hominis arbitrio tractabimus.

§. 83.

De multiplici libertatis acceptione.

1. — Generatim libertas est immunitas a servitute ac subjectione; quare tot modis dicitur libertas, quot modis servitus ac subjectio.

Porro servitus seu subjectio voluntatis ex tribus praecipue causis enasci potest; *primo* a violentia externa et interna voluntatem ad unum determinante; *secundo* a perverso habitu aut passione voluntatem ad malum impellente; et *tertio* a miseria et poena invitum opprimente. Hinc triplex libertas oritur. Prima constat in exemptione ab omni coactione et necessitate et dicitur *libertas naturae* seu *arbitrii;* et de hac Apostolus scribit: „*Non habens necessitatem, sed potestatem habens suae voluntatis.*“ (1. Cor. 7, 37.) Secunda consistit in exemptione a peccati jugo insanisque passionum motibus et dicitur *libertas moralis* seu *virtutis,* de qua Apostolus: „*Ubi Spiritus Domini, ibi libertas*“ (2. Cor. 3, 17). Tertia demum consistit in immunitate ab omni miseria et dicitur *libertas felicitatis* seu *gloriae,* quae ab ipso Apostolo „*libertas gloriae filiorum Dei*“

appellatur (Rom. 8, 21). Prima libertas soli naturae intellectuali, secunda solis bonis, tertia demum plene perfecteque solis beatis in coelis competit. [1])

2. — Egregie de triplici praelaudata libertate Doctor melifluus, s. Bernardus, sic loquitur: „Triplex est nobis proposita libertas, a peccato, a miseria, a necessitate; hanc ultimo loco positam contulit Deus nobis in conditione naturae, in primam restauramur a gratia, media nobis reservatur in patria. Dicatur igitur prima libertas Naturae, secunda Gratiae, tertia Vitae vel Gloriae. Primo nempe in liberam voluntatem ac voluntariam libertatem conditi sumus, nobilis Dei creatura: secundo reformamur in innocentiam, nova in Christo creatura: tertio sublimamur in gloriam, perfecta in spiritu creatura. Prima ergo libertas habet multum honoris, secunda plurimum etiam virtutis, novissima cumulum jucunditatis. Ex prima quippe praestamus ceteris animantibus, in secunda carnem, per tertiam mortem subjicimus; vel certe sicut in prima subjecit Deus sub pedibus nostris oves et boves et pecora campi, ita quoque per secundam spirituales bestias hujus aëris, de quibus dicitur, *Ne tradas bestiis animas confitentes tibi,* prosternit aeque et conterit sub pedibus nostris: in ultima tandem nos ipsos nobis plenius submissurus per victoriam corruptionis et mortis, quando scilicet novissima destruetur mors, et nos transibimus in libertatem gloriae filiorum Dei, qua libertate Christus nos liberabit, cum nos utique tradet regnum Deo et Patri.“ [2])

3. — Hic tantum libertatem naturae seu liberum arbitrium discutere intendimus. Scilicet primo de libertate arbitrii in genere, et deinceps specialiter de libero arbitrio hominis sermonem instituemus.

§. 84.

De libero arbitrio in genere.

1. — Libertas arbitrii a d. Thoma ut brevissime ita rectissime definitur *vis electiva* seu *facultas eligendi.* [3]) Eligere autem nihil aliud est, quam velle inter duas aut plures res unam, quam quis etiam

[1]) Petrus Lombardus: Lib. II. Sent. Dist. 25. Bellarminus: De gratia et libero arbitrio. Lib. III. cap. 4.

[2]) De Gratia et Libero Arbitrio cap. III. n. 7. Videas etiam s. Ambrosium: Lib. I. de Jacob et vita beata cap. 3. n. 11. et 12., ubi „de pretiosa servitute et gloriosa libertate sub Christo“ elegantissime disserit.

[3]) „*Liberum arbitrium nihil aliud est, quam vis electiva.*“ 1. q. 83. a. 4. „Proprium liberi arbitrii est *electio;* ex hoc enim liberi arbitrii esse dicimur, quod possimus unum recipere, alio recusato; quod est *eligere:* et ideo naturam liberi arbitrii ex electione considerare oportet.“ 1. q. 83. a. 3.

possit nolle; vel nolle unam aut plures res, quas possit etiam velle. Inde libertas duas saltem res ut objectum requirit, alioquin nequiret electio fieri, in qua tamen libertas proprie consistit.

2. — Libertas sic definita *coactionem* et *necessitatem* excludit. Prima est inevitabilis determinatio ad unum orta ex causa extrinseca. Secunda est ineluctabilis determinatio ad unum orta ex causa intrinseca. Enimvero cum libertas sit facultas eligendi, cum indeclinabili quadam determinatione ad unum, sive haec ab extrinseca, sive ab intrinseca causa proveniat, consistere nequit. Libertas voluntatis, quatenus excludit necessitatem naturalem, etiam *libertas indifferentiae* appellari solet.

3. — Libertas arbitrii pro triplici modo, quo exerceri potest, triplex distinguitur, videlicet contradictionis, contrarietatis et specificationis. Vel enim eligitur unum ex duobus contradictoriis, quae sunt agere et non agere: et tunc dicitur *libertas contradictionis,* et etiam *exercitii,* quia per eam homo potest actum exercere, aut omittere. Vel eligitur unum ex duobus sibi contrariis, quae sunt agere bonum aut malum: et tunc dicitur *libertas contrarietatis.* Vel denique eligitur unum ex pluribus diversis quidem, sed non oppositis et contrariis sibi, qualia sunt orare, studere, ambulare: et tunc dicitur *libertas specificationis.*

4. — His necessario praemissis, modo quaeritur, utrum ad libertatis essentiam sufficiat immunitas a coactione, et ulterius, an omnes expositae libertatis species ad ejusdem essentiam pertineant? Respondemus duabus propositionibus sequentibus:

PROPOSITIO I.

Libertas arbitrii in genere non tantum in immunitate a coactione, sed etiam in immunitate a necessitate consistit.

5. — Opponitur haec propositio commento, quod asseruit *Martinus Bucerus,* [1]) et post eum repetierunt *Bajus, Jansenius* eorumque sectatores, qui docuerunt, ad liberi arbitrii essentiam sufficere immunitatem a coactione (nempe a vi externa determinante ad unum), quam Jansenistae etiam libertatem spontaneitatis seu voluntarietatis appellarunt.

6. — Verum enunciata propositio continet veritatem fidei, ut ex s. scripturae testimoniis, ex ss. Patrum doctrina, ex Theologorum sententia, nec non ex SS. Pontificum definitionibus liquet.

[1]) In Libro de concordia doctrinae.

1) Ex s. scripturae testimoniis. Huc spectant illa loca, in quibus optio seu electio homini tribuitur, ut Jos. 24, 15. „*Optio vobis datur, eligite, quod placet*“; qualia etiam 5. Mos. 30, 19., Prov. 8, 10. habentur. His enim verbis asseritur liberum arbitrium tamquam facultas eligendi. Atqui optio seu electio tum necessitatem quam coactionem excludit. Ergo libertas in immunitate a coactione non solum, verum etiam a necessitate consistit.

2) Ex ss. Patrum doctrina. Sic e. g. s. Augustinus dicit: „*Hoc quisque in potestate habere dicitur, quod si vult, facit; si non vult, non facit. — Sed cum potestas datur, non necessitas utique imponitur.*“ [1]) S. Gregorius Naz. haec habet: „*Arbitrii libertas parem in utramque partem motum habet.*“ [2]) S. Bernardus scribit: „*Ubi necessitas est, libertas non est.*“ [3])

3) Ex Theologorum sententia. Unum pro ceteris adducimus Angelicum Doctorem sic loquentem: „*Dominium autem, quod habet voluntas supra suos actus, per quod in ejus est potestate velle vel non velle, excludit determinationem virtutis ad unum, et violentiam causae exterius agentis.*“ [4]) Porro sententiam, quae adstruit, liberam esse voluntatem, quae ex necessitate movetur, etsi nulla obtineat coactio, *haereticam* vocat.[5])

4) Ex apertis SS. Pontificum definitionibus. Etenim S. Pius V. et Gregorius XIII. has Baji propositiones condemnarunt: *Quod voluntarie fit, etiamsi necessario fiat, libere tamen fit.* Et: *Sola violentia repugnat libertati hominis naturali.*

Addi potest cum Bellarmino: Si ad liberum arbitrium constituendum sufficeret libertas a coactione, sequeretur etiam in pecoribus esse liberum arbitrium. Nam et illa sine coactione ulla sponte sua feruntur ad pabulum.

---

[1]) Lib. de spiritu et litera cap. 31. n. 53. et 54.

[2]) In Apolog.

[3]) De Gratia et libero arbitrio cap. II. n. 5.

[4]) Contra Gentiles Lib. I. cap. 68.

[5]) Quaest. VI. De malo: „Dicendum, quod quidam posuerunt, quod voluntas hominis *ex necessitate* movetur ad aliquid eligendum; nec tamen ponebant, quod voluntas cogeretur... Haec autem opinio *est haeretica.*“ Petrus Lombardus scribit: „— *liberum videtur dici arbitrium, quia sine coactione et necessitate valeat appetere, vel eligere, quod ex ratione decreverit.*“ In lib. 2. Sent. Dist. 25. Item Albertus M. in 2. Sent. Dist. 25. S. Bonaventura in Lib. 2. Sent. Dist. 25. p. 2. dub. 2.

PROPOSITIO II.

Libertas contradictionis et specificationis sunt de essentia libertatis, non item libertas contrarietatis.

7. — Dico 1. *Libertas contradictionis est de essentia libertatis.* Probatur a) ex unanimi Doctorum sententia. Instar omnium sit d. Thomas, qui dicit: „*Hoc ad libertatem arbitrii pertinet, ut actionem aliquam facere vel non facere possit.*“ Probatur b) ex ratione. Est enim prima efficacia liberi arbitrii, eligere unum ex duobus contradictoriis, nempe velle aut non velle, agere aut non agere. Hinc si quaedam datur vera voluntatis libertas, haec certissime in libertate contradictionis consistit.

Dico 2. *Libertas contrarietatis non est de essentia libertatis.* Hoc negarunt Pelagiani, docentes, liberum arbitrium non esse aliud, quam possibilitatem peccandi et non peccandi; [1]) idemque recentissime negant quidam scriptores, qui ad voluntatis libertatem peccandi potentiam requiri arbitrantur.[2])

Verum assertio nostra evincitur a) ex Traditionali Ecclesiae sensu; si quidem tum ss. Patrum tum Theologorum vox atque sententia est, possibilitatem peccandi ad rationem liberi arbitrii nequaquam pertinere. Audiamus iterum Doctorem Angelicum, qui dicit: „*Ad rationem liberi arbitrii non pertinet, ut indeterminate se habeat ad bonum vel malum, et ideo ubi perfectissimum est liberum arbitrium, ibi in malum tendere non potest.*“ [3]) Evincitur b) ex absurdis, in quae sententia opposita deducit. Si enim, inquit s. Anselmus, posse peccare esset pars liberi arbitrii, Deus et Angeli liberum arbitrium non haberent, quod est absurdum.[4])

Nec obstat, quod libertas est vis eligendi, electio autem duo saltem supponit, ex quibus unum eligatur. Non enim sequitur exinde,

---

[1]) Teste s. Augustino: Opus imperfect. contra Julianum Lib. V. cap. 47. et Lib. VI. cap. 10.

[2]) Vid. Kleutgen: Die Theologie der Vorzeit, I. B. n. 315. etc. 2. Aufl. 1867.

[3]) Summa Theol. 1. q. 62. a. 8. ad 3.

[4]) De libero arbitrio cap. 1. Idem s. Augustinus reposuit Juliano, itaquidem scribens: „Fallit te definitio tua, — qua liberum arbitrium definisti. Dixisti enim, *Liberum arbitrium non est aliud, quam possibilitas peccandi et non peccandi.* Qua definitione primum ipsi Deo liberum arbitrium abstulisti, quem non negas, quia et hoc saepe dicis, et verum dicis, non posse peccare. Deinde ipsi sancti in regno ejus liberum arbitrium perdituri sunt, ubi peccare non poterunt.“ Opus imperf. contra Jul. Lib. VI. c. 10. Idem habet s. Bernard. de gratia et libero arbitrio. cap. 10. n. 35.

quod haec duo debent sibi esse contraria, unum bonum, et alterum malum. Ergo potentia peccandi non est de essentia liberi arbitrii, imo liberi arbitrii imperfectionem constituit. Unde s. Bernardus: „*Velle bonum, profectus est, velle malum defectus. Velle vero simpliciter, ipsum est, quod vel proficit, vel deficit.*“ [1])

Dico 3. *Libertas specificationis ad essentiam libertatis pertinet.* Id Theologi communiter docent et ipsa ratio suadet. Haec enim libertas est veluti continuatum exercitium libertatis contradictionis.

§. 85.

De libero hominis arbitrio.

1. — Multi omni fere aevo exstiterunt libertatis humanae osores, qui tamen commode in duas classes discerni possunt.

Nam 1. alii dixerunt, hominem *a causa extrinseca* ad agendum ineluctabiliter determinari. Suntque isti haeretici a) *Manichaei,* qui homines ad bonum a principio summe bono, ad malum a principio summe malo impelli docuerunt; [2]) — porro b) *Priscillianistae,* qui per siderum influxus immutari intellectum pariterque voluntatem hominis fabulati sunt; [3]) — c) demum *Reformatores,* qui asseruerunt, „a Deo fieri omnia, tam bona, quam mala — et non solum permittere Deum creaturis, ut operentur, sed ipsum omnia *proprie* agere.“ [4])

2. Alii *a causa intrinseca* hominem ad agendum necessario determinari voluerunt. Scilicet inter Theologos *Jansenistae* contendebant, nomine liberi arbitrii indicari solam libertatem a coactione extrinseca (seu ut loquebantur, a necessitate invariabili), nequaquam autem libertatem a necessitate intrinseca. Dicebant nimirum, libertatem variare quidem, quatenus modo ad bonum, modo ad malum inclinat; hoc tamen fieri ex necessitate intrinseca, ita videlicet, ut major delectatio gratiae divinae insuperabiliter moveat voluntatem ad bonum, delectatio autem major concupiscentiae insuperabiliter voluntatem moveat ad malum.

Deinde inter philosophos permulti commentiuntur, actus nostros ex causis subjectivis praevalentibus necessario sequi; quas quidem causas vel conceptus rationis vel repraesentationes phantasiae, vel motiva fortiora, vel characterem immutabilem, vel corpus materiale appellant. Hujusque modi philosophi sunt *Leibnitiani,* [5])

---

[1]) De Gratia et Libero arbitrio. cap. 6. n. 16.

[2]) Vid. s. August. in operibus contra Manichaeos.

[3]) Vide s. Hieronym.: Epist. 66. s. August.: Haeres. 70. s. Leo: Epist. 15. cap. 11.

[4]) Sunt verba Melanchthonis. Vide Möhler: Symbolik S. 44. 6. Aufl. 1843.

[5]) „Nunquam voluntas ad agendum perducitur nisi repraesentatione boni repraesentationibus contrariis praevalente etc.“ Theodicea n. 45. Vide etiam n. 280—283. n. 302—320. Erudite desuper agit Kleutgen: Die Theologie der Vorzeit 1. B. S. 257—271.

Kantiani, [1]) *Pantheistae* [2]) et *Materialistae.* [3]) Per se ceteroquin patet, in systematibus Pantheismi et Materialismi nullum plane libertati arbitrii locum relinqui. (Vid. §. 8. n. 5. et 6.)

Contra quos omnes libertatis humanae adversarios veritatem breviter evicturi has adstruimus propositiones.

PROPOSITIO I.

Homo in statu naturae lapsae vera gaudet libertate.

Veram si dicimus libertatem, sub ea juxta hactenus dicta immunitatem tum a coactione tum a necessitate comprehendimus.

2. — Propositio praenotata est de fide, ex definitione a Concilio Tridentino data: „*Si quis liberum hominis arbitrium post Adae peccatum amissum et extinctum esse dixerit, aut rem esse de solo titulo, imo titulum sine re, figmentum denique a Satana invectum in Ecclesiam, anathema sit.*“ Sess. 6. can. 5.

---

[1]) Kant scribit: „*Alle Handlungen des Menschen sind in der Erscheinung aus seinem empirischen Charakter und den mitwirkenden anderen Ursachen nach der Ordnung der Natur bestimmt,* und wenn wir alle Erscheinungen seiner Willkür bis auf den Grund erforschen könnten (alio loco: „wenn es uns möglich wäre, in eines Menschen Denkungsart so tiefe Einsicht zu haben, dass jede, auch die mindeste Triebfeder dazu uns bekannt würde“), so würde es keine einzige menschliche Handlung geben, die wir nicht mit Gewissheit *vorhersagen* und aus ihren vorhergehenden Bedingungen als *nothwendig* erkennen könnten.“ Kritik der reinen Vernunft 5. Aufl. S. 577.

[2]) Hegel satis copiose loquitur de libertate arbitrii, sed maxime fraudulenter; ipsi enim libertas non est nisi independentia ab aliis. Juxta istius mentem scripsit Mathias: Die Idee der Freiheit 1834. Schelling pariter liberum hominis arbitrium negavit expressis verbis in opere: Vorlesungen über das akademische Studium, 1803. 8. Vorlesung. Serius voluntatis libertatem nomine quidem admisit, re autem sustulit: Philosophische Schriften 1809. I. S. 438. u. f. S. 463 u. f. Istis concinit Schleiermacher: Reden über die Religion 2. Aufl. S. 129—134. Praelusit omnibus Spinoza in sua Ethica in epist. 62. En ipsius principia improba: „omnia sunt ex necessitate naturae divinae determinata“ — „voluntas est causa non libera, sed coacta.“

[3]) Hujus furfuris sunt Hobbes, Hume, Locke in Anglia, Helvetius, Voltaire, Bayle etc. in Gallia, Schopenhauer et multi naturae scrutatores in Germania. Schopenhauer sic scribit: „Der Mensch hat seinen unveränderlichen Charakter, der jedoch ganz individuell und bei Jedem ein anderer ist. — Seine sämmtlichen Handlungen, ihrer äusseren Beschaffenheit nach durch die Motive bestimmt, können nie anders, als diesem unveränderlichen Charakter gemäss ausfallen: wie Einer ist, so muss er handeln. Daher ist dem gegebenen Individuo in jedem gegebenen einzelnen Falle schlechterdings nur eine Handlung möglich.“ Grundprobleme der Ethik II. Ueber das Fundament der Ethik. S. 177. Copiose o. c. I. Ueber die Freiheit des menschlichen Willens. S. 1—102. 2. Aufl. Leipzig 1860. Moleschott dicit: „Der Mensch ist ein Naturproduct. — Daher beruht nicht blos das, was er ist, son-

Probatur 1) ex s. scriptura: *„Deus ab initio constituit hominem et reliquit in manu consilii sui; adjecit mandata et praecepta sua: si volueris mandata servare, conservabunt te.“* Eccli. 15, 14. *„Erit illi gloria aeterna, qui potuit transgredi, et non transgressus est, facere mala et non fecit.“* Eccli. 31, 10. Quibus testimoniis sexcenta alia facile addi possent.

2) Ex ss. Patribus, qui copiosissime libertatem hominis a quavis necessitate immunem adstruunt et etiam contra adversarios propugnant. Plurima eorum effata collegit Petavius.[1]) Modum dumtaxat, quo ss. Patres liberum hominis arbitrium potissime probare consueverunt, hic indicare volumus. Equidem a) provocant ad sensum intimum,[2]) b) respiciunt apertissima s. scripturae testimonia, c) docent, hominem esse ad imaginem Dei creatum, ratione liberi arbitrii,[3]) d) observant, omnia praecepta, sive sint divina, sive humana, exhortationes et objurgationes, itemque merita et demerita, praemia pariter atque poenas in suppositione libertatis humanae fundari.[4])

3) Ex sensu intimo, quo plane cognoscimus, nos propria delectu agere, seu aliquid velle, quod etiam possimus non velle.

4) Ex universali hominum consensione, quam pulchre exposuit s. Augustinus his verbis: Libertatem hominis *„cantant et in montibus*

dern auch das, was er thut, will, empfindet und denkt, auf eben solchen Naturnothwendigkeiten, wie der ganze Bau der Welt. — *Der Stoff regiert den Menschen.“* Büchner: „Das, was wir freien Willen nennen, ist nichts anderes als das Resultat der stärksten Motive.“ Kraft und Stoff. S. 243. 5. Aufl. Frankfurt 1858. Vogt: Der freie Wille existirt nicht, und mit ihm nicht eine Verantwortlichkeit oder Zurechnungsfähigkeit... Der Organismus kann sich nicht selbst beherrschen, ihn beherrscht das Gesetz seiner materiellen Zusammensetzung.“ Bilder aus dem Thierleben S. 419.

[1]) Lib. III. de opifi. sex dierum.

[2]) S. Ambros.: Lib. I. de Jacob et vita beata cap. 3. n. 10.

[3]) *Imaginem* ad intellectum et liberam voluntatem naturae, *similitudinem* ad sapientiam et justitiam supperadditam referre solent. Vid. Bellarmin.: Lib. de gratia primi hom. cap. 2. Petavius: De opif. sex dier. lib. II. c. 2. n. 12—13.

[4]) S. Augustinus: *„Quando jubet Deus, si non est liberum arbitrium?“* De gratia et libero arbitrio c. 2. n. 4. S. Hieronymus: *„Liberi arbitrii nos condidit Deus, nec ad virtutes nec ad vitia necessitate trahimur. Alioquin ubi necessitas, nec corona est.“* Contra Jovin. Lib. III. n. 3. Adhuc s. Augustinus: *„Sublata libertate omnis humana vita subvertitur; frustra leges dantur, frustra objurgationes, laudes, vituperationes, exhortationes adhibentur; neque ulla justitia bonis praemia et malis supplicia constituta sunt.“* Vid. etiam s. Irenaeus: Contra haeres. Lib. 4. c. 9. et 29. S. Cyrill. Hieros.: Catech. 4. S. Bernardus ait *„Ubi libertas non est, nec meritum, ac per hoc nec judicium.“* De Gratia et de Libero Arbitrio cap. II. n. 5.

pastores, et in theatris poëtae, et indocti in circulis, et docti in bibliothecis, et magistri in scholis, et antistites in sacratis locis, et in orbe terrarum genus humanum.“ [1]) Imo ipsi libertatis adversarii, etsi verbis eam impugnent, agendi tamen ratione eandem attestantur, ut cum sint in dubiis cauti, in periculis solliciti, aliis imperent, et si quid deliquerint, eos increpent atque puniant.

PROPOSITIO II.

Homo in statu viae liber est libertate contradictionis, libertate contrarietatis et libertate specificationis.

3. — Loquimur de homine *in statu viae*, etenim beati in coelo, sicut Deus ipse, libertatem contrarietatis non habent, sed tantum libertatem contradictionis et specificationis.[2])

1) *Homo in statu viae liber est libertate contradictionis*, potest enim aliquid velle aut non velle propria electione, ut ex intimo sensu et ex omnium Catholicorum doctrina [3]) evidenter constat.

2) *Homo liber est libertate contrarietatis*, qua aut bonum, aut malum eligere valet, ut definivit Concilium Tridentinum his verbis: *„Si quis dixerit, non esse in potestate hominis, vias suas malas facere, — — anathema sit.“* Sess. 6. can. 6.

3) *Homo viator liber denique est libertate specificationis;* nimirum vel ex pluribus bonis, vel ex pluribus malis, vel ex pluribus per se indifferentibus unum eligere potest; quod ex sensu intimo abunde patet.

4. — *An vero res omnes, qualescunque sint, objectum libertatis humanae constituunt?*

Sola *felicitas in genere spectata* non cadit sub libero arbitrio, siquidem omnes felices esse volunt, non ex electione, sed ex naturae impulsu; [4]) objectum vero, in quo felicitas quaeratur, et

[1]) Lib. de duab. anim. c. 11. n. 15.

[2]) Haec in Theologia Dogmatica ostenduntur. Scite contra quosdam Germaniae scriptores desuper agit clariss. Kleutgen: Die Theologie der Vorzeit. I. B. 4. Abh. Münster 1867.

[3]) E. g. s. Augustinus ait: „Liberum arbitrium habemus faciendi aliquid vel non faciendi.“ Contra Faustum Manich. Disp. II. n. 22.

[4]) S. Augustinus dicit: *„Omnes homines beati esse volunt; idque unum ardentissimo amore appetunt, et propter hoc cetera quaecunque appetunt. Hoc veritas clamat, hoc natura compellit, creator indidit.“* De Trinitate Lib. XIII. c. 4. n. 8. S. Thomas ait: *„Ex necessitate beatitudinem homo vult, nec potest velle non esse beatus, aut esse miser.“* 1. 2. q. 13. a. 6.

media, per quae felicitas appetatur, sub electione cadunt, quia in voluntatis nostrae potestate situm est, aut in Deo aut in creaturis felicitatem quaerere, et consequenter media diversa eum in finem adhibere.

* S. Gregorius Nyssenus: Epistola seu liber contra fatum. (Tom. II. op.) S. Augustinus: Libri III de Libero arbitrio (Tom. I.) Lib. de gratia et libero arbitrio. (Op. Tom. X.) S. Prosper Aquitanus: Epist. ad Rufinum. S. Joannes Damascenus: Lib. II. de Fide orthodoxa cap. 25. et seq. S. Anselmus: Dialogus de libero arbitrio. (Tom. II.) S Bernardus: De gratia et libero arbitrio. (Tom. II.) S. Thomas: Summa Theolog. 1. q. 83. tota; 1. 2. q. 13. a. 6. De veritate q. 24. a. 1. et 2. De malo q. 6. art. unico. Bellarminus: Controversiae etc. De gratia et libero arbitrio Lib. III. tot. per 16 capita. Petavius: De sex mundi dierum opificio, Lib. 3—5.

§. 86.

Continuatio.

Difficultates.

1. — Obj. 1. SS. Scripturae hominem libero arbitrio praeditum esse negant. Dicitur enim Rom. 7, 19. *„Non enim, quod volo bonum, hoc facio; sed quod nolo malum, hoc ago.“* Et Philipp. 2, 13. *„Deus est, qui operatur in nobis velle et perficere.“*

Resp. ad 1. Loquitur Apostolus de pugna appetitus sensitivi adversus voluntatis (seu appetitus intellectivi) imperium; ita, ut sensus sit: Volo non concupiscere, nequidem carne; sed id non praesto, non assequor; siquidem, quin velim, concupiscentiae motus exsurgunt, imo et perseverant. Cum autem voluntas contra concupiscentiae motus se determinare, seu nolle potest id, ad quod concupiscentia inclinat: exinde libertas humana certe non subvertitur, sed egregie confirmatur.

Ad 2. Haec aliaque similia divinae scripturae effata necessitatem gratiae, nequaquam autem libertatis absentiam probant.

2. — Obj. 2. S. Augustinus expressis verbis tradit, per Adae peccatum periisse liberum hominis arbitrium. *„Libero arbitrio*, inquit, *male utens homo et se perdidit, et ipsum.“* [1]) Porro adstruit, peccandi necessitatem adesse in natura lapsa, nam dicit: *„Postquam ipse* (Adam) *libera voluntate peccavit, nos in necessitatem praecipitati sumus, qui ab ejus stirpe descendimus.“* [2])

R. ad 1. S. Augustinus illud liberum arbitrium per Adae peccatum perditum esse dicit, quod fuit in paradiso, [3]) nempe sanum (i. e. „habituali caritate instructum, et immune ab omni prava concupiscentia“), nequaquam autem liberum arbitrium simpliciter tale, ut ex s. Doctoris operibus luculenter ostendit Faure S. J.: Augustini Enchiridion notis et assertionibus theologicis illustratum, denuo editum Neapoli 1847. p. 65—69.

[1]) Enchiridion cap. 30.

[2]) Contra Fortunatum n. 22. Idem alias frequenter dicit, praesertim in op. imperf. contra Julianum Lib. I. cap. 105.

[3]) „Adhuc curatur, — sanatur languor: libertas periit per peccatum, sed illa *quae in paradiso fuit.“* Lib. I. ad Bonif. contra duas epist. Pelag. cap. 2.

Ad 2. Per hanc necessitatem s. Doctor intelligit necessitatem *moralem* et *vincibilem* seu proclivitatem ad malum, quae ex concupiscentia oritur, non vero necessitatem physicam et ineluctabiliter determinantem ad peccatum.

3. — Obj. 3. Tale unusquisque operatur, qualis ipse est. At vero 1) non est in potestate nostra aliquales esse, sed hoc est a natura, nempe a corporis dispositione seu qualitate, vel ab animae dispositione seu charactere innato. Ergo ex necessitate naturae, non ex libero arbitrio agimus. Vel 2) si aliquales simus ex qualitate superveniente, ut ex habitu acquisito, tunc secundum illam non possumus non agere; ergo non sumus liberi.

Resp. Istis objectionibus, quae fere cunctis recentioribus libertatis humanae adversariis communes evaserunt, jam s. Thomas sapienter occurrit. Equidem sic ferme loquitur: Ex naturali dispositione seu qualitate homo inclinatur quidem ad eligendum aliquid vel repudiandum, ast inclinationes istae subjacent judicio rationis, unde per hoc libertati arbitrii non praejudicatur. Pariterque qualitates supervenientes, sicut habitus et passiones, inclinant quidem hominem magis ad unum, quam ad alterum, attamen etiam subjacent judicio rationis, quandoquidem in nobis est, sicut eas acquirere, ita quoque a nobis excludere, atque non tantum secundum eas, verum etiam contra easdem agere. [1]) Utrumque sensus intimus atque experientia attestantur.

4. — Obj. 4. Voluntas libera non est, quia non potest agere sine praevia cognitione seu repraesentatione objecti, si enimvero absque hac agere nequit, certe ab hac agitur. Porro voluntas necessario id eligit, quod intellectus melius esse judicat; ergo voluntas necessario vult id omne, quod vult.

Resp. ad 1. Verum est, quod non potest voluntas agere sine praevia cognitione, quatenus cognitio est conditio queadam agendi, nam ignoti nulla cupido; non autem, quasi cognitio seu repraesentatio objecti esset principium necessitans ad agendum, potest enim voluntas non obstante cognitione ab actu abstinere.

Ad 2. *Neg.*, teste enim sensu intimo atque experientia potest homo contra cognitionem intellectus adere. Hinc illud poëtae: *Video meliora proboque, deteriora sequor.*

Obj. 5. Voluntas non agit sine motivo, ergo ab hoc ad agendum determinatur. Si non ita esset, tunc voluntas sine ratione sufficienti ageret; quod quidem dicere, absurdum est.

[1]) Vide 1. q. 83. a. 1. ad 5.

Egregie idem s. Doctor libertatem humanam, respectu habito ad entia irrationalia sic ostendit: „— quaedam agunt absque judicio; sicut lapis movetur deorsum; et similiter omnia cognitione carentia; quaedam autem agunt judicio, sed non libero, sicut animalia bruta: judicat enim ovis videns lupum, eum esse fugiendum, naturali judicio, non libero; quia non ex collatione, sed ex naturali instinctu hoc judicat; et simile est de quolibet judicio brutorum animalium; sed homo agit judicio: quia per vim cognoscitivam judicat aliquid esse fugiendum, vel prosequendum. Sed quia judicium istud non est ex naturali instinctu in particulari operabili, sed ex collatione quadam rationis: ideo agit libero judicio, potens in diversa ferri. — Et ideo necesse est, quod homo sit liberi arbitrii ex hoc ipso, quod rationabilis est.“ 1. q. 83. a. 1. c.

Resp. Non agit voluntas sine motivo, ut causa *allicienti, conc.*, ut causa necessario determinante, *neg.* Non sequitur exinde, voluntatem sine ratione sufficiente agere; etenim ratio agendi in ipsa voluntate libera habetur; volumus, *quia* volumus.

§. 87.

Epilogus.

Ex Libro Meditationum sancti Anselmi.[1])

„Fecit Deus creator hominem ad imaginem et similitudinem suam, quia fecit eum rationalem. Et sicut Deus voluntate bonus est: sic homo ad ejus similitudinem factus, voluntate bonus est: in hoc similis creatori, quia creator voluntate bonus, homo voluntate bonus: sed in hoc differens, quia creator aeternaliter a se ipso est bonus, et essentialiter; homo vero ideo bonus, quia imitatur eum, qui aeternaliter et essentialiter a se ipso est bonus. Est autem, sicut dixi, creator voluntate bonus, homo ad similitudinem creatoris factus voluntate bonus; sed in hoc differens, quod creator non vult nec potest esse, vel velle aliud, quam esse bonus; voluntas enim, et potentia est illi essentia. Homini vero est aliud voluntas et potentia, quam essentia. Si tamen concordat cum voluntate Dei, et idem vult, quod Deus; exprimit in se imaginem Dei. Et si in hoc usque in finem perseverat, meretur operante miseratione divina, ut postea in aeternum voluntati creatoris sui adhaereat, nec jam amplius ab ea divelli queat. Et sicut postea semper erit, quod erit; sic semper quodcunque voluerit, erit. Et sicut creatori non est aliud essentia quam voluntas, nec aliud voluntas quam essentia; sic homini in ipsa felicitate jam existenti, secundum suum modum tam immutabilis erit, dono creatoris sui, voluntas quam essentia; quae tam sine dubio poterit quicquid voluerit, quam sine dubio feliciter existens felix essentia erit. Et tunc homo habebit liberum arbitrium vere ab omni malo ex toto liberatum, secundum quod hic interim dum vivit, operante Dei gratia, vult, quae Deus praecipit facere, quae vero prohibet, dimittere.“ —

„O dulcissime Domine, o piissime Deus meus, creator meus, salus mea, vita mea, spes et consolatio mea, refugium meum, per gratiam tuam et per piissimam misericordiam tuam guberna et sustine liberum arbitrium meum, ne illo male utendo possim offendere te dulcissimum Creatorem meum: et quotiescunque malum mihi placet, antequam illud opere perficiam, destrue et confunde omne malum desiderium meum. Malo a te, dulcissime Pater, vel invitus trahi, vel etiam catenis ligatus in aliquo angulo domus tuae projici, quam a te separari. — Fateor, fateor, peccator sum, indignus sum, immundus sum; et tamen non recedo a te, dulcissime Jesu Christe, velis nolis, non dimitto te, etsi infirma manu tenebo te, nec recedes a me, donec ab omni cogitatione peccati absolvas me. Verbera me, emenda me, et corripe me, et tamdiu castiga servum tuum, donec per ineffabilem bonitatem tuam perducas me ad gloriam tuae contemplationis.“

[1]) Medit. XIX. n. 5. et 7. Edit. Maur. pag. 238. et 239.

TRACTATUS IV.

De modis generalibus, quibus bonum malumque morale in homine subsistit.

Transitio.

Consideravimus hactenus fundamentum boni moralis, atque inde ejusdem naturam nec non conditionem mali moralis ipsi oppositi determinavimus; postea de causis, ex quibus bonitas moralis procedit, sermonem habuimus; in praesentiarum modos generales, quibus bonum malumque morale in homine subsistit, accurate inspiciamus oportet, ad doctrinam generalem de bono morali complendam.

Porro bonum et malum morale in homine tum per modum actus tum per modum habitus subsistit, seu dantur actus et habitus moraliter boni seu virtutes, nec non actus et habitus moraliter mali seu peccata et vitia. Priusquam vero de his omnibus sermonem instituamus, necesse est actus humanos quoad eorum naturam et distinctionem, imputationem et moralitatem considerare.

Hinc totus tractatus dispescitur in tria capita, quorum 1. de actibus humanis, 2. de actibus moraliter bonis et virtutibus, et 3. de peccatis et vitiis in genere.

CAPUT I.

De actibus humanis.

Disseremus 1. de actibus humanis in communi, 2. de eorum imputatione, 3. de eorum moralitate.

A. De actibus humanis in communi.

In considerationem veniunt 1. conditio et distinctio actuum humanorum, et 2. voluntarium, per quod actus humanus principaliter constituitur, ejusque defectus, involuntarium.

§. 88.

De conditione et distinctione actuum humanorum.

1. — Actus, qui ab homine procedunt, duplicis generis sunt: alii dicuntur actus humani, alii actus hominis. Illi porro appellantur *actus humani*, qui procedunt ab homine, in quantum homo est i. e. in quantum differt ab irrationalibus creaturis. In eo autem homo ab illis differt, quod est actuum suorum dominus; unde illi actus dicuntur humani, quorum homo est dominus. Porro homo actuum suorum dominus est per rationem et voluntatem. Ergo actus humani dicuntur ii, qui ex ratione et voluntate seu ex deliberata voluntate procedunt. — Actus vero, qui ab homine quidem proveniunt, sed non ex deliberata ipsius voluntate procedunt, vocantur *actus hominis*, quales sunt actus aut motus prorsus indeliberati (motus primo-primi) concupiscentiae, actus hominis penitus distracti, somniantis, delirantis, amentis, ebrii, aut quocunque modo rationis usu destituti.[1])

2. — Actus humani sequenti modo enascuntur et perficiuntur:

1. Intellectus rem perceptam et apprehensam voluntati proponit.[2])

2. Voluntas rem illam vel appetit vel refugit, libera omnino determinatione. Ubi opportune notandum, quod objectum voluntatis est bonum, sive verum, sive apparens; nemo quippe malum vult, quia malum est, sed quia ei bonum aliquod conjunctum est, ut v. g. qui superbit, fornicatur, furatur etc. non malum seu peccatum, sed bonum delectabile cum peccato conjunctum directe intendit.[3])

---

[1]) S. Thomas: 1. 2. q. 1. a. 1. et alii omnes.

[2]) Cum voluntas non possit ferri in incognitum et consequenter omnem actum voluntatis necessario praecedat actus intellectus; ne in infinitum abeamus, necesse est fateri, primam cogitationem seu apprehensionem intellectus esse sine omni actu voluntatis, ideoque nec liberam. Ad ejusmodi primam cogitationem homo excitatur vel per sensus exteriores, vel ab Angelo bono aut malo, vel a Deo immediate. — Sic d. Thom., Laymann, Sporer, et alii.

[3]) S. Augustinus ait: *„Voluntas ipsa, nisi aliquid occurrerit, quod de-*

3. Deinceps voluntas, quando rem efficaciter appetit, ceteras facultates, tum interiores, nempe intellectum, phantasiam, memoriam, tum exteriores, videlicet corporis membra ac sensuum organa movet ad actus convenientes, ut re illa potiatur, eaque perfruatur.[1])

Unde deducitur, quod actus humani duplici modo a voluntate deliberata procedunt: 1) *immediate,* quatenus a voluntate deliberata fiunt et in ea sistunt seu consummantur; et hi vocantur *actus eliciti,* ut sunt amor, odium, desiderium etc., — 2) *mediate,* quatenus ex imperio voluntatis ab aliis animae vel corporis potentiis procedunt; et hi appellantur *actus imperati,* uti sunt: discere, aliquid in memoriam revocare, loqui, scribere, ambulare etc.

Sit exemplum: Supponamus hominem gravi injuria ab alio lacessitum, et malo vindictae studio succensum. Hujus porro voluntas inprimis eum, a quo injuria sibi irrogata est, odio prosequitur et vindictam adversus eundem sumere proponit. Uterque actus voluntatis est elicitus. Sed ubi semel vindicta fuerit determinata, ultoris voluntas progreditur: imperat nempe *phantasiae,* ut injuriae magnitudinem vivide repraesentet; imperat *memoriae,* ut ejusdem continenter recordetur; imperat *intellectui,* ut tum media ad vindictam peragendam, tum bona (juxta suam imaginationem)

lectet atque invitet animum, moveri nullo modo potest." De divers. quaest. ad Simpl. Lib. I. n. 22. S. Thomas: „*Cum ratio boni sit ratio appetibilis* (1. q. 5. a. 1.), *malum autem opponatur bono, impossibile est, quod aliquod malum, in quantum hujusmodi, appetatur, neque appetitu naturali, neque animali, neque intellectuali, qui est voluntas; tamen aliquod malum appetitur per accidens, in quantum consequitur ad aliquod bonum; et hoc apparet in quolibet appetitu. — Leo enim occidens cervum intendit cibum, cui conjungitur occisio animalis: similiter fornicator intendit delectationem, cui conjungitur deformitas culpae. Malum autem, quod conjungitur alicui bono, est privatio alterius boni. Numquam igitur appeteretur malum, nec per accidens, nisi bonum, cui conjungitur malum, magis appeteretur, quam bonum, quod privatur per malum.*" 1. 2. 19. a. 9. c.; 1. 2. q. 8. a. 1. et al. saepe. Hinc optime s. Franciscus Sales.: „Quid voluntas, nisi potentia, quae bonum vel id, quod reputat esse bonum, appetit et intendit?" Theotim. Lib. I. cap. 7

[1]) Ad oeconomiam actuum humanorum concurrunt: 1. *amor* seu simplex complacentia boni, 2) *intentio* seu desiderium efficax, bonum consequendi, 3) *consultatio* seu inquisitio in media apta ad bonum illud obtinendum, 4) *consensus* seu approbatio medii apti consultatione inventi, 5) *electio,* qua medium unum, quod aptum visum est, prae alio assumitur, 6) *imperium* rationis praecipientis executionem medii electi, 7) *usus* seu executio medii, et 8) *fruitio* seu delectatio et quies in bono seu fine tandem obtento. Tres actus, nimirum amor, intentio et fruitio circa finem, reliqui quinque, scilicet consultatio, consensus, electio, imperium et usus circa media versantur. De his videatur d. Thomas: 1. 2. q. 11—16. coll. q. 25. a. 2.

inde obventura sedulo perpendat; imperat *toti corpori,* ut in vindictam exequendam concurrat facultatibus suis, *oculis* nempe attente offensorem secernendo, *manibus* ferrum arripiendo, et *pedibus* in hostem incurrendo. Qui omnes actus sunt imperati.[1])

3. — Ex praecendentibus facile colligitur, quam relationem singulae hominis facultates in actibus exercendis ad se invicem habeant. *Voluntas* videlicet characterem primi moventis prae se fert, *ratio* autem dirigentis, et *reliquae potentiae* tamquam exequentium, quae comparantur ad voluntatem, a qua applicantur ad agendum, sicut instrumenta ad moventem seu principaliter operantem. Voluntas igitur in omnes potentias dominium exercet. Hinc s. Augustinus ait: „*Voluisti, perfecisti;*" ubi enim firma operis perficiendi voluntas, certe non deerit operis executio et perfectio. Quare si voluntas bona, bonae perficientur actiones: „*arbor bona non potest malos fructus facere;*" si voluntas mala, malae pullulabunt actiones: „*non potest arbor mala bonos fructus facere.*"

Fructus hujus considerationis.

4. — Homo a sanctis Patribus apte vocari solet minor mundus (μικροκοσμος); quia omnes creaturae mundi quodammodo inveniuntur in eo. Etenim, ut s. Gregorius[2]) observat, omnis creaturae aliquid habet homo; habet commune *esse* cum lapidibus, *vivere* cum arboribus, *sentire* cum animalibus, *intelligere* cum Angelis. Verum et alio sensu mundus minor haud inepte homo appellari potest. Insunt namque homini diversae facultates, e quibus diversi pariter plurimique motus et actus, inferiores et superiores fere continuo enascuntur, ac veluti in populos coalescunt multiformes hominem inhabitantes. Attende vero regiminis formam, quam Deus in homine sapientissime constituit ad Ipsius gloriam hominisque salutem et pacem. Deus Ipse rex est, cui famulandum, ejus voluntas suprema regula, cui obsequendum; porro rationi munus demandatum est, dirigendi voluntatem humanam secundum divinam regulam; voluntati convenit, semetipsam et reliquas omnes facultates conformiter regulae illi a ratione propositae movere. Sicque *naturalem veluti monarchiam Deus in homine constituit,* eamque illaesam custodiri vult, quatenus voluntas hominis dominium in omnes facultates

[1]) Scavini: Theol. mor. univ. Tom. I. pag. 118. Nota C. Ed. 6. 1855.

[2]) Homil. 29. in Evang. Cf. s. Thom. 1. q. 91. a. 1. c.; q. 96. a. 2. c.; 1. 2. q. 17. a. 8. ad 2.

teneat, ipsa vero tota quanta a Dei, domini nostri, voluntate et imperio pendeat.[1]) — Quando ergo bonus est hominis status? Tunc profecto, si voluntas semetipsam divinae voluntati subjicit, omnesque alias facultates pariter Deo subditas reddit, ita ut homo nihil libere cogitet, velit, aspiciat, audiat, loquatur, operetur, nisi quod conforme est voluntati divinae. Haec est imago vitae coelestis et praelibatio pacis aeternae, regnum Dei intra hominem, felix status filiorum Dei; nam *beati pacifici*, in quibus jam bene ordinata, Deo subjecta, edomita et pacificata sunt omnia,[2]) *quoniam filii Dei vocabuntur*. Matth. 5, 9.

5. — Voluntas bonum appetit, malum refugit (n. 3.). Sicuti autem peccato adjunctum est quoddam bonum, nempe oblectamentum vel commodum terrenum et sensuale: ita virtuti assolet adnexum esse aliquid naturae nostrae corruptae inamoenum ac ingratum. *Nonne enim nobis*, s. Bernardus[3]) inquit, *quodammodo passivae sunt actiones, et in cogitationibus etiam dolor et labor?* In statu naturae lapsae, dicit s. Alphonsus,[4]) omnis virtuosa actio est quodammodo affligens et poenalis, ex eo, quod amissa originali justitia omnes ad terrena et propria commoda proni sumus. Quid igitur faciendum, quando tentationes insurgunt animam fucata dulcedine allicientes ad peccatum? Avertendus oculus mentis ab apparentibus bonis, quae comitantur peccatum, et convertendus ad intuenda mala funestissima, quae ex peccato consequuntur, mala tam interna quam externa, temporalia et aeterna; et imprimis defigendus visus in examinando illo malo, quod peccatum ipsum per se est, quatenus

[1]) Hinc perbelle s. Franciscus Salesius scribit: „Da Gott alle Dinge mit Güte und Schönheit betheilen wollte, führte Er die Anzahl und Verschiedenheit in denselben auf eine vollkommene Einheit zurück und ordnete sie gleichsam zu einer *Monarchie*, indem Er dahin wirkte, dass alle einzelnen Dinge ein Verhältniss zu einander, ihre Gesammtheit aber ein Verhältniss zu Ihm, als zu dem unumschränktesten Monarchen, hätte. — — Also gestaltete Gott aus allen unzähligen und höchst mannigfaltigen Handlungen, Empfindungen, Neigungen, Anlagen, Leidenschaften, Fähigkeiten und Kräften, die dem Menschen innewohnen, eine natürliche *Monarchie* in dem Willen, der über alles, was in dieser kleinen Welt sich regt, gebietet und herrscht: und Er sprach gleichsam zu diesem Willen, was einst Pharao zu Joseph: „*Du sollst über mein Haus sein; und alles Volk soll gehorchen dem Befehle deines Mundes, und ohne deinen Befehl soll Niemand sich rühren.*““ Theotimus Lib. I. cap. 1.

[2]) S. Augustin.: Lib. I. de Sermone Domini in monte cap. 4. n. 11.

[3]) De diversis Serm. II. n. 8.

[4]) Theol. mor. Lib. VI. n. 514. *Advertendum.*

importat foedam turpitudinem, Dei optimi contemptum et offensam, ingratitudinem, inobedientiam, malitiam; vel erigendus oculus ad inspicienda bona meliora et vera, et ad considerandum Deum ipsum, qui est summum et infinitum bonum, ad Christum Dominum, qui dilexit nos et tradidit semetipsum pro nobis, ut hisce modis voluntas efficaciter deterreatur et abstrahatur a peccato committendo. Et vicissim, dum agitur de exercitio virtutis, quod naturae corruptae non placet, molestiam et taedium creat, abnegationem carnis requirit, — mentis oculus non demittatur in illam difficultatem et molestiam, sed sollicite erigatur ad considerandam virtutis honestatem et pulchritudinem, necessitatem vel utilitatem, ad conspiciendum praemium remunerationis aeternae, ad contemplandum Deum ipsum summe diligibilem et summopere diligentem, ut hac ratione voluntas potenter excitetur et confortetur ad virtutem exercendam. Hinc Propheta precatur: „*Averte oculos meos, ne videant vanitatem: in via tua vivifica me. Nisi quod lex tua meditatio mea est: tunc forte periissem in humilitate mea.*“ Psalm. 118. — Quam multas animas s. Franciscus Salesius convertit, virtutis nitorem et suaves effectus pulcherrime depingendo!

§. 89.

De voluntario et involuntario.

1. — *Voluntarium id dicitur, quod procedit a voluntate cum cognitione eorum, circa quae actio versatur*, nempe objecti, finis et circumstantiarum.[1]) Duo igitur requiruntur ad notionem voluntarii: *primum* est, ut procedat a voluntate, *alterum*, ut adsit praevia cognitio eorum, quae ad actum pertinent. Profecto voluntatis determinatio aliquam cognitionem supponit, ut liquet ex supra dictis §. 88. n. 1. Hinc axioma: *Nihil volitum, quin praecognitum.*

Voluntarium differt a *spontaneo*, quod fit cum cognitione mere sensitiva et ex necessitate seu impulsu interno, et convenit etiam brutis, prout e. g. leo videns cervum incipit moveri ad ipsum.[2])

Non omne voluntarium simul *liberum* est. Etenim amor Dei in beatis necessarius est; necessarium etiam est desiderium beati-

[1]) S. Thomas: 1. 2. q. 6. a. 1. S. Alphons.: Th. mor. Tract. de actibus humanis n. VII.

[2]) S. Thom.: 1. 2. q. 6. a. 1. ad 2.

tudinis generatim spectatae in homine viatore, ut §. 85. n. 4. diximus.[1]) Regulariter tamen in scholis voluntarium sumitur pro libero.

2. — Multiplex est voluntarium, praeprimis observandum:

1. *Actuale, virtuale, habituale* et *interpretativum*. Dicitur *actuale*, quod procedit a voluntate actualiter influente, ut v. c. fides in eo, qui hic et nunc fidei actum elicit. *Virtuale* est, quod vi actus prius exerciti quadam efficacia perseverat, ut e. g. est absolutio a Confessario distracto impertita. *Habituale* vocatur, quod etsi olim habitum sit nec retractatum, nunc tamen nullo modo in actum influit, ut e. g. susceptio baptismi in eo, qui desiderium, ut baptizetur, elicuit, quod tamen nullatenus in voluntate perseverat aut in actum influit. *Interpretativum* appellatur, quod habitum non est, sed tamen haberetur, si res agenda aut omittenda nota esset; ut e. g. susceptio Extremae Unctionis in infirmo sensibus destituto, qui christiane vixit. Hoc voluntarium, quod et praesumptum dici solet, veri nominis voluntarium non est, ut ex terminis patet.

2. *Expressum* et *tacitum*. Dicitur *expressum*, si verbis aut signis manifestetur, *tacitum* vero, si ex facto aliquo vel etiam omissione notum fiat.

3. *Directum* et *indirectum*. Est *directum*, quod in se ipso intenditur, ut furtum a fure patratum. *Indirectum* est illud, quod non in se, sed in alio est volitum seu intentum, tamquam effectus in causa, ut e. g. homicidium patratum ab eo, qui se voluntarie inebriavit, praevidens illud secuturum.

4. *Perfectum* et *imperfectum*. Illud obtinet, quando fit cum plena cognitione et pleno voluntatis consensu. Hoc vero, quando ex subobscura cognitione, aut imperfecto consensu procedit, prout in semisopitis, ad alia distractis.

3. — Ex definitione voluntarii supra tradita facile colligitur, in quo posita sit natura involuntarii. Videlicet, si ad voluntarium exigitur 1. ut procedat a voluntate, et 2. ut praevia adsit cognitio eorum, de quibus agitur: hinc consequens est, ut oppositum ejus, nempe *involuntarium* 1) vel fiat a principio extrinseco contra voluntatis propensionem, ut accidit agenti ex vi vel metu, — 2) vel fiat

[1]) S. Alphonsus: l. c. n. IX. cum Gonet docet: „ratio voluntarii perfectius reperitur in actibus necessariis, quam liberis. Ratio est, quia quo major est amor, eo majus est voluntarium, id est major voluntatis propensio, et major cognitio intellectus. Talis est amor necessarius Dei erga seipsum, amor beatorum, quo toto conatu feruntur in Deum.“ Vide etiam d. Thom.: De veritate q. 22. a. 5

cum defectu cognitionis, quae aut tollitur, aut saltem minuitur, ut accidit operanti ex ignorantia vel passione.

Multiplex est involuntarium. Praecipue advertendum est:

1. *Involuntarium simpliciter*, quod ita displicet voluntati, ut nullo modo nullaque ratione id velit. 2. *Voluntarium simpliciter et involuntarium secundum quid*, quod licet sub aliquo respectu displicet voluntati, sub alia tamen ratione ei magis placet et acceptatur seu: quod quidem a voluntatis consensu procedit, sed cum aliqua repugnantia. Talis est projectio mercium in mare facta metu naufragii.[1])

4. — Pro praxi sequentia ex s. Alphonso[2]) observamus:

1. Actiones, quae ex principio tantum extrinseco i. e. sine ullo voluntatis consensu fiunt, non sunt voluntariae. Neque voluntariae dici possunt illae actiones, quae quidem a principio intrinseco seu voluntate procedunt, sed sine ulla cognitione intellectus.

2. Ad hoc, ut aliqua actio dicatur *tota* voluntaria, necesse est, ut cognoscatur secundum omnes sui partes et circumstantias, quarum aliqua si ignoretur, actio non dicitur voluntaria quoad illam circumstantiam ignoratam. Sic qui occidit hominem, ignorans illum esse sacerdotem, committit solum homicidium, non vero sacrilegium, propter ignoratam circumstantiam personae.

3. Ubi nulla est advertentia, nullum est voluntarium, ut accidit in actionibus dormientium. Ubi vero est semiplena advertentia, ibi est ex parte voluntarium, ut contingit in semisopitis.

* S. Thomas: Summa Theologica 1. 2. q. 6. a. 1. 2. et 3. S. Alphonsus: Theologia moralis: Tractatus de actibus humanis art. 2. n. VI.—IX., n. XII. et XIII. (Edit. Mich. Haringer.) — Suarez: In primam secundae d. Thomae Tract. II. Disp. 1. et 2. Nicol. Baldelli S. J.: Disputationes ex morali Theologia, Libr. I. de humanis actionibus in universum Disp. 1.—13. Sylvius: Comment. in primam secundae d. Thomae q. 6. a. 1. et sq. Roncaglia: Theol. mor. Tr. I. q. 2. cap. 1. Gury: Compendium Theologiae moralis P. I. Tract. de actibus humanis n. 3—6.

B. De morali actuum imputatione.

§. 90.

Rei hujus notio et partitio.

1. — *Imputatio est judicium, quo actus tribuitur alicui ceu vero ejus auctori et domino*, adeo ut pro ipso et ejusdem naturalibus

[1]) Alph.: l. c. n. IX. [2]) l. c. n. VIII.

eventis rationem reddere teneatur. Imputatio fit vel ad meritum vel ad demeritum, praemium aut poenam.

Ut actus quicunque operanti tamquam ejus domino tribui queat, eum a ratione et voluntate procedere necesse est; quia homo per rationem et voluntatem actuum suorum dominus existit. Porro actus hujusmodi sunt actus humani; quapropter omnes et soli actus humani imputabiles sunt.

2. — Quod vero attinet actus humanos, in eis ponendis voluntarium quandoque imminutum, quandoque imminutum non est, ut ex praecedenti §. 89. liquet. Hinc doctrina de morali imputatione exponenda commode in duas partes dividi potest, quarum una est de imputatione actuum, quando voluntarium non est diminutum, altera de imputatione actuum, quando voluntarium est imminutum.

I. De imputatione actuum, voluntario non diminuto.

§. 91.

De imputatione actionis, omissionis et effectus.

PRINCIPIA.

1. — **Principium I.** Ut *actio* imputabilis sit ad meritum vel demeritum, requiritur: 1. ut processerit ex deliberata voluntate, et 2. ut sit juxta vel contra legem aeternam seu ordinem rectum. Ratio primi est, quia actus tantum voluntarius seu humanus imputari potest. Ratio secundi, quia lex aeterna per rationem manifestata est primaria operandi regula.

Sed advertendum, quod in tantum actio est imputabilis, in quantum est voluntaria juxta dicta §. 89. n. 4. Qui e. g. accedit ad mulierem, quam nescit esse nuptam, non adulterii, sed simplicis fornicationis peccatum committit, cum involuntarie se habeat quoad circumstantiam matrimonii, quam ignorat.[1])

2. — **Principium II.** Ut *omissio* sit imputabilis ad culpam, requiritur: 1. ut quis potuerit agere, quia secus deesset voluntarium, et 2. ut debuerit agere seu ut adfuerit obligatio agendi vi praecepti affirmativi, quia secluso praecepto non committitur peccatum. Sic e. g. qui Missam omittit die feriali, non peccat.[2])

[1]) S. Alph.: De actib. hum. n. VIII.

[2]) Idem l. c. n. XI. S. Thomas ait: *„Aliquid dicitur voluntarium, non solum, quia cadit super ipsum actum voluntatis, sed quia in potestate nostra est, ut fiat, vel non fiat; unde etiam ipsum non velle potest dici voluntarium, in quantum in potestate hominis est velle, et non velle.“* 1. 2. q. 71. a. 5. ad 2. *„Sciendum, quod non semper id, quod sequitur ad defectum actionis, reducitur sicut in causam in agens ex eo, quod agit; sed tunc solum, quum potest et debet agere.“* 1. 2. q. 6. a. 3.

Ut autem laudabilis sit omissio, exigitur: 1. ut quis potuerit agere, et 2. ut non debuerit agere vi praecepti negativi, ut e. g. omissio operum servilium diebus festis. Non tamen necesse est, ut adsit obligatio ad actum oppositum; sic e. g. omissio lusus, venationis ex fine honesto est laudabilis, dum quis licite potest ludere, venari.[1])

3. — **Principium III.** Ut *effectus actionis vel omissionis* imputari queat ad meritum vel demeritum, requiritur: 1. ut agens ponendo causam aliquo modo i. e. saltem in confuso advertat, hujusmodi effectum fore ex illa causa secuturum; tunc enim indirecte voluntarius est; et 2. ut actio vel omissio, ex qua sequitur effectus, veniat imputanda illis modis, qui paulo ante sunt declarati. Sic s. Paulus Philippenses vocat *coronam* suam (Phil. 4, 1.), quia eorum fides et pietas fuerunt effectus, ex Apostoli praedicatione et labore consecuti et ab eo intenti, qui ad ipsius praemium redundabant.[2]) — Si causa mali effectus sincere fuerit retractata, effectus malus non imputabitur ad peccatum, quia jam non est voluntarius; inducit tamen obligationem restituendi, si justitiam commutativam laeserit, ut suo loco explicabitur.[3])

Omissio actus, de quo homo nullatenus cogitat, non potest esse, nec indirecte voluntaria; quia talis actus, utpote ignoratus, non est in potestate hominis. Attamen omissio potest tunc esse voluntaria et culpabilis, si ex praecedenti negligentia culpabili proveniat.

Qui scienter ponit causam, ex qua per se consequitur peccaminosa actio (e. g. homicidium), vel omissio (e. g. neglectio Missae die festo), in eo instanti malitiam coram Deo contrahit, quamvis actio vel omissio exinde per accidens non eveniat; et proinde eam ut volitam confiteri tenetur; quia fuit voluntaria et culpabilis in causa.[4])

[1]) Reuter: Theol. moral. P. I. n. 10.

[2]) Vide s. Thom.: 1. 2. q. 20. a. 5. S. Alph.: De act. human. n. X.

[3]) Laymann: Theol. mor. Lib. I. Tr. II. cap. 3. n. 5. Elbel: Confer. prima n. 24. et 25. Bouvier: De actib. human. art. 3. §. 1. et alii cum s. Alphonso: Th. m. Lib. II. n. 10. Lib. V. n. 149.

[4]) S. Alph.: l. c. cum aliis communiter.

4. — De imputandis et non imputandis actionum effectibus sanctus Augustinus, casum respiciens concretum, optime scribit: „— Non omnis, qui causa alienae mortis est, reus est. Quid si enim quisquam stuprum petat, seseque, si non impetraverit, interimat? Quid si filius timens patris pia verbera, praecipitio pereat? Quid si alius homine liberato, vel ne alius liberetur, sibi ipsi mortem inferat? Num propter istas alienarum mortium causas, aut sceleri consentiendum est, aut vindicta peccati, quae non fit nocendi, sed corrigendi studio, etiam paterna tollenda, aut opera misericordiae cohibenda sunt? Haec cum accidunt, debemus eis humanum dolorem; non propter illa, ne accidant, recte factorum reprimimus voluntatem. Sic etiam, cum intercedimus pro peccatore damnando, sequuntur aliquando quae nolumus, sive in ipso, qui nostra intercessione liberatur, ut vel immanius grassetur audacia, subdita cupiditati, ingrata lenitati, atque unus morti ereptus plurimos necet: vel ipso per beneficium nostrum in melius commutato moribusque correcto, alius male vivendo pereat, sibique hujus impunitate proposita, talia vel graviora committat. Non, ut opinor, haec mala imputanda sunt nobis, cum intercedimus vobis: sed potius illa bona, quae cum id facimus, intuemur et volumus, id est commendatio mansuetudinis ad conciliandam dilectionem verbo veritatis, et ut qui liberantur a temporali morte, sic vivant, ne in aeternam, unde numquam liberantur, incurrant.“ [1])

Casus.

5. — *Crescentia ancilla inter alia confitetur: 1. Ter Missam non audivi, eo quod sero e somno evigilavi; 2. quandoque dominum meum in iram et maledictiones incitavi religionis munia exequendo; 3. in verba obscoena, sed inadvertenter nonnumquam prorupi. Quaeritur: An ancilla in praedictis peccaverit?*

Resp. *ad 1.* Solutio quaestionis, num Crescentia peccaverit, Missam negligendo, exinde pendet, an omissionem sacri praeviderit, et ulterius, utrum hunc effectum seu eventum praecavere potuerit et debuerit, ut ex praehabitis n. 3. liquet. Hinc a) si Crescentia in obseqnio domini omnino necessario occupata vel ex alia gravi causa nimis sero cubitum ivit, ita ut nonnisi cum notabili somni diminutione sacrum mane potuisset audire, si hora debita surrexisset: tunc non peccavit Missam omittendo, quamvis omissionem hanc praeviderit nullumque medium adhibuerit, ut excitaretur e somno ad Missam audiendam; quia in hac suppositione erat excusata a praecepto, quod videlicet non obligat cum gravi incommodo, adeoque cum notabili somni subtractione.[2]) Nec peccavit, si quidem praemature somno se tradidit, sed nullatenus praevidit, se hora debita non esse evigilaturam; quia tunc nec omissio sacri erat praevisa adeoque neque voluntaria in causa. E contra b) si absque rationabili causa jam multa nocte cubitum ivit cum praevisione Missae negligendae, vel non curavit, ut et somno excitaretur ad frequentandum sacrum: tunc certe omissio sacri ipsi erat voluntaria, et quidem in causa, adeoque etiam culpabilis.

Resp. *ad 2.* Nullatenus peccata domini in proposito casu famulae imputari possunt tamquam effectus actionum illarum, quas ipsa exercuit; quandoquidem non tenebatur omittere, sed potius exsequi debuit religionis munia; ac praeterea illa domini peccata non ex piis famulae actionibus, sed ex perversa domini voluntate evenerunt.

[1]) Epist. 153. (al. 54.) ad Macedonium n. 17. et 18.

[2]) S. Alph.: Theol. mor. Lib. IV. n. 327.

R. *ad 3.* Si Crescentia absque ulla advertentia in verba lasciva prorupit, tunc in eis defuit voluntarium, hincque etiam peccatum. Quodsi semiplenam advertentiam turpia loquens habuerit, tunc semivoluntarium adfuit, adeoque illa foemina quidem peccavit, sed tantum venialiter.

Quid autem, si ex prava quadam consuetudine famula illa in hujusmodi verba erumpit? Distinguendum est: vel ad illam consuetudinem destruendam serios conatus non adhibet vel adhibet. Si prius, tunc prolatio turpium verborum ipsi imputanda foret, quia voluntaria existimari debet in ipsa mala consuetudine, quam novit, nec tamen removere conatur. Si posterius, tunc excusanda est a peccato, supposito, quod advertentia actuali in loquendis obscoenis omnino careat, quia in hac hypothesi verba turpia nec in se, neque in causa voluntaria apparent. Sed observat s. Alphonsus: *„Non facile confessarius credere debet poenitenti, qui se excusat, pejerasse, blasphemasse, vel verba obscoena protulisse sine advertentia et involuntaria tamquam ex habitu.“* [1])

6. — *Eustachius sacerdos sub tempore vespertino delectationis causa visitat aliquem parochianum, praecogitans, quod postea vix amplius poterit partem Officii diurni residuam recitare. Sed citra exspectationem ocyus abrumpitur conversatio, et Eustachius domum redux Officii partem persolvendam persolvit.*

Alia vice iter adgreditur et consulto Breviarium domi relinquit, eo quod itinere durante horas canonicas non recitare intendit. At vero post tres dies sincere ipsum poenitet negligentiae, qua Breviarium domi reliquit, firmiterque proponit, se horas canonicas ex Breviario, quod ab alio sacerdote in via commodatum se accepturum esse sperat, quantum poterit, esse persoluturum. Id tamen durante itinere semel ac iterum tantum efficere potuit.

Quaeritur: 1. An Eustachius peccatum omissionis contraxerit in casu primo? 2. Num omnes omissiones Officii divini ipsi imputabiles sint ad peccatum in casu altero?

Resp. *ad 1. Aff.*, quia malitia effectus, qui in proposito est omissio quoad partem Officii divini recitandam, contrahitur ipsomet actu, quo ponitur causa, quamvis hujusmodi effectus i. e. in casu nostro omissio per accidens non eveniat; fuit enim illa omissio voluntaria in causa.[2]) Cf. supra n. 3.

R. *ad 2.* Sane Eustachius peccavit omittendo horas canonicas, usquedum doluit de causa omissionum, ut patet; et tot quidem peccata commisit, quot numerantur omissiones, quia perseveravit voluntarium in causa. Postquam vero ipsum sincere poenituit primi peccati, quod commiserat Breviario domi relicto, non amplius ipsi culpabiles evaserunt omissiones, quae causam retractatam sunt subsecutae.[3]) Vide dicta n. 3.

7. — *Albertus sacerdos, dum festo Paschatis multorum confessiones audit, unum reperit penitus indispositum, qui cum possit et debeat occasionem proximam auferre, id facere pertinaciter recusat. Pius hic sacerdos poenitentem, vel potius impoenitentem monet, obsecrat, increpat, in omni patientia et doctrina, sed irrito conatu. Hinc demum gemens illi dicit, se non posse ei, utpote indisposito, absolutionem sacramentalem impertiri, donec dispositus recurrerit. En, si ita est, obstinax ille reponit, non amplius Sacramenta suscipiam. Quibus verbis confessarius motus ad tantum malum impediendum illi absolutionem concedit.*

Quaeritur: An Albertus ad praedictum malum eventum praepediendum potuerit impoenitenti absolutionem sacramentalem impertire?

[1]) De actib. humanis n. XIV.

[2]) Videatur s. Alph.: Lib. II. n. 10.

[3]) S. Alph.: Lib. V. n. 149. La Croix: Th. m. Lib. I. n. 760.

Resp. Quam male sacerdos hic egerit, nemo non videt. Nonne Christus Dominus dixit: *„Nolite dare sacrum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos?“* Matth. 7, 6. Sed dices: Albertus eum absolvit, quia debuit impedire, quominus ille postmodum Sacramenta penitus negligat. An vero actionem sacrilegam, qualis in proposito est administratio Sacramenti indigno facta, ponere fas est ad malum effectum praecavendum? Et quid, si indispositus iste confessionem sacramentalem non amplius peregisset, num tristis hic eventus sacerdoti, qui legi divinae conformiter se gessit, imputari posset? Profecto illa omissio non ex denegatione absolutionis, sed ex malitia impoenitentis emanasset. Quid denique illi homini absolutio profuit? An a peccatis suis est revera absolutus? *„In Sacramento poenitentiae,* ait s. Alphonsus,[1]) *cum in eo omnino requiratur ad valorem poenitentis dispositio, minister prout judex ad hoc constitutus, debet de ea se certum reddere.“*

II. De imputatione actuum, in quibus voluntarium diminutum.

Impedimenta voluntarii coll. §. 89. n. 3. sunt *ignorantia* et *passio* cum *concupiscentia* quoad intellectus cognitionem, *metus* et *violentia* quoad voluntatis propensionem.[2]) De his in praesentiarum respectu imputationis moralis scitu necessaria exponenda veniunt.

§. 92.

De ignorantia.

1. — *Ignorantia generatim sumpta est carentia scientiae, quam quis habere posset.*[3])

Ignorantia multiplex esse potest. Imprimis distinguitur:

1. Ignorantia *juris* et *facti,* prout circa legis, vel facti particularis existentiam versatur.

2. Ignorantia *antecedens, concomitans* et *consequens.*

a) *Antecedens* est, quae praecedit voluntatis consensum, ita, ut nullo modo sit voluntaria. Haec etiam *invincibilis* vocatur, et tunc obtinet, quando nulla cogitatio nullumque dubium erroris venit in mentem operantis. Vid. §. 72. n. 1. Prima enim cogitatio seu idea non procedit ab actu voluntatis, sed actum voluntatis praecedere debet, cum voluntas non possit ferri in incognitum (§. 88. n. 4. Not. 1.); ac propterea, si nulla cogitatio de errore, et consequenter de obligatione inquirendi, nec in confuso, menti inciderit,

[1]) Lib. VI. n. 43.

[2]) De ignorantia et concupiscentia jam S. Augustinus observat: *„Ignorantia igitur et infirmitas vitia sunt, quae impediunt voluntatem, ne moveatur ad faciendum opus bonum, vel ab opere malo abstinendum.“* De peccat. merit. et remiss. Lib. II. cap. 17. n. 26.

[3]) Vid. s. Thom.: 1. 2. q. 76. a. 2.

error per actum voluntatis depelli nequit, ideoque ignorantia invincibilis est.

b) *Concomitans* ea appellatur, qua quis ignorat, quod agit, sed adhuc ageret, si non ignoraret; ut e. g. si quis hostem occidit, putans id, quod petit, esse cervum, sed etiam occideret, si rem sciret.

c) *Consequens* ea est, quae voluntatem aliquo modo subsequitur, adeoque a libera voluntate procedit. Dicitur etiam *vincibilis,* quia saltem dubitationem de errore et subobscuram cognitionem de obligatione ulterius inquirendi supponit, et adhibita diligentia morali tolli potest.[1]) Moralis autem diligentia ea censetur, quam viri prudentes pro rei gravitate adhibere solent.

Porro haec triplex esse potest: *simipliciter vincibilis,* quando ad eam depellendam diligentia aliqua, non tamen sufficiens inspecta rei gravitate adhibetur; — *crassa* seu *supina,* quando nulla diligentia ad veritatem indagandam impenditur; — *affectata,* quando quis directe vult ipsam ignorantiam, adeoque media eam deponendi voluntarie refugit; ut cum quis vult ignorare legis praecepta, vel ut excusationem peccati jam commissi habeat, vel ut non retrahatur a peccato committendo, juxta illud Job. 21, 14. *„Scientiam viarum tuarum nolumus,“* et Psalm. 35, 3. *„Noluit intelligere, ut bene ageret.“*

Ad ignorantiam invincibilem referendae sunt *oblivio perfecta,* et *inadvertentia plena.* Hae autem, si non sint perfectae, et ex negligentia procedant, ad ignorantiam vincibilem spectant.

PRINCIPIA.

2. — **Principium I.** Ignorantia *antecedens* seu invincibilis penitus tollit voluntarium, quia nullum potest esse voluntarium, ubi nulla cognitio. Cf. §. 89. n. 4. Itaque nullus actus ex ignorantia invincibili procedens operanti imputari potest. Idem pariter de oblivione et inadvertentia plena statuendum est.[2])

[1]) Si vero alicui inciderit dubitatio vel cogitatio prudens, ne forte objectum sit malum et operatio inhonesta, ipse autem sufficientem adhibuerit diligentiam, neque tamen potuerit rescire veritatem, ignorantia vel error ipsi est invincibilis. La Croix: Lib. I. n. 749. Suarez: De censuris Dist. IV. Sect. 8. et alii cum s. Alphonso: Lib. I. n. 171. et alias.

[2]) S. Augustinus scribit: *„Si tanta fallacia est, ut caveri omnino non possit, nulla peccata sunt.“* De lib. arbitr. Lib. III. cap. 18. S. Thomas ait: *„Si sit talis ignorantia, quae omnino sit involuntaria, sive quia est invincibilis, sive quia est ejus, quod quis scire non tenetur, talis ignorantia omnino excusat a peccato.“* 1. 2. q. 76. a. 3. S. Bonaventura: In Lib. II Dist. XXII. a. 2. q. 3. et alii.

Principium II. Ignorantia *concomitans* nec voluntarium neque involuntarium causat, quia nullo modo in actum influit. Hinc quoad imputationem moralem plane nihili habenda est. [1])

Principium III. Ignorantia *consequens* seu vincibilis non tollit voluntarium. Talis enim ignorantia est vere voluntaria sive directe sive indirecte, nempe in negligentia discendi. [2])

Attamen ignorantia *simpliciter vincibilis* voluntarium, ideoque et peccatum minuit, quia est causa illud volendi, quod ipsa absente quis numquam vellet.

Idem cum proportione valet de ignorantia *crassa*, quae etiam peccatum aliquantulum diminuit, sed supplicium non effugit. [3]) De hac ignorantia ex concordi interpretum suffragio intelliguntur sequentes s. scripturae textus: *„Delicta juventutis meae, et ignorantias meas ne memineris.“* Psalm 24. 7. *„Qui autem non cognovit, et fecit digna plagis, vapulabit paucis.“* Luc. 12, 48. *„Jesus* (cruci affixus) *autem dicebat: Pater, dimitte illis, non enim sciunt, quid faciunt.“* Luc. 23, 34. *„Misericordiam Dei consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate.“* 1. Tim. 1, 13.

Sed ignorantia *affectata* nullo modo minuit, imo vero auget voluntarium et peccatum, ut Angelicus tradit [4]) subjungens: *„ex magno enim amore peccandi videtur contingere, quod quis detrimentum scientiae pati velit ad hoc, quod libere peccato adhaeret.“* [5])

---

[1]) S. Thom.: 1. 2. q. 6. a. 8. et alii communiter.

[2]) S. Thomas ait: *„Consequenter* autem se habet ignorantia ad voluntatem, in quantum ipsa ignorantia est voluntaria. — Cum autem ipsa ignorantia sit voluntaria, — non potest causare simpliciter involuntarium.“ 1. 2. q. 6. a. 8.

[3]) S. Alphonsus: Lib. I. Tr. de legib. n. 173. S. Augustinus ad verba Luc. 12, 47. observat: *„Ecce, ostendit gravius peccare hominem scientem, quam ignorantem.“* Sed subjungit: *„Ignorantia illa* (quae non est affectata) *neminem sic excusat, ut sempiterno igne non ardeat.“* De grat. et lib. arb. c. 4. n. 5.

[4]) De malo q. 3. a. 7.

[5]) Idem habet 1. 2. q. 76. a. 4. — Hinc s. Bernardus: „Frustra sibi de infirmitate, vel ignorantia blandiuntur, qui ut liberius peccent, libenter ignorant, vel infirmantur. Putas primo homini profuit, licet ipse non libenter peccavit, quod per uxorem, tamquam carnis infirmitatem, se defendit? Aut primi Martyris lapidatores, quoniam aures suas continuerunt, per ignorantiam excusabiles erant? Qui igitur studio et amore peccandi a veritate se sentiunt alienatos, infirmitate et ignorantia pressos: studium in gemitum convertant, infirmitatem carnis fervore justitiae vincant, ignorantiam liberalitate repellant, ne si nunc egentem, nudam et infirmam veritatem ignorant, cum potestate magna et virtute venientem, terrentem, arguentem, sero cum rubore cognoscant, frustra cum tremore respondeant: *Quando te vidimus egere, et non ministravimus tibi?* (Matth. 25, 44.) Cognoscetur certe Dominus judicia faciens, qui nunc ignoratur misericordiam quaerens.“ Tract. de gradibus humilitatis cap. 6. n. 19.

Mala ex ignorantia sequentia vel ad mortalem vel ad venialem culpam imputabilia erunt, prout ipsa *ignorantia* mortaliter vel tantum venialiter culpabilis est. Et imputabilitas ignorantiae ad gravem vel levem culpam rursus pendet a *negligentia* seu omissione diligentiae moralis pro rei gravitate, ut supra vidimus.

* S. Gregorius M. Lib. XXV. Moral. cap. 11. n. 28—30. (de ignorantia imputabili). S. Bernardus: Tractatus de baptizmo etc. ad Hugonem de Victore (al. epist. 77.) cap. 4., ubi praeclare ostendit „peccari posse interdum per ignorantiam.“ (Op. Tom. II.) S. Thomas: Summa Theologica 1. 2. q. 6. a. 8.; q. 76 a. 2. 3. et 4. In II. Libr. Sent. Dist. XXII. Quaest. 2. a. 2. De malo, Quaest. 3. a. 8. S. Bonaventura: In II. Libr. Sent. Dist. XXII a. 2. q. 3. S. Alphonsus: Theologia moralis: De actibus humanis § IV. n. XXVI—XXIX coll. Lib. I. n. 169 etc. Lib. II. n. 4. v. *Primo igitur modo.* — Suarez: Comment. in primam secundae divi Thomae Tract. II. Disp. 4. Baldelli: Disput. ex morali Theologia, Lib. I. de humanis actionibus in universum Disp. 25—29. Laymann: Theologia moralis Lib. I. Tract. II. cap. 4. Mayr: Theol. scholastica (Tractatus omnes in Universitatibus provinciae Germaniae superioris S. J. tradi solitos complexa), Tr. de art. human. Disp. I. q. 1. art. 7. et 8. Ingolstad. 1730. Reuter: Theologia moralis P. I. Tract. I. n. 22—24. Palasthy: Theologia morum catholica Par. I. pag. 173—176. Ratisb. 1861.

Casus.

3. — *Fabianus amico suo Wenceslao persuasit, ut secum pergeret venatum asserens, se certo scire mirae magnitudinis cervum haud procul inde in quodam dumeto latitare. Cumque ad indicatum locum pervenissent, Fabianus jubet Wenceslaum cum sclopeto foras subsistere, ipse vero ingreditur dumetum, cervum expulsurus. Dictum, factum. Vix dum enim Fabianus erat ingressus, ecce fera inde erupit, quam Wenceslaus globo petiit, sed ita infauste, ut praeter cervum simul trajecerit Fabianum.*

Quaeritur: 1. Utrum Wenceslaus illa nece deliquerit; et 2. Num ut homicida puniri possit?

Resp. *ad 1.* Non deliquit formaliter ut homicida, quia homicidium fuit casuale, utpote quod praeter, imo contra voluntatem et consensum evenit. Et idem etiam dicendum, si venationi prohibitae vacasset; semper enim verum manet, homicidium in casu, ut jacet, tantum per accidens evenisse.

R. *ad 2.* Wenceslaus nequit puniri poena pro homicidio decreta, imo in foro interno saltem ante judicis sententiam nullius poenae reus est. Ratio patet, quia eo ipso, quod hoc homicidium in foro conscientiae nullatenus fuerit culpabile, nec indirecte quidem voluntarium, utpote nullatenus praevisum, vacat omni culpa, consequenter et omni poena; quidquid demum sit de foro externo, in quo fortassis a judice aliqua poena afficeretur ob praesumptionem, eum aliquam culpam saltem juridicam admisse.[1]) Cf. §. 59. n. 2.

4. — *Florianus ira excandescens graviter percutit aliquem virum ignorans, illum esse sacerdotem; sed ita animo dispositus est, ut si sciret, etiam percuteret.*

---

[1]) Elbel: De act. hum. Confer. II. n. 46. et 47.

Hinc quaeritur: An Florianus sacrilegium commiserit et excommunicationem incurrerit?

Floribertus, quidam rusticus jam provectae aetatis, ut juvenis pro addiscenda christiana doctrina facile potuisset et debuisset saepius accedere conciones aut catecheses, ex quarum neglectu multa perpetravit illicita, quae tamen tunc ignoravit esse peccata, sicque nec in tribunali Poenitentiae clavibus Ecclesiae subjecit; modo autem primum in provectiori aetate constitutus idem rescit ex concionibus, quas diligenter solet frequentare. Quaeritur: An illa peccata in juventute perpetrata censeatur rusticus iste commisisse ex ignorantia vincibili adeoque culpabili, ita ut teneatur eadem tamquam sufficienter voluntaria confiteri?

Resp. *ad 1.* Florianus non est sacrilegii reus, neque excommunicationem latae sententiae incurrit. Ratio est, quia egit ex ignorantia concomitante, quae relate ad imputationem prorsus indifferenter se habet. S. Alphonsus ait: *„in ignorantia concomitante adest tantum voluntas interpretativa, quae non est vera voluntas.“* [1]) Cf. supra n. 2. Princ. II. Nec Deus imputat homini peccata, quae faceret, si hoc vel illud in ejus mentem inciderit, sed divinae gratiae adscribendum est, quod id animo non incidat, sicut ex s. Augustino observat Suarez.[2])

Quid vero dicendum, si quis hominem percutit, dum jam dubitat, an ille sit sacerdos? — Tunc profecto sacrilegium committit atque excommunicationem incurrit,[3]) ut liquet ex doctrina de conscientia dubia §. 73. n. 4.

Resp. *ad 2.* conformiter dictis n. 1. et 2., nimirum si Floriberto periculum errandi graviter, saltem in confuso, et consequenter obligatio per conciones et catecheses publicas errores deponendi jam in juventute inciderint, resolvitur affirmative, secus negative. Verum practice loquendo vix ac ne vix quidem praesumi potest, quod per longius tempus nullum conscientiae nullumque gratiae motum senserit ad instructiones religiosas frequentandas.

5. — *Camillo dominica elapsa incidit prudens dubitatio, an forte hodierna die sit jejunandum. At vero hodie nihil amplius cogitans de illa obligatione carnem manducat. Num peccare censendus est?*

Resp. Camillus cum dubitaverit de obligatione jejunii, veritatem inquirere debuisset, quod cum, ut supponitur, non fecerit, ipsius ignorantia denominanda est culpabilis, quam proinde confiteri tenetur; tota enim imputabilitas ignorantiae vel erroris fundatur in negligentia inquirendi veritatem, quam quis scire potest et scire tenetur. An ergo omissio jejunii ipsi imputabilis est ad culpam? Profecto, si ignorantia culpabilis causabat omissionem; quod praesumi debet, si alia ratio non resciatur, quia erat causa de se efficax transgressionis; secus vero, si omissio sequebatur aliunde, et eodem modo e. g. ex memoria valde labili, evenisset, quamvis adfuisset culpa in inquisitione neglecta.[4]) — *Quid si proposuisset alios interrogare, attamen cum non statim interrogaret, hujus rei postea esset oblitus?* Distinguendum est: aut periculum oblivionis praevidit aut non; in priori casu omissio culpabilis est, secus in casu posteriori.

6. — *Jucundus sacerdos approbatus pro excipiendis fidelium confessionibus experitur scientiam suam ad id officium rite obeundum tenuem et insufficientem esse, pergit tamen audire confessiones; et quia negligit studium, varios committit errores. Deinceps ab alio quodam sacerdote graviter monitus serio ad studium Theologiae moralis incumbit; cum tamen ministerium sacrum penitus intermittere nequeat, quando-*

[1]) Lib. VII. n. 275. sub. 4.

[2]) Tom. II. de Religione Lib. III. de juram. cap. 7. n. 6.

[3]) S. Alph.: Lib. VII. n. 275.

[4]) La Croix: Theol. mor. Lib. I. n. 758.

que adhuc in confessionibus audiendis errat. Hinc quaeritur: 1. An errores illi sacerdoti sint imputandi ad culpam; et 2. An in singulis graviter peccaverit?

Resp. *ad 1.* Errores, quos commiserat, antequam studio diligenter vacaret, Jucundo certe veniunt imputandi ad culpam, quia prodierunt ex ignorantia culpabili, quandoquidem novit defectum scientiae et tamen studium neglexit. Non vero ipsi imputandi sunt ad culpam illi errores, quos postea studio jam adhibito commisit, quia cum negligentiam efficaciter retractaverit seu emendaverit, illi non amplius sunt voluntarii in causa.[1]) Cf §. 91. n. 3. Nec opponere valet, quod administrationem Sacramenti omittere debuit, usquedum scientiam necessariam sibi acquisiverit; etenim ex suppositione non potuit non confessiones fidelium excipere.

Apposite ex s. Alphonso[2]) notamus: Si vero quis in suo munere sufficienter antea se curavit instrui, et nihilominus in re quapiam erravit, quae munus suum respiciat aut statum, non ob negligentiam, sed ob invincibilem ignorantiam vel invincibilem inadvertentiam, ab omni prorsus culpa est excusandus.

R. *ad 2.* Ille sacerdos quoad priores errores (de quibus tantum quaestio esse potest) graviter peccase videtur, quia negligentia ipsius in deponenda ignorantia vix non fuit graviter culpabilis. Cf. supra n. 2.

§. 93.

De passione et concupiscentia.

A. De passione.

1. — *Passio* definitur *motus sensitivae appetendi facultatis* (appetitus sensitivi).[3]) Pro diversitate enim naturae nostrae facultas appetendi vel *sensitiva* (animalis, inferior) est, vel *rationalis* (superior, voluntas). Passio igitur est *motus,* id est commotio et veluti quidam impetus *facultatis sensualis appetendi,* ut per id discernatur ad affectionibus voluntatis seu facultatis rationalis appetendi, qualis affectio e. g. est desiderium veritatis, amor Dei, timor Dei.

2. — Passiones aliae sunt appetitus concupiscibilis, aliae appetitus irascibilis. Cum enim illae sint motus sensitivi appetitus, eodem modo dividi debent, quo et ipse appetitus. Porro hic duplex est, videlicet *concupiscibilis,* qui tendit ad bona sensibilia (delectabilia), et *irascibilis,* qui refugit mala sensibilia (ardua, molesta).

Passiones principales sunt: *desiderium, gaudium, timor* et *tristitia.*[4]) Radix omnium affectuum et passionum est *amor.* Etenim res, quae nos afficit et commovet, est vel aliquid bonum vel aliquid

[1]) La Crox: Lib. I. n. 760.

[2]) Lib. I. n. 170.

[3]) S. Augustinus: „Motus animae, quos Graeci Πάθη appellant, ex Latinis quidam, ut Cicero, perturbationes dixerunt; alii affectiones, alii affectus, quidam vero ex Graeco expressius, passiones vocant.“ De Civ. Dei Lib. IX. cap. 4. S. Thom.: 1. 2. q. 22. a. 3.

[4]) S. August. De Civit. Dei Lib. XIV. cap. 9. n. 1. In Evang. Joa. Tract. 46. n. 8. S. Thom.: 1. 2. q. 25. a. 4. c.

malum. Si bonum est, tunc motus incipit in *amore,* quo ad bonum propendemus, mox sequitur *desiderium,* illud bonum possidendi, et deinceps *gaudium* (delectatio) in bono possesso. Quodsi malum sit, motus incipit in *odio,* quo aversamur malum, dehinc procedit *timor* de malo futuro, et *tristitia* de malo praesente. Sed quod malum odimus, exinde venit, quod bonum diligimus, cui malum oppositum est, illudque vel consequi desideramus vel jam possessum retinere nitimur. Hinc omnes passiones amorem praesupponunt. [1])

Pulchre s. Franciscus Salesius scribit: „Die Liebe ist das Leben unseres Herzens, und wie die Unruhe einer Uhr allen beweglichen Theilen derselben Bewegung ertheilt, so empfängt auch die Seele alle ihre Regungen von der Liebe. Alle unsere Neigungen folgen unserer Liebe; und je nachdem unsere Liebe ist, ist unser Verlangen, unsere Freude, unsere Hoffnung, Verzweiflung, Furcht, unser Muth, Hass, unsere Flucht, Traurigkeit, unser Zorn und unser Sieg. — — Wie Jacob und Esau in dem Leibe ihrer Mutter, also liegen die Liebe Gottes und die Eigenliebe in unserem Herzen. — Es scheint gleichsam, als sagte Gott der Seele, was der Rebecca gesagt ward: *„„Zwei Nationen sind in deinem Leibe eingeschlossen, und zwei Völker werden aus deinem Schosse hervorgehen; Eines dieser Völker wird das andere überwinden, und das ältere wird dem jüngeren dienen.““* (1. Mos. 25, 23.) Nur zwei Kinder trug Rebecca in ihrem Schosse; weil aber aus denselben zwei Völker entstehen sollten, so ward von ihr gesagt, zwei Nationen wären in ihrem Leibe verschlossen. So hat auch die Seele zweierlei Liebe in ihrem Herzen, und daher auch zwei Völkerschaften von Regungen, Affecten und Leidenschaften. Und wie die beiden Kinder der Rebecca durch ihre entgegengesetzten Wendungen ihrer Mutter grosse Schmerzen und Krämpfe verursachten, so erweckt auch diese zweifache Liebe grossen Schmerz in unserer Seele. Der Rebecca wird gesagt, der älteste werde dem jüngeren dienen; auf gleiche Weise erging auch wegen dieser zweifachen Liebe unseres Herzens der Befehl an die Seele, die sinnliche Liebe solle der geistigen, das heisst, die Eigenliebe sollte der Liebe Gottes dienen.“ [2])

3. — Quantum ad imputationem moralem probe observandum est, passionem omnem in antecedentem et consequentem dispesci. *Antecedens* dicitur, quae rationem et voluntatem praecurrit, ut e. g. involuntarii motus tristitiae vel timoris; *consequens,* quae per voluntatem excitatur, ut opus ardenter et vivide peragatur, e. g. odium voluntarie excitatum ad vindictam sumendam.

PRINCIPIA.

4. — **Principium I.** Passio *antecedens,* si tanta sit, ut totaliter auferat usum rationis (ut accidit in his, qui propter amorem vel

[1]) S. Thomas: — *„omnes alii motus appetitivi praesupponunt amorem, quasi primam radicem; — omnes referuntur in amorem, sicut in primum principium.“* 1. q. 20. a. 1. c.; 1. 2. q. 25. a. 2. c. a. 3. c.; q. 27. a. 4. c.; q. 56. a. 3. ad 1.; q. 70. a. 3. c. et al.

[2]) Theot. Lib. XI. c. 20.

iram insaniunt), tollit voluntarium, et consequenter meritum et demeritum. Quodsi passio non sit tanta, ut totaliter intercipiat usum rationis, tunc tantum minuit voluntarium, et consequenter meritum et demeritum actus.

Hinc si bona passio praecedat judicium rationis, ita ut homo magis per passionem, quam per rationem moveatur ad bene agendum, hujusmodi passio diminuit bonitatem et laudem actus. [1]) Exemplum habes in judice, qui magis ex ira, quam ex rationis judicio malos terret et punit; in misericorde, qui magis ex compassione quam ex rationis vel fidei judicio pauperi eleemosynam largitur. Similiter passio antecedens minuit culpam peccati.

5. — **Principium II.** Passio *consequens* non minuit, sed auget bonitatem et peccatum, meritum et demeritum, quia actus voluntatis per hujusmodi passionem fit fortior. Et hoc modo verum est, quod ille, qui cum majori compassione facit eleemosynam, magis meretur, et qui cum majori libidine patrat peccatum, magis peccat. [2])

Hinc infertur, quod ii, qui ex prava consuetudine, quam corrigere non curant, actus prohibitos exercent, gravius peccant, quam alii, quia propensius in malum feruntur, et nullam excusationem repetere possunt ex defectu libertatis; e contra ii, qui per bonorum operum repetitionem magna facilitate bonum faciendi pollent, magis quam alii, in singulis bonis operibus merentur.

6. — Itaque illi motus sensitivi, qui passiones nuncupari consueverunt, in se mali non sunt, imo et *boni* fieri possunt, si rectam rationem et voluntatem sequantur. [3]) Non semper peccat, qui vehementer vel irascitur, vel dolet, vel timet, sed qui ultra quod exigit recta ratio in his vel illis circumstantiis irascitur, dolet, vel timet.

Porro illi animae motus seu affectus quodammodo *necessarii* sunt ad operis perfectionem; tunc enim facilius homo bene operatur, cum uterque appetitus, sensualis et rationalis, consentit in bono opere, et ideo saepe expedit excitare hos motus, qui sunt veluti igniculi quidam accendentes virtutem, ut Plato dixit, et veluti milites juvantes ducem, seu ut arma virtutum, ut Aristoteles dicere solebat, propter

[1]) S. Thomas: 1. 2. q. 73. a. 6.; q. 77. a. 2. 6. et 7.; q. 59. a. 2. ad 3.

[2]) Idem: De malo q. 3. a. 11.; 1. 2. q. 77. a. 6. ad 2.

[3]) S. Augustinus: „Cum rectam rationem sequantur istae affectiones, quando ubi oportet, adhibentur, quis eas tunc morbos seu vitiosas passiones audeat dicere? De Civit. Dei Lib. XIV. cap. 9. n. 3.

quod Plutarch dixit, non esse sapientis, affectus radicitus evellere, quia neque potest, neque expedit, sed ordinem eis praescribere.[1])

Optime s. Bernardus: „*Neque hoc dico, ut sine affectione simus, et corde arido solas moveamus manus ad opera. Legi inter alia, quae scribit Apostolus magna et gravia hominum mala, hoc quoque adnumeratum: sine affectione* (Rom. 1, 31.) *scilicet esse. Sed est affectio, quam caro gignit; et est, quam ratio regit; et est, quam condit sapientia. Prima est, quam Apostolus dicit legi Dei non esse subjectam, nec esse posse: secunda, quam perhibet e regione consentientem legi Dei quoniam bona est: nec dubium, distare inter se contentiosam et consentaneam. Longe vero tertia ab utraque distat, quae et gustat et sapit, quoniam suavis est Dominus, primam eliminans, secundam remunerans. Nam prima quidem dulcis, sed turpis; secunda sicca, sed fortis, ultima pinguis et suavis est.*“ [2])

* S. Augustinus: De Civitate Dei Lib. XIV. cap. 8. et 9. (De tribus perturbationibus, quas in animo sapientis Stoici esse voluerunt. De perturbationibus animi, quarum affectus rectos habet vita justorum.) (Op. Tom. VII.) S. Thomas: Summa Theologica 1. 2. q. 22—25. (De passionibus in generali); q. 26—56. (De passionibus animae in speciali); q. 77. (de causa peccati ex parte appetitus sensitivi.) Suarez: Comment. in primam secundae d. Thomae Tract. IV. Disp. I. (de passionibus) continens duodecim sectiones. Tract. II. Disp. III. Sect. 3. et 4. (utrum concupiscentia augeat, an minuat voluntarium). Vasquez: Comment. in primam secundae s. Thomae Disp. 28. cap. 1. et sq. Laymann: Theologia moralis Lib. I. Tr. II. cap. 5. Nicolaus Lancicius S. J.: Opusculum IV. de humanarum possionum dominio. (Opusculorum spiritualium Tom. I. Ingolstadii 1724.) Billuart O. P.: Cursus Theologiae juxta mentem s. Thomae. Tract. de passionibus et virtutibus Dissert. I. (Wirceburgi 1758. Tom. V.) Antonius Goudin O. P.: Philosophia juxta inconcussa tutissimaque d. Thomae dogmata. Tom. IV. Ethica. Quaest. III. (Edit. novissima Urbeveteri 1860.) Card. Th. Gousset: Moraltheologie zum Gebrauche der Pfarrer und Beichtväter, I. B. n. 21—24. (Uebers. Aachen 1851.)

B. De concupiscentia.

7. — Disseruimus hactenus de motibus appetitus sensitivi ad bonum et malum indifferentibus. Modo necessaria pro scopo nostro exponemus de concupiscentia,[3]) prouti est propensio, bona sensualia contra ordinem rationis appetendi, — pravarum passionum fomes, omnium malorum fons et origo. Jac. 1, 14.; 4, 1.

---

[1]) Suarez: De passionibus Sect. II n. 2.

[2]) In Cant. Serm. 50. n. 4.

[3]) Sequimur in hac rei divisione auctorem Gury.

Distinguuntur concupiscentiae motus *primo primi,* qui sine ullo voluntatis consensu habentur, et *secundo primi,* quibus semiplenus voluntatis consensus subest.

PRINCIPIA.

8. — **Principium I.** Concupiscentia non est peccatum, nec nocere potest non consentientibus, imo coronabitur ille, qui adversus eam legitime certaverit. Concil. Trid. Sess. V. c. 5. de pecc. orig.

Principium II. Motus *primo primi* concupiscentiae omni culpa vacant, quia non sunt voluntarii. Motus *secundo primi,* cum aliqualiter sint voluntarii, ad culpam aliquam imputandi veniunt, sed in qualibet materia, etiam gravi, peccatum veniale non excedunt.[1])

Principium III. Concupiscentiae motibus post rationis advertentiam *positive* resisti debet saltem per aliquem displicentiae actum; nec sufficit generatim, *negative* seu neutraliter se habere, etiamsi abesse videatur periculum consensus. Id potissime valet quoad motus concupiscentiae in re venerea, qui ne praetextu quidem luctae et exercitii virtutis retineri possunt. Non tamen excedit veniale peccatum, in motibus concupiscentiae se negative seu permissive habere, dummodo periculum consensus non sit proximum. Nullumque committitur peccatum, si adsit causa rationabilis se permissive habendi, puta, si tentatio provenit ex aliqua actione necessaria vel utili, si tentatio diu durat, si per conatum resistendi non depellitur; tunc satis est dare operam, ne tentationi consentiatur.[2])

Nulla obligatio datur, carnales motus *directe* oppugnandi,[3]) cum talis agendi ratio subinde illos magis excitet; quod idem valet quoad motus contra fidem et charitatem; tunc igitur melius est, mentem ad alia convertere.

Ad mentem a consensu praeservandam prodest de passione Jesu Christi vel de poenis inferni vel de morte cogitare. Magis vero expediet, imo necessarium erit ad orationem confugere, et praeprimis veneranda et potentissima nomina *Jesu* et *Mariae* pluries et confidenter invocare. Maxime etiam juvabit, ferventem actum amoris erga

---

[1]) S. Alph.: De act. hum. n. XXV.

[2]) Idem: Lib. II. n. 6. et 9. H. A. Tract. III. n. 44. La Croix: Lib. V. n. 109—111.

[3]) i. e. his tentationibus per actus iisdem oppositos voluntatis obsistendi, quasi manu cum eis conflictandi. S. Alph. H. A. Tract. III. n. 43.

Deum elicere cum firmo proposito, mortem potius subeundi, quam peccandi. Sufficit etiam tempore tentationum animum ad alia divertere, cum hoc etiam sit positive resistere. Et si motus sint leves, melius erit eos plane contemnere sine positiva resistentia. [1])

* S. Alphonsus: Theologia moralis, de actibus humanis n. XXIII—XXV. Lib. II. n. 6—9. — La Croix: Theologia moralis Lib. V. n. 71—75., 109—112. Baldelli: Disputationes ex morali Theologia, Lib. I. Disp. 24.

Casus.

9. — *Felicitas diligenter vacat devotionis exercitiis, sed ad ea instituenda magis a sensibili delectatione, quam a religione movetur. Unum filium prae altero diligit ex mera sympathia, qua ad illum se trahi patitur. Irata alterum filium partim injuste, partim juste punit. Quaeritur: An haec foemina in praejactis casibus delinquat?*

Resp. *ad 1.* Impura dicenda sunt illa exercitia in se pia ratione modi, quo Felicitas eis vacare solet, nempe ob inordinatum affectum, a quo plus, quam a ductu rectae rationis ad illa peragenda movetur; etenim ut s. Thomas, cujus verba supra n. 5. retulimus, docet, *si bona passio praecedat, scilicet homo magis ex passione, quam ex judicio rationis moveatur ad agendum, talis passio diminuit bonitatem et laudem actus.*[2])

R. *ad 2.* Non passio, sed ratio recta est proxima operandi regula, atque passio ipsa, modo sit indifferens, tunc recta et honesta evadit, quando rectam rationem sequitur, coll. n. 6. Hinc si sympathia in hoc casu rectae rationi non sit attemperata, ita ut absque rationabili causa adeoque affectu inordinato mulier illa unum filium magis ceteris diligat, uni prae aliis faveat, justo remissius erga illum, aequo durius erga ceteros agat, tunc multipliciter peccat, nempe ob inordinatum amorem et tristia mala, quae inde copiose dimanant.

R. *ad 3.* conformiter dictis n. 4. 5. et 6: Si absque rationabili et sufficienti causa ex irae impetu punit, profecto peccat, quia tunc passio irae est inordinata respectu *objecti*, adeoque peccatum. Quodsi suppetente justa causa magis ex ira, quam ex judicio rationis puniat, culpa non vacat ob *modum* irascendi; quia passio non praevalere, sed subesse debet rationi. Postremo si illa mulier punit, *quando et sicuti oportet*, adhibens iram moderatam ad correctionem efficacius exequendam, peccatum non committit; passio enim sequens, *quasi ex ratione imperata, adjuvat ad exequendum imperium rationis*, Doctor Angelicus dicit.[3])

10. — *Anatolius, bibulus satis notus, desiderium vini excitare solet, ut intemperantius fortiusque bibat. Vindictae pariter studiosus vinum bibendo cupiditatem in se accendit, ulciscendi injuriam, quam perperam existimat ab alio sibi esse illatam. Ex consuetudine per longum tempus continuata turpia patrat, non tamen gravia esse illa peccata arbitratur, cum vehementissimis tentationibus fere continuo agitetur. Demum ex passione gravissimae tristitiae suspendio mortem sibi infert. Quaeritur: Quid ratione imputationis de factis expositis sit judicandum?*

Resp. Cum passio consequens non diminuat, sed augeat voluntarium et peccatum coll. n. 5., ideo Anatolius tum desiderium vini excitando ad immoderatius bibendum, tum vinum bibendo ad injustam vindictam alacrius exequendam culpam aggravavit. Pari rationi imputabilitas turpium peccatorum, quae ex diuturna consuetudine commisit, nequaquam diminuitur ob tentationes vehementissimas, quibus jactabatur; ipse enim infrenatae libidini indulgendo sibi imposuit catenas, quas admodum difficulter disrumpere potuit, ipse proclivitatem ad turpia patranda consuetudine continuata auxit.

Quod postremo quaestionem de imputatione suicidii attinet, distinguendum est. Videlicet a) Causa tristitiae potuit esse *voluntaria*, e. g. in ipsa vita flagitiosa diutius protracta; in quo casu autochiria exinde secuta Anatolio erit imputanda ad peccatum, si ejusdem periculum saltem in confuso praeviderit; et hoc valet, etiamsi tristitia omnem rationis usum absorbuerit, quia autochiria est voluntaria in sua causa. — b) Si vero causa tristitiae non fuerit voluntaria, vel naturalis, e. g. si ex aegritudine incidit in passionem tristitiae, tunc *aut* tam subita tantaque tristitia fuit, ut omnem deliberationem antecesserit et usum rationis totaliter impediverit, quo in causa suicidium ad culpam ipsi imputari nequiret;[1]) *aut* tam gravis tristitia non fuit, ut totaliter interceperit usum rationis; in qua suppositione profecto culpabile dicendum nefarium facinus, sed minus, quam si ex plena deliberatione processisset; tunc enim, ut verbis d. Thomae utar, „ratio poterat passionem excludere.“ [1]) Cf. etiam dicta n. 4.

11. — *Caecilia inter alia confitetur: 1. Semel ab homine ignoto in gravem iram incitata sum; 2. ambulans per urbem curiose aspexi imagines obscoenas, insurgentibus tamen motibus consensum denegavi; 3. dum naturaliter mihi incidit cogitatio de re quapiam turpi, et inde sensitiva delectatio, eam repellere neglexi. Quid de his judicabit confessarius?*

Resp. *ad 1.* Si motus irae fuerint primo primi, nullatenus peccavit, alias venialiter.

R. *ad 2.* Graviter peccavit, si picturae fuerint valde obscoenae et aspectus de proposito et cum mora factus sit, quia sine ratione posuit causam turpium motuum, et periculum gravius labendi incurrit. Secus vero, si picturae non fuerint ita comparatae et aspectus obiter evenerit.[3])

R. *ad 3.* Peccavit, se negative habendo quoad cogitationes turpes et delectationes sensitivas inde enascentes; debuit enim saltem actum displicentiae elicere et cogitationes alio divertere. Non tamen graviter peccavit secluso periculo consensus. Cf. n. 8.

---

[1]) Idem Lib. II. n. 8.

[2]) 1. 2. q. 77. a. 6. ad 2.

[3]) I. 2. q. 59. a. 2. ad 3.

[1]) Ad rem Laymann observat: „— in vehementissima passione. v. g. irae, tristitiae, fieri potest, intellectum adeo perturbatum esse, ut objectum non proponat cum omnibus circumstantiis in utramque partem indifferenter ostensis, sed cum determinatione ad id, quo passio inclinat, exhibitis solum rationibus, quae in eam partem tendunt: hoc casu voluntas non agit libere, sed naturaliter ac necessario, adeoque non peccat. Confirmatur: Amentes et ebrii ideo libere non agunt, quia sensus internos perturbatos habent, quae perturbatio redundat in intellectum. Sed in vehementissima passione irae, tristitiae etc. sensus interni valde perturbari possunt; quae perturbatio similiter in intellectum redundat.“ Lib. I. Tract. II. cap. 5. n. 3.

[2]) 1. 2. q. 77. a. 7.

[3]) S. Alph.: Lib. IV. n. 424. Voit: De act. human. cap. 8. cas. 3.

§. 94.

De metu.

1. — *Metus est trepidatio mentis ob aliquod malum instans vel futurum.*[1])

Metus sic communiter deviditur:

1. Ratione causae, a qua incutitur, est vel *intrinsecus,* qui provenit a causa interna, v. c. morbo, mentis infirmitate, vel *extrinsecus,* qui excitatur a causa externa, et quidem aut libera, nempe ab homine, aut necessaria seu naturali, ut e. g. ab elementis.

2. Ratione modi, quo incutitur, est aut *justus* aut *injustus,* prouti ex causa justa e. g. poenarum aeternarum, vel injusta, id est per injuriam incutitur.

3. Ratione mali, quod timetur, est vel *gravis* vel *levis,* prout timetur vel grave malum, e. g. mors, carcer, notabile famae detrimentum, magna bonorum fortunae jactura, vel leve malum, ut amissio rei levis, exiguum famae vel honoris detrimentum.[2])

Attendendus etiam metus *reverentialis,* qui habetur, quando quis timet, ne parentes suos aut superiores offendat. Potest esse vel justus vel injustus pro conditione causae, ex qua oritur. Ad metum levem per se refertur, attamen gravis tunc est, quando filius vel subditus prudenter timet, ne diuturnam indignationem aut vexationem a parentibus suis vel superioribus patiatur.[3])

Loquimur autem ratione imputationis moralis de eo, qui agit *ex* metu tamquam causa movente ad agendum, non autem de eo, qui agit *cum* metu concomitante qui certe non causat involuntarium.[4])

PRINCIPIA.

2. — **Principium I.** Metus *levis* nec tollit, nec minuit voluntarium, quia nec intellectus cognitionem neque voluntatis electionem notabiliter laedit; ac praeterea facile depelli vel saltem contemni potest.[5])

[1]) S. Alph.: De actib. hum. n. XX.

[2]) Ad gravem metum secundum s. Alphonsum: H. A. Tract. III. n. 16. requiritur: 1. ut malum sit probabiliter imminens, 2. ut non possit vitari, et 3. ut sit magni momenti saltem respective ad personas, uti ad foeminas, filiosfamilias, pupillos, subditos etc.; pueros enim et mulieres vehementer concutit, quod viros ne leviter quidem tangit. Metus gravis etiam dicitur *cadens in virum constantem.*

[3]) S. Alph.: H. A. Tract. III. n. 16. Theol. mor. Lib. IV. n. 717. v. *Idem autem.* Elbel: De act. hum. Conf. I. n. 30. La Croix et alii plures.

[4]) S. Alph.: De actib. hum. n. XX.

[5]) Idem. Lib IV. n. 718. La Croix: Lib. III. P. 2. n. 631.

Principium II. Metus *gravis* regulariter loquendo non tollit *voluntarium* absolute, quia, ut Doctor Angelicus dicit, in eo quod per metum fit, voluntas agit ad vitandum malum, quod timetur.[1]) Hinc ut apostatae semper habiti sunt christiani, qui metu suppliciorum Christum negarunt, thus idolis obtulerunt etc. Attamen metus gravis causat *involuntarium secundum quid,* et ideo minuit culpae gravitatem. Ratio est, quia cum quis solo metu ad agendum impellitur, minori voluntatis propensione operatur. Hinc s. Ambrosius Apostolum Petrum in Domini negatione excusat per gravem metum, quem perpessus est in domo principis sacerdotum.[2])

Quodsi in casu peculiari metus gravis subito incussus rationis usum auferat, actus nullo modo voluntarius adeoque imputabilis esse potest, ut patet.

Ceterum hic recolendum, quod supra §. 63. n. 3. expositum jam est, quod nimirum metus gravis (seu grave incommodum timendum) excusat a lege humana, secluso societatis damno et religionis odio, quandoque a praecepto positivo divino, imo et a praecepto affirmativo legis naturalis; quam ob rem si quis ex metu gravi et proportionato hujusmodi praecepta negligit, non peccat, cum haec cum tanto incommodo non obstringant.

3. — **Principium III.** Metus gravis, licet injustus sit, per se *non invalidos reddit actus* inde provenientes, quia, ut probatum est, metus non tollit voluntarium. Hinc contractus, qui fiunt ex metu gravi, de jure naturali sunt validi, quia simpliciter voluntarii. Sed hujusmodi contractus per metum injustum initi ad vindicandam

[1]) 1. 2. q. 6. a. 6., ubi ad 1. dicit: „— *id, quod per metum agitur, fit voluntarium ideo, quia motus voluntatis fertur in id, licet non propter seipsum, sed propter aliud, scilicet ad repellendum malum, quod timetur: sufficit enim ad rationem voluntarii, quod sit propter aliud voluntarium: voluntarium enim est, non solum quod propter seipsum volumus, ut finem, sed etiam, quod propter aliud volumus, ut propter finem: patet ergo, quod in eo, — — — quod per metum agitur, voluntas aliquid agit.*“ S. Augustinus hoc sensu ait: „*si subtilius advertamus, etiam quod quisque invitus facere dicitur, si faciat, voluntate facit.*“ De spiritu et litera cap. 31. Pulchre eandem veritatem explanat s. Bernardus in op.: De gratia et libero arbitrio cap. 12.

[2]) Comm. in Evang. Luc. Lib. X. c. 22.: „Ubi negat Petrus? non in monte, non in templo, in sua domo, sed in praetorio Judaeorum, in domo principis sacerdotum. — Ibi negat, ubi Christus captus, ubi Christus ligatus est. — Male Eva induxit Adam, male Petrum introduxit foemina. Sed ille in paradiso labitur, ubi non veniabilis culpa, hic in praetorio Judaeorum, ubi difficilis innocentia.“

injuriam rescindi possunt.[1]) De jure tamen positivo aliqui contractus ob metum gravem et injuste incussum ipso facto irriti sunt, de quibus serius opportune dicetur.

* S. Bernardus: De gratia et libero arbitrio cap. 12. (Op. Tom. II.) S. Thomas: Summa Theologica 1. 2. q. 6. a. 6. In Lib. IV. Sent. Dist. XXIX. q. 1. a. 2. S. Alphonsus: Theologia moralis: De actibus humanis n. XX—XXIII. — Suarez: Comm. in primam secundae d. Thomae Tract. II. Disp. III. Sect. 1. et 2. Baldelli: Disputationes ex morali Theologia, cap. I. de humanis actionibus in universum Disp. 16—23. Laymann: Theologia moralis Lib. I. Tract. II. cap. 6. Sporer: Theol. mor. P. I. cap. 2. Sect. 4. Subj. 3. Reuter: Theologia moralis P. I. 18—20.

Casus.

4. — *Gratianus gravibus minis a patre suo adigitur, ut adeat certam domum, amoremque filiae in ea praedivitis sibi conciliet, offerat munuscula a patre male acquisita, ut ita illam inducat ad contrahendum secum matrimonium. Gratianus tristi experientia edoctus praevidet a puella illa certum periculum peccatorum sibi imminere, et munuscula illa scit a patre esse male acquisita; obedit tamen gravi metu impulsus, munuscula offert, et inhoneste conversatur cum puella. Quaeritur: An Gratianus patri obtemperando graviter peccasse censendus?*

Lucia, ejusdem pessimi patris filia, cum continuo fere ob suam pietatem ab illo vexationes patiatur, et graviores merito timeat, votum emittit ingrediendi ordinem s. Ursulae, ut Deo tranquille servire et perfectioni studere valeat. Quaeritur: An validum sit hoc votum?

Resp. *ad 1.* Gratianus patris sui mandato obtemperando contra legem naturalem graviter egit: in proximum enim turpia patrandi periculum se conjecit, quod et munusculis, iisque iniquis auxit; nec excusatur per metum gravem a patre sibi incussum, qui quippe nullatenus eximit a praecepto naturali negativo, quod violavit, et licet minuat peccatum, non tamen de mortali veniale facit.

R. *ad 2.* Nullam dubium, quin validum sit votum a Lucia nuncupatum, quia metus, licet gravis sit, voluntarium non tollit, et metus injuste incussus non est ad votum extorquendum.

§. 95.

De vi seu violentia.

1. — *Vis seu violentia est coactio, quae a causa extrinseca et libera alicui infertur, repugnante ejus voluntate.*

Duplex distinguitur violentia: 1. *absoluta,* si voluntas omnimode repugnat, 2. *secundum quid,* si voluntas aliquatenus tantum repugnat.[2])

[1]) S. Alph.: De actib. hum. n. XXIII. Laymann: Theol. mor. Lib. I. cap. 6. n. 8. Reiffenstuel: Theol. mor. Tom. I. Tract. I. q. 4. n. 30. et alii.

[2]) S. Alph.: De actib. humanis n. XV. et XVI. Non est violenta parvulorum justificatio, quia voluntas non repugnat.

PRINCIPIA.

2. — **Principium I.** Actus eliciti voluntatis nullatenus cogi possunt, quia voluntati, utpote liberae, vis inferri nequit. S. Thomas ait: *„Contra rationem ipsius actus voluntatis est, quod sit coactus vel violentus.“*[1]) Idem et alii omnes Doctores catholici tradunt.[2]) Actus autem imperati violentiae subjecti sunt.[3])

Principium II. Actus ex violentia *absoluta* positi nullo modo sunt imputabiles, ob defectum voluntarii.[4]) Hinc cum Paschasius ad s. Luciam dixerit: Jubebo te ad lupanar duci, ut te Spiritus sanctus deserat; sancta Virgo illi confidenter reposuit: *„Si invitam jusseris violari, castitas mihi duplicabitur ad coronam.“* S. Cyprianus refert de muliere, cognomento *Bona,* quae a marito ad sacrificandum idolis per vim trahebatur, quaeque aliis tenentibus ejus manus merito clamabat: *non ego feci, vos fecistis.*[5]) S. Augustinus loquens de mulieribus christianis, quae Roma a Gothis capta vim turpiter perpessae fuerant, infert: *„Quidquid alius de corpore vel in corpore fecerit, quod sine peccato proprio non valeat evitari, praeter culpam fit patientis.*[6]) *Si enim,* ut alio loco dicit, *homo cogitur, non vult.“*[7])

At vero illi actus externi, qui tantum ex violentia *secundum quid* ponuntur, plus minusve liberi sunt, pro majore vel minore voluntatis repugnantia, proindeque plus minusve culpabiles vel meritorii.[8]) Unde qui etiam immanioribus tormentis victi Christi fidem negarunt, semper habiti sunt apostatae.

3. — **Principium III.** Violentiae injustae resisti debet, quantum requiritur ad periculum peccati proprii, scandali, vel injuriae, quae

[1]) 1. 2. q. 6. a. 4.

[2]) S. Augustinus: Lib. V. de Civitate Dei cap. 10. S. Anselmus: De libero arbitrio cap. 6. S. Bernardus: De gratia et libero arbitrio cap. 1. n. 2. et cap. 12. S. Bonaventura: In Lib. II. Sent. Dist. XXV. a. 2. q. 4. et 5., praeterea Sententiarii omnes in l. c. Suarez: In 1. 2. Tom. II. Disp. II. Sect. 5. n. 6. et sq.

Neque ipse Deus cogit vel cogere potest voluntatem quoad actus elicitos. S. Augustin.: De correpl. et gratia cap. 12. n. 38. Contra epist. Pelagii Lib. I. cap. 20. n. 38. S. Thom.: De veritate q. 22. a. 8. Summa Th. 1. 2. q. 10. a. 4. Suarez: Disp. II. de involuntario Sect. 5.

[3]) S. Thomas: 1. 2. q. 6. a. 4.; a. 5. ad 1. Suarez: l. c.

[4]) S. Thomas: 1. 2. q. 6. a. 5. c. S. Alph.: n. XVII.

[5]) Epist. 18.

[6]) De civitate Dei Lib. I. cap. 16. v. etiam cap. 18.

[7]) Opus imperf. contra Julianum Lib. I. cap. 101. Similiter s. Bernardus: *„Si compelli valet invitus, violentus est, non voluntarius.“* De gratia et libero arbitrio cap. 1. n. 2.

[8]) S. Thom.: 1. 2. q. 6. a. 5. ad 2. S. Alphons.: De act. hum. n. XVIII.

religioni imminet, efficaciter avertendum; quia obligatio ad finem simul obligationem ad medium fini consentaneum involvit. [1]) Hinc e. g. puella graviter peccat, quae ad se liberandam a periculo turpitudinis aggressori omni modo, quo potest, non resistit. [2])

* S. Thomas: Summa Theologica 1. 2. q. 6. a. 4. et 5. S. Alphonsus: Theol. mor. de actibus humanis n. XV—XIX. Suarez: Comment. in primam secundae divi Thomae Tract. II. Disp. II. tota per 6 Sectiones. Baldelli: Disputationes ex morali Theologia, Lib. I. Disp. 14. et 15. Sporer: Theologia moralis super Decalogum Tract. I. Proëm. cap. II. Sect. 4. n. 40—44. Holzmann: Theologia moralis Tom. I. Tract. III. Disp. 1. cap. 3. a. 3. Gury: Compendium Theologiae moralis P. I. n. 20. et 21.

§. 96.

Cohortatio s. Gregorii Magni.

Doctrina de imputatione morali modo considerata animum nostrum excitando par est, ut ea tantum opera, quae divino judicio adprobantur, indefessis viribus peragendo, et praesertim, quae sunt muneris nostri, prudenter et fideliter exequendo, amplos meritorum manipulos colligamus in diem judicii, quo *omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque prout gessit sive bonum, sive malum.* [3]) Attendamus et custodiamus gravia verba, quibus pastor apostolicus s. Gregorius M. gregis dominici pastores admonuit:

„Ponamus ante oculos nostros illum tantae districtionis diem, quo judex veniet, et rationem cum servis suis, quibus talenta credidit, ponet. Ecce in majestate terribili, inter Angelorum atque Archangelorum choros videbitur. In illo tanto examine, electorum omnium et reproborum multitudo deducetur, et unusquisque quid sit operatus ostendetur. Ibi Petrus cum Judaea conversa, quam post se traxit, apparebit. Ibi Paulus conversum, ut ita dixerim, mundum ducens. Ibi Andreas post se Achaiam, ibi Joannes Asiam, Thomas Indiam, in conspectum sui regis conversam ducet. Ibi omnes Dominici gregis arietes cum animarum lucris apparebunt, qui sanctis suis praedicationibus Deo post se subditum gregem trahunt. Cum igitur tot Pastores cum gregibus suis ante aeterni Pastoris oculos venerint, nos miseri quid dicturi sumus, qui ad Dominum nostrum post negotium

[1]) Holzmann: Theol. mor.; de act. human. n. 592. Sporer, Gury etc.

[2]) De speciali hoc casu s. Alph.: Theol. mor. Lib. IV. n. 430. H. A. Tract. IX. n. 6.

[3]) 2. Cor. 5, 10.

vacui redimus, qui Pastorum nomen habuimus, et oves, quas ex nutrimento nostro debeamus ostendere, non habemus? Hic Pastores vocati sumus, et ibi gregem non ducimus. — Et per nos quidem fideles ad sanctum baptisma veniunt, nostris precibus benedicuntur, et per impositionem nostrarum manuum a Deo Spiritum sanctum percipiunt: atque ipsi ad regnum coelorum pertingunt, et ecce nos per negligentiam nostram deorsum tendimus. Ingrediuntur electi, sacerdotum manibus expiati, coelestem patriam; et sacerdotes ipsi per vitam reprobam ad inferni supplicia festinant. Cui ergo rei, cui similes dixerim sacerdotes malos, nisi aquae baptismatis, quae peccata baptizatorum diluens eos ad regnum coeleste mittit, et ipsa postea in cloacas descendit? Timeamus haec, fratres, conveniat actioni nostrae ipsum ministerium nostrum. De peccatorum nostrorum relaxatione quotidie cogitemus, ne nostra vita peccato obligata remaneat, per quam omnipotens Deus quotidie alios solvit. Consideremus sine cessatione, quid sumus, pensemus negotium nostrum, pensemus pondus, quod suscepimus. Faciamus quotidie nobiscum rationes, quas cum nostro judice habemus. Et sic debemus agere curam nostri, ut non negligamus curam proximi: ut quisquis ad nos jungitur, ex linguae nostrae sale condiatur. Cum vacantem quempiam et lubricum videmus, admonendus est, ut conjugio frenare studeat iniquitatem suam; quatenus per hoc, quod licet, discat superare, quod non licet. Cum conjugatum videmus, admonendus est, ut sic exerceat curam saeculi, ne postponat amorem Dei: sic placeat voluntati conjugis, ut non displiceat Conditori. Cum clericum videmus, admonendus est, quatenus sic vivat, ut exemplum vitae saecularibus praebeat: ne si quid in illo juste reprehenditur, ex ejus vitio ipsa religionis nostrae aestimatio gravetur. — Iste jam sanctus est, admoneatur ut crescat; ille vero adhuc iniquus est, admoneatur ut se corrigat: quatenus quisquis se ad sacerdotem junxerit, sale sermonis illius conditus recedat. Haec fratres, vobiscum sollicite cogitate, haec et proximis vestris impendite: omnipotenti Deo fructum vos reddere de negotio, quod accepistis, parate. Sed ista, quae dicimus, melius apud vos orando, quam loquendo obtinebimus. Oremus: Deus, qui nos Pastores in populo vocare voluisti, praesta, quaesumus, ut hoc, quod humano ore dicimus, in tuis oculis esse valeamus. Per Dominum nostrum etc.“ [1])

[1]) In Evang. Lib. I. Homil. XVII. n. 17. et 18.

C. De moralitate actuum humanorum.

Et quidem 1. de essentia et partitione moralitatis, et 2. de ejusdem elementis.

§. 97.

De essentia et partitione moralitatis.

1. — In quolibet actu humano duplex esse distingui potest: esse physicum et esse morale. *Esse physicum* actus humani in eo consistit, quod a libera voluntate procedit. *Esse morale* actus humani non est nisi ejusdem habitudo ad ordinem moralem a Deo stabilitum. [1]) Cf. §. 21. et 22. Cumque lex aeterna ordinem hunc servari jubeat et perturbari prohibeat, porro lex aeterna nobis manifestetur per rectam rationem: ideo etiam merito dicitur moralitatem actus consistere in ejus relatione ad legem aeternam, ad rectam rationem. *Lex aeterna est primaria, ratio secundaria morum regula.* Sic omnes docent cum d. Thoma, qui ita loquitur: „*Regula voluntatis humanae est duplex: una propinqua et homogenea, scilicet ipsa ratio humana; alia vero est prima regula, scilicet lex aeterna, quae est quasi ratio Dei.*“ [2]) Porro „*quod ratio humana sit regula voluntatis humanae, ex qua ejus bonitas mensuretur, habet ex lege aeterna, quae est ratio divina: unde in Ps. 4. dicitur: Multi dicunt, quis ostendit nobis bona? Signatum est super nos lumen vultus tui; quasi diceret, lumen rationis, quod in nobis est, in tantum potest nobis ostendere bona, et nostram voluntatem regulare, in quantum est lumen vultus tui, id est a vultu tua derivatum.*“ [3])

Moralitas non consistit *in sola libertate.* Etenim moralitas actus habet rationem laudis vel vituperii, meriti vel demeriti; [4]) atqui actus non jam dignus est laude aut vituperio, quia a libera voluntate proficiscitur, sed ideo maxime, quia concordat vel repugnat ordini morali a Deo constituto, legi aeternae, rectae rationi. Hinc

[1]) S. Thomas: „Moralitas est ordo, quem ratio facit in actibus humanis, disponendo eos secundum regulas morum.“ Proëm. Ethic.

[2]) 1. 2. q. 71. a. 6.

[3]) 1. 2. q. 19. a. 4. De ratione tamquam proxima morum regula loquitur etiam s. Augustinus, dum tradit: „*Rectum factum nullo modo esse potest, quod non a recta ratione proficiscitur.*“ De utilitate credendi cap. 12.

[4]) Vid. s. Thom.: 1. 2. q. 21. a. 2. et 3.

si reflexionis defectu aut ignorantia non cogitetur illa congruentia vel discrepantia actionis cum ordine; tunc licet actus libere exerceatur, bonitatem vel malitiam non induet. Aliud enim est moralitas actus, aliud ejus entitas mere physica, ut initio praemisimus. Libertas tamen praeexigitur ad moralitatem, quia actus nequit concipi moraliter bonus vel malus, imputabilis ad praemium vel poenam, nisi a libera voluntate procedat. [1])

Non idem est *moralitas* ac *legalitas.* Haec enim in solius actionis externae conformitate cum lege consistit; illa insuper habitum et intentionem agentis spectat.

2. — Duae ab omnibus admittuntur species moralitatis: bonitas et malitia. *Bonitas* actus consistit in ejus conformitate cum morum regulis seu ordine recto; *malitia* in ejusdem conformitatis defectu, ut sat superque ex aliunde dictis constat.

Quaestio est: *An dentur actus humani indifferentes seu nec moraliter boni nec moraliter mali?*

Resp. 1. Certum est, dari actus indifferentes in *specie* (secundum suum objectum) et *in abstracto* (abstrahendo a fine et circumstantiis). Etenim reperiuntur quidam actus, qui secundum sua objecta nec conformes neque difformes sunt ordini rationis, adeoque nec boni nec mali reputandi sunt, ut e. g. ambulare, flores colligere, festucam levare etc. Hinc s. Hieronymus scripsit: „*Bonum est continentia, malum est luxuria, inter utrumque indifferens ambulare* etc.“ [2])

2. Sententia communior cum s. Thoma [3]) negat, dari actus humanos indifferentes in individuo (operante). Ratio praecipua est: actus humanus ex deliberata voluntate procedit; jam vero homo deliberate agens necessario finem aliquem sibi proponit. Porro finis intentus aut bonus, aut malus est; si bonus, tunc actus ex objecto suo indifferens, erit bonus; si malus, tunc actus erit malus. Ergo in nullo casu actus indifferens in individuo reperietur. [4]) — Id

[1]) De quibusdam erroribus circa essentiam moralitatis versantibus legi potest Plassmann: Moral des hl. Thomas. §. 148. etc. (Soest. 1861.)

[2]) Epist 89. Vid. s. Thom: 1. 2. q. 18 a. 8. S. Alph.: de act. hum. n. 41—43.

[3]) 1. 2. q. 18. n. 9.; in II. Sent. Dist. 40. a. 5. c.; de malo q. 2. a. 4. et 5.

[4]) Inter eos, qui Angelicum Doctorem sequuntur, sunt s. Alphonsus: De actib. humanis n. 44. Sylvius: Comm. in 1. 2. q. 18. a. 9. Gregorius de Valentia: Comment. Theol. in primam secundae d. Thomae Disp. II. q. 13.

vero intelligendum est de solis *actibus humanis;* evidens enim est, dari *actus hominis* indifferentes. [1])

Alii autem affirmant, dari actus humanos in concreto indifferentes. [2]) Ratio eorum est, quia nulla datur obligatio referendi quemlibet actum in finem honestum, ergo potest dari actus indifferens in individuo. — Sed missa interim suppositione, quae inferius refelletur, plane fieri nequit, ut homo deliberate agens finem aliquem non intendat. Finis porro ab operante intentus vel honestus est, vel non; ergo actus aut bonus, aut malus. Nec valet effugium: Ratio potest actum ad finem indifferentem ordinare. Nihil enim potest rationem finis habere, nisi quatenus bonum est. (Cf. §. 92. n. 2.) Hoc autem vel sensuale vel honestum, apparens aut verum est. Atqui bonum sensuale et apparens per se tamquam finem intendere, inhonestum est; bonum verum et honestum ut finem appetere, honestum est; ergo non datur actus indifferens humanus in concreto. [3])

§. 98.

De moralitatis elementis.

1. — Elementa moralitatis ea nuncupantur, ex quibus bonitas et malitia moralis actuum humanorum componuntur.

Tria moralitatis elementa numerantur, scilicet: 1. objectum actus, 2. finis operantis et 3. circumstantiae actus.

Punct. 6. Suarez: Comm. in 1. 2. Tract. III. Disp. IX. Sect. 3. Durandus: In II. Sent. Dist. 40. q. 1. Bellarmin, Becanus, Laymann, La Croix, Collet, Mazzotta, — recentissime omnes.

[1]) Hinc per excessum erravit scriptor protestanticus Adolphus Wuttke sic scribens: „Es gibt in dem ganzen Leben des Menschen keinen sittlich gleichgültigen Augenblick oder Zustand. — Der Geist schläft nicht: auch der schlummernde Geist ist sittlich, kann heilig sein und unrein. Des Heiligen Seele kann nichts Unheiliges träumen, — und der Traum ist ein unwillkommener Spiegel eines unreinen Herzens. Jede Meinung von sittlich gleichgültigen Lebensmomenten ist widersittlich.“ Handbuch der christl. Sittenlehre I. B. S. 310. Berlin 1851.

[2]) Hanc sententium praeter alios tuentur Gabriel: in II. Sent. Dist. 41. a. 1. concl. 1. Ocham.: in 1. q. 1. D. 1. Reiffenstuel: Theol. mor. Tom. I. Tract. I. Dist. II. q. 5. n. 38. et 39. cum Addit. Mass. Kresslinger et Dalmatii Kickh. Elbel: Theol. mor. Tom. I. De act. hum. Conferent. 3. n. 86. Holzmann, Reuter, Mastrius.

An Scotus eandem sententiam docuit? Expositio ipsius (in II. Dist. 41.) satis subtilis est. Suarez (in 1. 2. Tract. III. Disp. IX. Sect. 1. n. 2. et Sect. 3. n. 1.) asserit, Scotum negasse indifferentiam actuum secundum speciem, sed admisisse illam in individuo; Vasquez (in 1. 2. Disp. 217. cap. 1. n. 6.) arbitratur, Scotum affirmasse actuum indifferentiam quoad meritum vitae aeternae, non autem quoad moralem bonitatem.

[3]) Cf. s. Aug.: De peccatorum meritis et remiss. Lib. II. cap. 18. n. 30.

I. De objecto.

2. — *Objectum actus id dicitur, circa quod actus versatur.* Et est vel persona vel res, e. g. Deus est objectum actus charitatis, res aliena objectum furti.

Objectum autem hic accipitur non *physice* seu secundum suam naturam, qua semper bonum est (coll. §. 21.); sed *moraliter,* quatenus nimirum in hac vel illa actione spectatum concordat cum recto ordine et morum regulis, vel ab iisdem discordat, vel praeter illas se habet.

Hinc objectum actus moralis est vel *bonum* vel *malum* vel *indifferens.* Porro bonum et malum est tale aut *intrinsece* aut *extrinsece.* Rursus malum intrinsece est hujusmodi vel *absolute* vel *conditionate.* Quae quidem patent ex dictis §. 23.

3. — **Principium**: Omnis actus humanus ab objecto suam moralitatem, eamque primariam, desumit. Dico: 1. *ab objecto moralitatem desumit,* quia omnis actus versatur circa aliquod objectum, quod ipsi dat speciem (essentiam peculiarem). Hinc Propheta dicit: „*Facti sunt abominabiles sicut ea, quae dilexerunt.*“ Osee 9. 10, id est: mali et abominabiles facti sunt propter mala objecta, quae dilexerunt. Ex objecto igitur desumitur bonitas vel malitia actus. Quodsi objectum in se fuerit indifferens, moralitatem suam ex fine vel circumstantiis accipiet. — Dico 2: *moralitatem primariam* desumit ex objecto: etenim moralitas, quam objectum operi tribuit, ante omnem aliam concipitur, quae ex fine vel circumstantiis provenit, atque manet, quamvis ea, quae est ex fine et circumstantiis, immutetur. Sic v. g. furtum, quod quis in ecclesia committit ad se inebriandum, primario concipitur malum ratione objecti, quod est injusta ablatio rei alienae, et haec malitia furto inhaeret, etiamsi mutetur finis, qui est ebrietas, atque circumstantia, nimirum locus sacer. [1])

II. De fine.

4. — *Finis dicitur id, cujus gratia aliquid fit.* Et multiplex est:

1. *Finis operis* et *finis operantis.* Ille est, in quem actio ex natura sua et independenter a voluntate operantis tendit; qui ideo finis *intrinsecus* appellatur. Posterior est, quem operans sibi proponit; hic finis vocatur *extrinsecus,* vel *intentio* seu *motivum* ope-

---

[1]) Vid. d. Thom. 1. 2. q. 18. a. 2; q. 19. a. 1.

rantis. Sic e. g. levamen pauperis est finis intrinsecus eleemosynae; et si quis per eleemosynam intendit satisfacere pro peccatis, satisfactio haec est finis extrinsecus eleemosynae.

2. *Finis primarius* et *finis secundarius.* Ille in actum influit ceu causa motiva, hic tamquam causa impulsiva, ut e. g. esset in sacerdote, qui concionem habens principaliter intendit Dei gloriam, aliqualiter vero ad laudem eloquentiae spectat.

3. *Finis intermedius,* qui ad alium finem refertur, et *finis ultimus,* in quo voluntas quiescit. Sic e. g. homo christianus medicinam sumendo intendit sanationem, quam ad Dei gloriam refert. Possunt plures esse fines intermedii, sed unus tantum finis ultimus. [1])

5. — **Principium**: Actus humanus bonitatem vel malitiam a fine intento desumit. Ratio est, quia finis intime afficit actionem. [2]) Porro Jesus Christus dixit: „*Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit; si autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit.*“ Matth. 6, 22. 23, sed oculi nomine intentio seu finis operantis designatur.

Illationes practicae:

1. Si objectum sit bonum, et finis malus, actus totus est malus. Qui enim malo fine agit, vult bonum sub ratione mali; ideo prout est volitum ab ipso, malum est. [3]) Hinc Deo displicuit oblatio Caini utpote ex malo fine exhibita.

2. Si objectum sit malum, et finis bonus: totus actus malus erit. Ratio est, quia moralitas non tantum a fine, sed etiam, imo primarie, ab objecto dependet. Porro, ut intentio sit bona, non solum finis bonus, sed idem etiam bene, id est, sine admixtione medii mali intendi debet. [4]) Denique Apostolus damnat eos, qui

[1]) S. Thom. 1. 2. q. 1. a. 5.

[2]) S. Thomas: „Finis comparatur ad actum, ut principium vel terminus.“ 1. 2. q. 1. a. 3. ad 1. „quamvis finis sit causa extrinseca; tamen debita proportio ad finem, et relatio in ipsum inhaeret actioni.“ 1. 2. q. 18. a. 4 ad 2. S. Gregorius M.: „Bases animae, intentiones suae.“ Lib. 28. Moral. cap. 11. n. 30.

[3]) S. Thomas: 1. 2. q. 19. a. 7. S. Augustinus: „Finis, quo referuntur ea, quae facimus, id est, propter quem facimus, quidquid facimus, si non solum inculpabilis, sed etiam laudabilis fuerit, tunc demum etiam facta nostra laude aliqua digna sunt.“ De morib. Manich. Lib. II. n. 27.

[4]) S. Augustin.: De mendacio cap. 21. S. Thom.: in Lib. II. Sent. Dist. 38. q. 1. a. 2. Suarez: De bonitate et malitia human. actuum Disp. VII. Sect 9., et alii omnes. Nec obstat illud: „*si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit.*“ Etenim non est oculus simplex, sed ut ita dicam, duplex, quando ex una parte finis bonus, ex altera parte medium malum aspicitur. Vid. s. Bernard.: De praec. et dispensat. cap. 14. et 41.

dicunt: *faciamus mala, ut eveniant bona.*“ Rom. 3, 8. — Hinc s. Augustinus: *Etiam ad sempiternam salutem nullus ducendus est opitulante mendacio,* [1]) et reprobat eos, qui testamentum corrumpere vellent, ne haereditates vel legata haberent indigni. [2]) Saulus rex plurimum reprehensus est, eo quod quaedam spolia ex caede Amalec contra Dei praeceptum reservavit, licet id fecerit ob honestum finem, nempe ut ex iisdem spoliis Deo in signum gratitudinis sacrificaret, atque hostias offerret 1. Reg. 15.

Attamen finis bonus diminuit actus malitiam, ut omnes docent. Qui enim sic agit, minori affectu fertur in peccatum. S. Augustinus ait: „*In suo quippe genere aliis ejusdem generis peccatis leviora fiunt, quae bono animo videntur admitti.*“ [3]) Imo non raro omne peccatum aberit ob ignorantiam invincibilem, quae quippe in tali casu obtinere potest ob circumstantiam boni finis peccatum apparenter cohonestantem. Cf. dicta §. 32. n. 3.

3. Ubi objectum est bonum et finis bonus, actus habet duplicem bonitatem, nempe ex objecto et fine, ut e. g. dare eleemosynam in satisfactionem pro peccatis. [4])

Similiter, si objectum sit malum et finis quoque malus, actus duplicem contrahit malitiam, ut e. g. si quis furetur ad se inebriandum vel ad concubinam alendam.

4. Si objectum sit indifferens, tunc finis bonus reddit actum bonum, ut e. g. est ambulare ex obedientia, e contra finis malus facit actum malum, ut v. g. ambulare ad ostendendum luxum. [5])

Quid autem censendum, si actus duplicem finem habeat, videlicet unum bonum, alterum malum? Videndum est, utrum finis malus sit primarius, an secundarius. Videlicet a) si finis malus sit primarius, actus erit totaliter malus, quia actus ille eligitur tamquam instru-

[1]) Contra mendacium cap. 20. n. 40.

[2]) l. c. cap. 7. n. 18.

[3]) Contra mendacium cap. 8. n. 19. S. Bernardus: „Nihil incestius obscoeniusve, quam illius filias Lot paternum usurpasse concubitum; et tamen quis non videat, quantum evacuerit aut attenuaverit turpis nefandique reatum flagitii pietas intentionis, et intentio pietatis?“ De praecepto et dispensatione cap. 7. n. 13.

[4]) S. Thom.: 1. 2. q. 18. a. 7. et communiter Theologi, uno excepto Vasquez, ut testatur s. Alphonsus: De actib. hum. n. XXXVIII.

[5]) S. Alph.: de act. hum. n. XXXVIII.

mentum ad malum, ut e. g. si sacerdos principaliter ob stipendium Missam celebrat. Et hoc valet, etiamsi finis sit tantum leviter malus. b) Si finis malus sit secundarius, tunc bonitas actionis non tollitur, sed dumtaxat minuitur, quia hujusmodi finis partialiter tantum actum bonum inficit, nec substantiam ejus corrumpit; ut e. g. si sacerdos ex zelo gloriae verbum Dei annuntiat, et ipsi concionanti supervenit cogitatio vanae gloriae, cui assentit. Si secus esset, paucissimi actus boni reperirentur, cum tam facile opus bonum per circumstantiam finis leviter mali inficiari contingat.[1]) *Saepe enim,* sic conqueritur s. Gregor. M.,[2]) *intentionem nostram, dum ante Dei oculos recte incipitur, occulte subjuncta, et eam velut in itinere comprehendens, intentio humanae laudis assequitur. Sicut pro necessitate quidem cibus sumitur, sed in ipso esu, dum furtim gula subrepit, edendi delectatio permiscetur.*

Invl. tum 20.III.893.

III. De circumstantiis.

6. — *Circumstantiae dicuntur accidentales actus determinationes influentes in ejus moralitatem.*[3])

Septem communiter enumerantur circumstantiarum classes, hoc Tullii versiculo expressae:

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando?

Quis indicat qualitatem, et conditionem operantis v. g. an sacerdos, num laicus, utrum voto obstrictus, an consanguineus, an conjugatus etc.?

Quid designat quantitatem et qualitatem objecti, v. g. utrum res ablata sit sacra, an profana; an percussus sit clericus vel laicus, parens vel extraneus?

Ubi denotat qualitatem loci, an sacer, an profanus?

[1]) Quam doctrinam praeter alios Billuart, Elbel, Collet, Bouvier, Scavini, Gury, Kenrick tradunt, contra Antoine c. 3. a. 4. et alios rigidiores.

[2]) Lib. 35. Moral. in Job cap. 20. n. 49.

[3]) S. Thomas dicit: „In rebus naturalibus non invenitur tota plenitudo perfectionis, quae debetur eis ex forma substantiali, quae dat speciem; sed multum supperadditur ex supervenientibus accidentibus; sicut in homine ex figura, ex colore, et sic de aliis; quorum si aliquod desit ad decentem habitudinem, consequitur malum. Ita etiam est in actione; nam plenitudo bonitatis ejus non tota consistit in sua specie, sed aliquid additur ex his, quae adveniunt tamquam accidentia quaedam; et hujusmodi sunt circumstantiae debitae: unde si aliquid desit, quod requiratur ad debitas circumstantias, erit actio mala." 1. 2. q. 18. a. 3.

Quibus auxiliis indicat media et instrumenta operandi, v. g. an quis ipse vel per alios furtum, homicidium etc. commiserit? an mediis superstitiosis usus sit ad recuperandam sanitatem? etc.

Cur exprimit finem extrinsecum operantis, v. g. an alium occiderit ad spoliandum?

Quomodo innuit modum actionis accidentalem, v. g. utrum plena, an semiplena advertentia, an ex malitia, ex infirmitate etc. egerit?

Quando designat durationem et qualitatem temporis, e. g. an die festo, utrum mora brevi vel longa peccatum patraverit?

7. — **Principium.** Ex circumstantiis moralis actuum humanorum bonitas et malitia duplici modo provenit, quatenus aliae speciem moralitatis mutant, aliae bonitatem vel malitiam augent vel minuunt intra eandem speciem.

Dico 1.: *Aliae circumstantiae speciem mutant,* quod fieri potest dupliciter: a) dum actum aliquem ex una specie ad aliam trahunt. Sic e. g. si quis eleemosynam pauperi tribuit vanae gloriae causa: opus virtutis misericordiae mutatur in opus vitiosum inanis gloriae;[1]) — b) dum actus bonitati vel malitiae aliam bonitatem vel malitiam addunt, videlicet efficiendo, ut idem actus diversis virtutibus aut eidem virtuti diversis modis conveniat aut repugnet. Sic e. g. qui jejunat ex voto, duplicem bonitatem actui accersit, unam ex objecto, alteram ex circumstantia finis; qui rem sacram in loco sacro furatur, duplex sacrilegium committit, nempe ex objecto et ex circumstantia loci; duplex peccatum committit adulter, unum contra castitatem, alterum contra justitiam.

Dico 2.: *Aliae circumstantiae bonitatem vel malitiam actus augent vel minuunt intra eandem speciem,* seu sub eadem moralitate, quam actio ex natura sua habet. Sic v. c. major vel minor pecuniae quantitas in eleemosyna majorem vel minorem reddit eleemosynae bonitatem; gravius peccat, qui per mensem vel annum in odio perseverat, quam qui per unum diem odium fovet.

8. — Quaeritur: *An actus externus addat bonitatem vel malitiam actui interno?*

[1]) Species et facies rei sunt in moralibus quasi idem, teste La Croix: hinc consequenter illae circumstantiae, quae actui humano tribuunt quasi alienam faciem, ita ut ad earum intuitum Confessarius prudens debeat formare longe aliud ac diversum judicium, recte appellantur circumstantiae speciem mutantes. Elbel: De actib. hum. Confer. IV. n. 89.

R. Actus externus *per se* nullam actui interno bonitatem et malitiam addit. Probari potest ex s. scriptura, in qua voluntas efficax operandi pro ipso facto reputatur. Deus enim Abrahamo dixit: *„quia non pepercisti filio tuo“* (1. Mos. 22, 66), cum tamen filio suo pepercerit. Christus dixit: *„Qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam moechatus est in corde suo.“* Matth. 5, 28. Idque ipsa ratio nobis persuadet, quandoquidem actus externus nullam habet imputabilitatem propriam et distinctam ab imputabilitate actus interni. Quocirca s. Thomas ait: *„Tantum meretur, qui habet voluntatem perfectam, aliquod bonum faciendi, quantum, si faceret illud.“* [1])

Per accidens tamen actus externus plerumque auget moralitatem; etenim saepissime causa et occasio est, cur actus internus reddatur melior vel pejor, quia protrahitur et multiplicatur actus internus, donec perficiatur opus, quod statim perfici non potest; vel quia actus internus fit intensior propter arduitatem boni operis externi vel delectationem mali, aut propter longiorem durationem operis externi. Praeterea ex actu externo non raro aedificatio vel scandalum aliorum sequitur, quibus et interni actus bonitas vel malitia adaugetur. Ita Theologi communiter [2]) contra Scotistas, qui acriter contendunt, actum externum habere etiam distinctam bonitatem vel malitiam moralem, ac *per se* bonitatem vel malitiam addere actui interno. [3])

Denique advertendum, quod juxta Angelicum Doctorem ex bono actu exteriori provenit aliquod praemium accidentale, quod relate ad opera victoriae excellentis rationem habentia *aureola* nuncupatur, atque triplex est: aureola Virginum, quae de carne, aureola Martyrum, qui de mundo, et aureola Doctorum, qui de diabolo triumpharunt.

De aureolae significatione S. P. Benedictus XIV. sequentia tradit: „Conjunctio hominis cum Deo per ejus perfectam visionem et fruitionem dicitur corona aurea, sive absolute *aurea* per modum nominis substantivi, sicut corona triumphalis lauro conserta per modum nominis substantivi dicitur laurea. Porro cum beatitudini essentiali, gaudio videlicet de conjunctione cum Deo, aliud praemium accidentale addatur, id est gaudium quoddam de operibus factis, quae habent rationem victoriae excellentis, juxta doctrinam d. Thomae in IV. Sent. Dist. 49. q. 5. a. 5. gaudium hoc Aureola dicitur, quasi parva corona. *Aureola est quoddam privilegiatum praemium privilegiatae victoriae respondens.* Cumque privilegiata victoria tres quoque pugnas respiciat, pugnam scilicet contra carnem, quando nimirum pugnans victoriam obtinet abstinendo a delectationibus venereis; pugnam contra mundum, cum quis a mundo persecutionem patitur pro Christo usque ad mortem, et pugnam contra diabolum, cum aliquis hostem hunc non solum a se, sed etiam a cordibus aliorum removet, quod fit per doctrinam et praedicationem: hinc est, quod juxta doctrinam commemorati sancti Doctoris triplex datur Aureola, una Virginum, alia Martyrum, tertia Doctorum.“ [1]) Verissime s. Alphonsus tradit, B. Virginem Mariam omnibus aureolis Sanctorum perfectissime decoratam esse in coelis. [2])

[1]) In 2. Lib. Dist. 40. q. 1. a. 3. S. Gregorius M. Lib. VI. epist. 51. ad Augustinum aliosque monachos a se in Britanniam missos, scribit: *„— etsi vobiscum laborare nequeo, simul in gaudio retributionis inveniar, quia laborare scilicet volo.“* Et Hom. 27. in Evang. n. 5. dicit: *„Velle aliquid facere, jam mente facere est.“*

[2]) Consuli possunt: S. Thomas: 1. 2. q. 20. a. 4.; in II. Libr. Sent. Dist. 42. q. 1. a. 3. S. Bonaventura: In II. Lib. Sent. Dist. 40. art. 1. q. 3.; art. 2. q. 1. 2. et 3., Dist. 42. a. 2. q. 2. S. Alphonsus: De act. hum. n. 40. Suarez: De bonit. hum. act. Disp. X. Sect. I.

[3]) Scotus: Quodl. 18. a. 3. In II. Sent. Dist. 42. q. 4. Elbel: Conf. II. n. 70. Reiffenstuel: Tract. I. Dist. II. q. 4. n. 30—33. Mastrius etc.

* S. Bernardus: Lib. de Praecepto et Dispensatione cap. 14. *(De oculo simplici.)* S. Thomas: Summa Theologica 1. 2. q. 18. 19. et 20. S. Alphonsus: Theologia moralis; Tract. de actibus humanis n. XXXVI—XLIV. — Collet: Tractatus de actibus humanis cap. IV. art. 2. (de universa Theol. morali Tom. II. Ed. 7. Parisiis 1758). Reuter: Theologiae moralis Par. I. Tract. I. n. 27—52. Gury: Compendium Theologiae moralis P. I. n. 26. et sq. Martin: Lehrbuch der katholischen Moral §§. 66. u. f. Kenrick: Theologia moralis Tract. I. cap. 5. Palasthy: Theologia morum catholica P. II. Sect. I. §§. 4—9.

Casus.

9. — *Barbara saepe confitetur, ideo tamen quia id matri suae piissimae peracceptum esse novit. Quandoque una die audit plura sacra, perlubenter Rosarium recitat aliaque pia opera exercet, ne aliis minus pia et devota videatur. Quaeritur 1. An validae sint confessiones a Barbara fieri solitae? et 2. Quid de aliis ejusdem operibus censendum sit?*

Resp. *ad 1.* Quoad motivum, ex quo Barbara confiteri consuevit, accuratius *distinguendum* est: *aut* confitetur eo fine ducta, ut matri suae gaudium quodpiam adferat ex opere sacro, quod scit illi valde placere; *aut* confitetur ex impulsu vanae gloriae inde captandae. a) Si primum, tunc motivum, utpote pietatis erga matrem, per se honestum est, adeoque Barbara confessionem moraliter bonam adeoque (suppositis aliunde supponendis) validam peragit, dummodo finem altiorem non excludat, seu non ideo tantum confiteatur, ut placeat matri suae, vel altiorem finem non postponat; b) Si alterum, adhuc *subdisting.*, scilicet: *aut* finem vanae gloriae principaliter sibi praefigit et intendit, id est, eo praecise animo confitetur, ut vanam gloriam captet; et tunc confessio corrumpitur per malum finem, ex cujus intentione procedit, si quidem impossibilis est dolor verus et supernaturalis de peccatis, adeoque moraliter mala est, et consequenter nullius valoris, (hoc autem raro continget) — *aut* principaliter intendit finem moraliter bonum, ut salutem animae suae, Dei beneplacitum, et per accidens aliquo modo ducitur ex impulsu vanitatis: tunc confessio manet moraliter bona et sufficiens ad valorem Sacramenti, quia dolor poterit esse intrinsece honestus et supernaturalis de aliis

[1]) De Servorum Dei Beatif. et Beatorum Canoniz. Lib. III. cap. 15. n. 5.

[2]) Herrlichk. Mariens, B. II. Bet. 10. Uebers. von Hugues.

peccatis, et peccatum veniale vanae gloriae non pugnat cum gratia per Sacramentum causanda.[1]) Cf. n. 5.

R. *ad 2.* Similiter distinguendum est: *aut* hyprocrisis tanta est, ut tamquam motivum primarium in operando habeatur, *aut* nonnisi per accidens aliquomodo influit in actus, quos illa foemina principaliter ob finem honestum frequentat. Unde prona fit illatio, quod in primo casu male agit, omneque meritum amittit; in altero autem casu venialiter quidem peccat, sed omnem actionum bonitatem non destruit, adeoque nec omne meritum amittit.

Ceterum fideles enixe sunt admonendi, ut bonis operibus insistentes omnem circumstantiae vitiosae sordem, quantum possunt, evitare vel excutere studeant, ne forte opera, in se bona et laudabilia, per admixtionem pravi finis pedetentim totaliter corrumpantur.

10. — *Tiburtius juvenis parentibus suis varias merces subtrahere, easdemque mox pretio infimo distrahere consueverat, eo fine, ut suis postea passionibus indulgere, propinas frequentare posset etc.; cumque a parentibus suis propterea aliquoties graviter fuisset correptus, gravius inde exacerbatus coepit eisdem maledicere in faciem, imo et mortem imprecari et machinari, tum ad se liberandum a molestissimis increpationibus, tam etiam ad adipiscendam quantocyus integram haereditatem.*

Cum juxta Concilium Trident. Sess. 14. cap. 5. de Sacramento Poenitentiae illae circumstantiae in confessione explicandae sint, quae speciem peccati mutent: hinc quaeritur, an, vel quasnam circumstantias ex memoratis in confessione Tiburtius exprimere teneatur?

Resp. Tiburtius praeter numerum et speciem objectivam peccatorum tenetur etiam exponere sequentes circumstantias: 1) circumstantiam *finis*, ex quo parentibus merces subduxit, hic namque finis, nempe potandi etc. novam malitiam specificam accersit. Hinc apposite s. Alphonsus observat: „*Confessarius debet interrogare poenitentem, qui se accusat furatum esse, de fine intento; nam si intenderit hoc furto, ut pecuniam haberet ad fornicandum, tunc erit nova malitia. — Ex fine enim intento, ut dictum est, facile mutatur species malitiae.*“[2]) Tenetur exprimere 2) circumstantiam *personarum*, nempe parentum, quibus maledixit, mortem imprecatus, imo et inferre molitus est; quia hisce nedum contra charitatem et justitiam, verum etiam adversus pietatem parentibus debitam mortaliter deliquit: circumstantia igitur praedicta novam malitiam peccatis adjungit.

An vero tenetur exprimere illam circumstantiam, quod parentibus suis, non extraneis merces furatus sit? Neg. *per se loquendo*, quia furtum ut tale non pietati, sed justitiae adversatur, adeoque furtum contra parentes patratum specie non differt ab alio furto, ut La Croix[3]) observat. Dixi: *per se loquendo;* secus enim dicendum, si Tiburtius per hujusmodi furta parentes suos graviter afflixisset, quod vix non praesumendum erit, vel si eosdem periculo paupertatis aliusve gravis damni incurrendi exposuisset.[4])

Quid, si Tiburtius parentes suos diffamasset sive simplici detractione, sive calumnia, an circumstantiam personae in confessione exprimere deberet? Sane, quandoquidem haec circumstantia actui superaddit malitiam distinctam ab ea, quam praecise ex suo objecto habet.[5])

[1]) La Croix: Lib. VI. P. 2. n. 1167. et seq.
[2]) De actibus hum. n. XXXIX.
[3]) Lib. VI. Par. II. 1006.
[4]) De toto casu Elbel: De act. hum. Conf. IV. n. 99. et 100.
[5]) Elbel l. c. n. 106.

CAPUT II.

De actibus moraliter bonis, deque virtutibus in genere.

Sectio I.

De actibus moraliter bonis.

Propositum nobis est, 1. de eorum indole et divisione, 2. de eorum objecto et circumstantiis, et 3. de eorum fine scitu necessaria proferre.

§. 99.

De indole et divisione actuum moraliter bonorum.

1. — Actus humanus est moraliter bonus, si omnibus suis elementis spectatis, scilicet secundum objectum, finem et circumstantias regulae morum (legi aeternae) concordat, seu breviter: actus humanus moraliter bonus est ille, cui nihil deest ex plenitudine perfectionis sibi debitae. Unde axioma: „*Bonum causatur ex integra causa, malum ex quovis defectu.*“[1])

Hanc veritatem d. Thomas accuratius sic demonstrat: *In rebus unumquodque tantum habet de bono, quantum habet de esse, tantumque deficit a bono, quantum deficit a plenitudine essendi: bonum enim convertitur cum ente. — Sic igitur dicendum est, quod omnis actio, in quantum habet aliquid de esse, in tantum habet de bonitate; in quantum vero ei deficit aliquid de plenitudine essendi, quae debetur actioni humanae, in tantum deficit a bonitate, et sic dicitur mala.*[2]) Illa vero plenitudo essendi, per quam actio fit bona, est plena conformitas actionis proxime ad rectam rationem, remote ad legem aeternam.[3])

[1]) S. Dionys. de divin. nomin. cap. 4.
[2]) 1. 2. q. 18. a. 1.
[3]) Vide Franc. Sylvium in loc. cit. divi Thomae.

2. — Actus bonus est vel *naturalis* vel *supernaturalis*. Prior ille est, qui naturae viribus perfici potest ex motivo naturali seu per rationem cognito, e. g. obedire parentibus, diligere patriam; posterior vero, qui nonnisi auxilio divinae gratiae ex motivo supernaturali seu per fidem cognito producitur, e. g. actus fidei, charitatis.

1. Certum est de fide catholica, dari opera bona atque non peccare hominem in quoque opere bono, neque venialiter, ut Concilium Tridentinum Sess. VI. cap. 11. et can. 25. contra neotericos definivit. [1])

2. Doctrina catholica est, dari actus naturaliter bonos, contra Bajum a s. Pio V., Gregorio XIII. et Urbano VIII., contra Quesnellium a Clemente XI., adversus Synodum Pistoriensem a Pio VI. per propositionum contrariarum condemnationem declarata. [2])

3. Dogma catholicum est, dari actus supernaturaliter bonos, atque hominem non posse absque actuali Dei gratia credere et opera salutaria perficere, ut contra Pelagianorum errorem inculcavit Concilium Trident. Sess. VI. cap. 5 et can. 3.

Demonstratio harum veritatum ad Dogmaticam spectat.

§. 100.

De actuum bonorum objecto et circumstantiis.

PRINCIPIA.

1. — **Principium I.** Ut actus sit moraliter bonus, non sufficit, ut objectum sit bonum, sed ulterius requiritur, ut (saltem suboscure) sit volitum, prouti bonum est. [3]) Hinc e. g. qui jejunat ob avaritiam, actum bonum non exercet, quia bonum non intendit, quatenus bonum est; qui vero per eleemosynam saltem implicite intendit sublevare pauperem, recte agit, quia vult bonum sub ratione boni.

2. — **Principium II.** Licet ponere actionem bonam aut indifferentem, ex qua praeter effectum bonum sequitur effectus malus, modo adsit causa gravis, effectus malus saltem per bonum compensetur, et finis intentus sit honestus. [4]) Ratio hujus principii est, quia, si id non liceret, agens peccaret vel ex positione causae, vel ex intentione

[1]) V. Schwetz: Theologia dogmatica Catholica Vol. II. §. 127. Ed. 4. Viennae 1863.

[2]) Vid. Kleutgen: Die Theologie der Vorzeit. II. B. S. 238. u. f.

[3]) S. Thom.: 1. 2. q. 19. a. 7.

[4]) S. Thom.: 2. 2. q. 64. a. 7. S. Alph.: Lib. III. n. 59., et alii omnes.

finis, vel ex praevisione effectus mali. Porro nullum ex his dici potest. Etenim 1. hoc illicitum esse nequit ratione actionis, quae ponitur, siquidem bona est, vel saltem indifferens; 2. neque ratione finis, quippe qui supponitur honestus; 3. neque ex praevisione pravi effectus, quia ex suppositione malus effectus non intenditur, sed permittitur, et aliunde per bonum effectum compensatur, et quia, in hypothesi, adest gravis causa ponendi actionem. [1])

Hinc 1. licite potest bellidux ad arcendum hostem incendere domos, etsi damna patiantur incolae innocentes, item tormenta bellica contra urbem explodere, in qua praeter nocentes degunt innocentes.

2. Non peccat sacerdos, qui sanctissimum Sacramentum administrat peccatori occulto publice petenti.

3. Graviter peccat puella, ex delicto gravida, quae abortum procurat ad infamiam vitandam.

4. Licite quisque vitam suam defendere potest contra injustum aggressorem, eum quoque occidendo, si aliter se tueri non possit.

§. 101.

De fine actuum bonorum.

1. — Ad bonitatem moralem alicujus actus exigi motivum moraliter bonum, ex dictis §. 99. n. 1. constat. [2]) Praeclare s. Bonaventura ait: „*Nota, quod non bonum facere, sed bene facere, laudabile est; non enim verbis, sed adverbiis meremur.*“

Motiva honesta operandi sunt duplicis generis, alia *naturaliter* bona, alia *supernaturaliter* bona; illa per rationem, haec per fidem proponuntur.

2. — De motivis operationum partim haeretici, partim pseudophilosophi perniciosos errores tradiderunt. *Reformatores* et *Jansenistae* posuerunt, eum vitio non carere, qui timore poenarum et intuitu mercedis aeternae malum detestatur et bonum prosequitur. *Jansenistae* addiderunt, omne quod non est ex fide supernaturali, quae per dilectionem operatur, esse peccatum, porro peccatum committi, dum peccatum ob ejus turpitudinem rejicitur sine respectu ad Deum offensum. *Spinoza*, *Kant*, et recentiores *Rationalistae* omnes vociferantur, officium nonnisi propter seipsum praestandum esse sine ullo incitamento, quod nos alliciat, nec

[1]) Gury: P. I. n. 9. Bouvier etc.

[2]) Solus *Julianus* Pelagianae haeresi addictus actiones eas dixit esse honestas, quae tales essent ex objecto, non autem ex fine, qui in ipsius hypothesi operi superveniebat. Contra hanc theoriam scripsit s. Augustinus lib. IV. contra Julian. cap. 3.

spe remunerationis, aut metu poenarum, ut qui secus facit, ab honestate desciscat.[1]) Denique singulari dementia *Schopenhauer* asseruit, illas tantum actiones habere pretium morale, quae ex compassione oriuntur;[2]) dum ex adverso *Fichte* immorale esse dixit, motibus sympathiae, compassionis, amoris humani obsequi.[3]) Contra hos igitur motiva honesta operandi ostendi debent.

A. Motiva naturaliter bona:

3. — 1. Naturalis honestas virtutis seu conformitas ejus cum lege naturali, natura rationali, seu cum ordine naturae, atque turpitudo peccati consistens in repugnantia cum natura rationali seu lege naturali. Probatur ex propos. 9. ab Alexandro VIII. damnata, quae sic legitur: *Revera peccat, qui odio habet peccatum mere ob ejus turpitudinem et disconvenientiam cum natura, sine ullo ad Deum offensum respectu.* Sic e. g. virtuosum est subvenire proximo indigenti ex eo solum motivo, quod talis subventio est consentanea vinculo naturae rationalis legique naturali.[4])

2. Naturalis amor Dei, nec non amor creaturae, dummodo sit rationabilis, id est subordinatus amori Dei naturali.[5]) Quod confirmatur ex propos. 34. et 36 Bajana a s. Pio V. damnata, porro ex propos. 44. Quesnelli a Clemente XI. proscripta, nec non ex propositione 24. Synodi Pistoriensis a Pio VI. diris devota.

3. Omnis virtus moralis ordinis naturalis e. g. justitia, temperantia, obedientia constituere potest motivum honeste operandi, quod per se liquet, et insuper deduci potest ex propositione 11. ab Alexandro VIII. damnata: *Omne, quod non est ex fide christiana supernaturali, quae per dilectionem operatur, peccatum est.*

4. Spes bonorum temporalium et timor malorum temporalium, dummodo voluntas peccandi excludatur, et in temporalibus finis supremus non constituatur, sed iisdem tamquam incitamentis natura juvetur ad bonum prosequendum, turpe autem declinandum. Etenim

[1]) Vid. Denzinger: Vier Bücher von der Religiösen Erkenntniss. I. B. S. 60. u. f. Würzburg 1856.

[2]) Grundprobleme der Ethik. II. S. 208—210. 2. Aufl. Leipzig 1860.

[3]) System der Sittenlehre S. 199.

[4]) Copiose et praeclare desuper disserit Ripalda: De ente supernat. Tom. III. Lib. II. Disp. XXII. Sect. 13. n. 141. et seq. Paris. 1870.

[5]) Apposite Perrone: „Elici potest actio moralis ex amore Dei naturali. — Falsum praeterea est, omnem actionem, quae fiat ex amore mundi seu creaturae, esse vitiosam; etenim tunc solum vitiosa esset, cum eliceretur ex amore creaturae inordinato: quo sensu affirmat s. Augustinus, vitiosam esse actionem ex amore mundi aut creaturae profectam, qua e. g. ita homo in ipsa creatura haereat atque consistat, ut in fine ultimo, non autem si quis e. g. diligat parentes ex amore naturali ac ordinato.“ Praelect. theolog. Vol. VII. de gratia Christi n. 124. Plura Ripalda op. cit. Lib. I. Disp. VIII Sect. 13. n. 158. et seq.

cum bona et mala temporalia per se sint indifferentia, accedente affectu bene ordinato honeste appeti vel refugi possunt. Porro Clemens XI. hanc sub n. 62. condemnavit propositionem: *Qui a malo non abstinet nisi timore poenae, illud committit in corde suo, et jam est reus coram Deo.*

B. Motiva supernaturaliter bona:

4. — 1. Honestas virtutis et turpitudo peccati lumine fidei cognita; quatenus nimirum virtus decet christianum, filium et domesticum Dei, animam hominis nitore supernaturali exornat, hominem Christo similem reddit etc., e contrario peccatum maxime dedecet christianum, filium Dei adoptivum, et dum est mortale, nos gratia sanctificante privat, et in servitutem diaboli redigit, animam foede commaculat et diabolo similem reddit. Concilium Tridentinum Sess. 14. can. 5. contritionem, quae ex consideratione turpitudinis (supernaturalis) peccati oritur, non tantum bonam et honestam esse, sed etiam praeparare ad gratiam, contra reformatores definivit.

2. Timor gehennae et poenarum, quatenus istae ut infligendae vel inflictae a Deo justissimo vindice considerantur, dummodo voluntas peccandi excludatur. Certe si Deus ipse poenas ac supplicia minatur ad hominem a peccato retrahendum aut revocandum, timor poenarum hujusmodi bonus ac utilis censeri debet. Ideo Clemens XI. plures proscripsit Quesnelli propositiones huic doctrinae adversas. Tales sunt propos. 61. *Timor nonnisi manum cohibet, cor autem tamdiu peccato addicitur, quamdiu ab amore justitiae non ducitur.* Prop. 66. *Qui vult Deo appropinquare, nec debet ad ipsum venire cum brutalibus passionibus, neque adduci per instinctum naturalem, aut per timorem sicuti bestiae; sed per fidem et amorem, sicuti filii.* Rursum Alexander VIII. insequentem damnavit propositionem sub num. 15. *Timor gehennae non est supernaturalis.*

3. Spes beatitudinis aeternae consequendae. Si enim Deus optimus hominem creavit et redemit ad illam obtinendam beatitudinem, profecto eam sperare et appetere, bonum et laudabile dici debet. Hinc Alexander VIII. damnavit propos. 10. sic sonantem: *Intentio, qua quis detestatur malum et prosequitur bonum mere, ut coelestem obtineat gloriam, non est recta nec Deo placens;* rursus propositionem 13. praecedenti consonam censura confixit. Et Concilium Tridentinum Sess. VI. can. 31. definivit: „*Si quis dixerit, justificatum peccare, dum intuitu mercedis bene operatur, anathema sit.*“

4. Quaelibet virtus christiana potest constituere motivum operandi. Sic e. g. potest quis jejunare sive ex temperantia ad corpus mortificandum, sive ex religione ad Deum placandum, sive ex obedientia ad praeceptum implendum, sive ex charitate ad Deo placendum. Et dehinc actus, qui per se est indifferens, fit virtuosus.

5. Motivum perfectissimum est charitas, qua Deo placere cupimus, ipsi displicere timemus, atque gloriam ejus externam promovere desideramus.

Quoniam adversarii praecipue invehuntur in *timorem,* ad accuratius perspiciendum, quando sit honestus et utilis ad salutem, tres ejusdem species attendere oportet, quae sunt:

a) *Timor filialis,* quo quis a peccato abhorret, quia est malum seu offensa Dei. Nam filiorum est timere offensam patris.[1]) Hic timor intrinsece conjunctus est cum charitate, imo formalem actum charitatis erga Deum constituit.

b) *Timor servilis,* quo quis timet poenam sive temporalem, sive aeternam a Deo infligendam. Estque alius simpliciter servilis, alius serviliter servilis.

Simpliciter servilis est, quo homo timet poenam divinam secundum rectam rationem, quatenus nempe propter timorem gehennae et aliarum poenarum convertitur ad Deum et ei inhaeret,[2]) seu non solum manum, sed et voluntatem cohibet a peccato. Et hic quidem timor bonus est, ac laudabilis, ut supra probavimus. Quippe α) multum juvat peccatores, ut emergant e suis peccatis, atque ad charitatem perveniant. „*Opus est,* — dicit s. Augustinus — *ut intret timor primo, per quem veniat charitas. Timor medicamentum, caritas sanitas*“;[3]) — β) multum juvat etiam pios homines, ut adversus tentationes graviores fortiter pugnent, et charitatem Deo fideliter conservent. „*Fili, accedens ad servitutem Dei, sta in justitia, et timore, et praepara animam tuam ad tentationem.*“ Eccli 2, 1. „*In timore Domini fiducia fortitudinis, — timor Domini fons vitae ut declinent a ruina mortis.*“ Prov. 14, 25. 27.[4])

[1]) S. Thomas: 2. 2. q. 19. a. 2. c.

[2]) Idem l. c.

[3]) Tract. IX. in ep. 1. Joa. n. 4. Similiter s. Bernardus ait: „— *ut ad charitatem perveniant, initiandi sunt a timore.*“ Serm. in Dom. 1. post Oct. Epiph. n. 8.

[4]) De utilitate, quam *timor servilis* praestat charitati, non minus sapienter, quam eleganter, pro more suo disserit s. Franciscus Sales.: Theotim. Lib. XI. cap. 17., inter alia scribens: „Der grosse Patriarch Abraham sandte seinen Diener Eliezer aus, seinem einzigen Sohne Isaak eine Braut zu holen. Es ging also Eliezer dem Befehle seines Herrn zu Folge, und wählte, von himmlischer Einflössung geleitet, die schöne und keusche Rebecca, die er heimführte. Doch verliess diese edle und weise Jungfrau den Eliezer sogleich, als sie den Isaak gesehen hatte, und blieb, als sie in das Zimmer der Sara eingeführt ward, auf immer seine Gattin Oft sendet Gott die knechtliche Furcht gleich einem zweiten Eliezer aus (denn Eliezer bedeutet auch Hilfe Gottes), dass er durch sie mit der Seele wegen des Verlöbnisses unterhandle. Kommt aber dann auch die Seele unter dem Geleite der Furcht, so ist sie darum nicht gesonnen, sich mit ihr zu vermählen, denn sobald die Seele die Liebe antrifft, vereinigt sie sich mit ihr und verlässt die Furcht. — Wie aber Eliezer nach seiner Rückkehr zum Dienste des Isaak und Rebecca im Hause blieb, so bleibt auch die Furcht bei uns, nachdem sie der göttlichen Liebe uns zugeführt hat, damit sie der heiligen Liebe und der liebenden Seele bei Gelegenheit diene. Denn oft wird die, ob auch gerechte Seele von so heftigen Versuchungen bestürmt, dass die Liebe, so muthig sie immerhin ist, vollauf zu thun hat, sich wohl zu vertheidigen; da die Festung, worin sie kämpft, das menschliche Herz nämlich, wandelbar und von der heimlichen Verschwörung der Leidenschaften gefährdet ist. Und in einem solchen Falle, — verwendet die Liebe die Furcht zum Kampfe und bedient sich ihrer, den Feind zu vertreiben. — Als der tapfere Jonathas in finsterer Nacht auszog, die Philister anzugreifen, wollte er seinen Waffenträger in seiner Nähe haben; und was er selbst nicht niedermachte, erlegte dieser. Eben so bedient die Liebe bei einer grossen Heldenthat sich nicht nur ihrer eigenen Beweggründe, sondern sie verwendet auch die Gründe der knechtischen und Miethlings-Furcht; und die Versuchungen, die dann die Liebe selbst nicht erlegt, werden von der Furcht vor der Verdammniss niedergemacht u. s. w.“

Timor serviliter servilis, quo quis poenam magis timet, quam culpam seu Dei offensam, ita constitutus, ut si poena timenda non esset, peccaret, seu ille timor servilis est, qui solam manum cohibet, voluntatem autem non retrahit a peccato. Talis timor graviter malus est et omnino reprobandus, quia per illum homo se potius amat, quam Deum, imo se amat, non Deum.[1])

[1]) De *timore serviliter servili* idem Sanctus op. cit. cap. 18. praeclare scribit: „Schliesst die Furcht den Willen und die Neigung zur Sünde nicht aus, dann ist sie wahrlich böse und der Furcht der höllischen Geister ähnlich, die nicht selten nachlassen den Besessenen zu quälen, damit sie nicht selbst durch die Beschwörung gequält werden, die aber darum nicht aufhören, das Böse zu verlangen und zu wollen, auf das sie unaufhörlich sinnen. Sie gleicht der Furcht der Galeerensclaven, die ihren Aufseher zerreissen möchten, aber es nicht wagen das Ruder zu verlassen, weil sie Schläge befürchten; — und der Furcht jenes Erzketzers aus dem vorigen Jahrhunderte, der selbst bekennt, er habe Gott gehasst, weil er die Bösen strafe. Wer die Sünde liebt und sie gern gegen den Willen Gottes begehen möchte, sie aber gleichwohl einzig darum nicht begehen will, weil er fürchtet verdammt zu werden, dessen Furcht ist abscheulich und fluchwürdig; denn hat er auch nicht den Willen die Sünde zu vollbringen, so liegt das Vollbringen gleichwohl selbst in seinem Willen, da er das Böse thun möchte, wenn es keine Hölle gäbe und gleichsam nur Zwang ihn zurück hält.“

De timore, omni sub respectu considerato, omnino legas d. Thom.: 2. 2. q. 19. a. 1—6, et s. Francisc. Sales.; Theotimus Lib. XI. cap. 16. 17. et 18.

c) *Timor humanus* seu *mundanus* est, quo homo ita timet malum temporale, quod potest ab hominibus infligi, ut malit Deum offendere, quam illud incurrere. Hic certe malus est ac peccaminosus, utpote qui constituit finem in creatura amata.

5. — Quaeritur 1. *An omnis actus humanus fieri debeat ob finem honestum?*

Resp. Affirmant Thomistae, et merito quidem. Nam 1. Homo deliberate agens semper finem aliquem sibi proponit. Porro finis est bonum aut delectabile aut honestum. Jam vero propter delectationem tamquam finem postremum agere non licet, id enim proprium est brutorum et repugnat ordini naturae rationalis. Hinc relinquitur, quod propter finem honestum omnis actus humanus seu deliberatus poni debet. — 2. Jesus Christus dicit: *„omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii.“* Matth. 12, 36; est autem otiosum verbum, sanctis Patribus interpretibus, quod nullam causam rationabilem habet, seu quod nec necessarium nec utile est.[1]) Porro, si verbum absque rationabili causa et fine proferre, vitio vertitur, profecto peccatum etiam est, actionem nullo rationabili fine cohonestatam exercere. — 3. Idem ss. Patres passim docent. Sic e. g. s. Ambrosius ait: *„— omnia cum ratione facias, nihil sine ratione; quia non es irrationabilis, o homo, sed rationabilis.“*[2]) — 4. Id quoque eo confirmatur, quod Innocentius XI. damnavit subsequentes propositiones, nimirum propos. 8.: *Comedere et bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem, non est peccatum, modo non obsit valetudini; quia licite potest appetitus naturalis suis actibus frui;* atque propos. 9.: *Opus conjugii ob solam voluptatem exercitum omni penitus caret culpa et defectu veniali.* — 5. Denique haud immerito huc referri possunt Ecclesiae preces: *„Praesta, quaesumus, omnipotens Deus: ut semper rationabilia meditantes, quae tibi sunt placita, et dictis exequamur, et factis.*[3])

Notandum: 1. Omni vitio caret, agere *cum* delectatione, siquidem Deus delectationem apposuit operationi, ut homo alliciatur ad actiones necessarias et utiles exercendas. Dicit s. Thomas: *„Divinus*

[1]) S. Gregorius Magn. verbum *otiosum* esse dicit, quod *et ratione justae necessitatis et intentione piae utilitatis caret.* Lib. VII. Mor. cap. 25.; 3. part. regul. pastor. admon. 15., Homil. 6. in Evang. Similiter illud definiunt s. Basilius in regul. brev., interrog. 23., s. Hieronymus in cap. 12. Matth. S. Bernardus: *„otiosum est verbum, quod nullam rationabilem causam habet.“* De diversis Serm. 17. n. 3.

[2]) In Psalm. 118. Serm. 14. n. 23.

[3]) Dominica VI. post Epiphaniam.

intellectus, qui est institutor naturae, delectationes apposuit propter operationes.“ [1])

Nec illicitum est, agere *propter* delectationem, modo voluptas subordinetur fini honesto, seu non agatur propter *solam* delectationem. Ratio patet ex praedictis. Hinc edere, bibere, musicam audire, aliave oblectamenta quaerere propter solam voluptatem, est veniale, quia regula omnium delectabilium in hac vita secundum d. Thomam[2]) est necessitas aliqua hujus vitae, vel utilitas, vel convenientia; ergo si tales actus delectationis quaerantur vel habeantur sistendo in tali delectatione, agitur contra ordinem rationis et naturae. Si vero hujusmodi delectabilia referantur ad reficiendam vel recreandam naturam, nihil peccatur, quia omnino ordinate agitur.[4])

2. Opus ad finem honestum sufficienter dirigitur, si quis actum suum ceu rectae rationi consonum apprehendat seu etiam, si nihil in actione ordini rationis contrarium inveniat. Sic e. g. cibo, ludo, quiete honeste delectaris, si apprehendas te modum naturae rationali consentaneum servare, licet de cibi, ludi, quietis fine intrinseco sive ulteriori expresse non cogites.[4])

6. — Doctrinae praestitutae *Scotistae* aliique sequentia objiciunt: 1. Actus nequit dici malus, qui tantum ad aliquam naturae commoditatem refertur; in delectatione namque sensibili sistere tamquam in fine, non est quid inordinatum, quando delectatio est finis a natura rebus inditus, ut est delectatio aurium ex musica, narium ex odore etc. . . . 2. Homines etiam virtutis studiosi non agnoscunt, neque experiuntur in se necessitatem, communes ac leves actiones, ut pedem vel manum movere etc. referendi ad aliquem finem honestum, neque, si id omittant, culpae sibimet tribuunt. 3. Lex illa, si existeret, nimis difficilis esset, et operantem innumeris exponeret periculis peccandi.

Sed dicendum ad 1. Actus humanus, qui fit propter commoditatem naturae, honestus est, si reguletur recta ratione, *conc.*, in alia hypothesi, *neg.* Delectatio sensibilis e. g. ex musica, odore etc. proveniens non est finis hujusmodi rebus inditus et a Deo praestitutus, sed est effectus, qui ut alia quaevis delectatio juxta ordinem a Deo, naturae auctore, statutum tamquam medium adhiberi debet ad finem moraliter bonum e. g. ad honestam recreationem; quam ob rem in tali delectatione ut in fine sistere, ordini naturae repugnat. *„Cum homo sit rationalis* — ita s. Alphonsus, — *tenetur quidquid operatur, ordinare alicui fini honesto, quod omittendo, culpae ei verti hoc debet.“*[5])

Ad 2. Id accidit, quia hujusmodi actus communiter sine deliberatione et advertentia fiunt, adeoque non sunt actus humani.

[1]) 1. 2. q. 4. a. 2.; q. 33. a. 4. et al.

[2]) 2. 2. q. 141. a. 6.

[3]) La Croix: Theol. mor. Lib. V. n. 312. 313. et 314.

[4]) Ballerini in Annotat. ad Compendium Theol. mor. auctore Joa. P. Gury. Ed. 17. Romae 1866. pag. 30.

[5]) H. A. Tract. III. n. 21. — Suarez: De act. hum. Disp. IX. Sect. III. n. 9. Lugo: De Sacramento Poenit. Disp. XVI. Sect. III. n. 103.

Ad 3. Obligatio illa, quam adstruximus, nimis difficilis ac coarctans conscientiam dici non potest, quandoquidem implicita et virtualis relatio actuum humanorum ad honestum aliquem finem jam sufficiens communiter reputatur. Dicit s. Alphonsus: *„Non requiritur quippe actualis relatio omnium sive verborum sive operum in bonum honestum; quod esset importabile pondus et res sexcentis implexa scrupulis, sed sufficit virtualis: unde quamvis aliquis accedens ad mensam, non cogitat de conservatione vitae, sed solum de cibi delectatione, ut ait Gonet, non propterea peccat, quia talem delectationem saltem virtualiter vult propter conservationem vitae sicque non inordinate illam appetit.“* [1])

7. — Quaeritur 2. *An teneamur omnes actus nostros ad Deum referre?*

Resp. Adest praeceptum, quo tenemur omnes actiones deliberatas in Deum referre. Etenim Apostolus ait: *„Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.“* 1. Cor. 10, 31. Atque rursus: *„Omne quodcunque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini Jesu Christi, gratia agentes Deo et Patri per ipsum.“* Coloss. 3, 17. Quibus verbis non merum consilium, sed praeceptum contineri Ecclesiae Patres communiter docent; hinc s. Thomas [2]) scribit: *Quidam dicunt, quod hoc est consilium, sed hoc non est verum.* Idem repetit s. Alphonsus. [3]) Et hoc quidem praeceptum ad legem gratiae pertinet ac proinde omnes Christianos obstringit.

Porro praeceptum hoc duplex est: negativum et affirmativum.

1. Praeceptum *negativum* prohibet, ne quid faciamus, quod ad Deum referri nequeat seu ne peccemus; atque prouti omne negativum praeceptum continuo obligat.

2. Praeceptum *affirmativum* obligat, ut omnes actus bonos, quos exercemus, aliquo modo ad Deum, ut ultimum finem nostrum, referamus. Sed controversia in scholis est, utrum intentione explicita et saltem virtuali, an vero implicita tantum et interpretativa intentione opera nostra ad Deum ordinare teneamur.

Videlicet a) alii dicunt, praeceptum omnes actus bonos ad Deum referendi, includi in praecepto eliciendi actus charitatis, quapropter praeceptum, de quo loquimur, illos vere implere, qui certis temporibus (ordinarie semel in mense, vel juxta quosdam semel tantum in anno) actus charitatis eliciunt, quia eo ipso, quod sunt per charitatem ad Deum recte ordinati vel saltem connituntur se ordinare, ea etiam, quae recte agunt, implicite ad Deum ordinare

[1]) Theol. mor. Tr. de actib. humanis n. 15.

[2]) Lect. 3. c. 3. ep. ad Coloss., cf. 1. 2. q. 100. a. 10. ad 2 et al.

[3]) Th. mor. De act. hum. n. 44.

censentur; atque talem implicitam actionum ad Deum relationem jam sufficere ad illud praeceptum adimplendum.

b) Alii contendunt, praeceptum referendi omnes actus honestos in Deum esse distinctum a praecepto eliciendi actus charitatis, adeoque non sufficere, ut charitatis actus debitis temporibus eliciantur, sed insuper requiri, ut christianus intentionem suam, omnia opera ad Deum referendi, saepe renovet, saltem semel in die, ut sic omnia opera virtualiter saltem ad Deum ordinentur. [1])

Quamvis prima sententia sit praeferenda, pro praxi tamen omnino commendandum est, quod s. Francisc. Salesius,[2]) s. Alphonsus,[3]) omnesque alii vitae spiritualis magistri monent, ut videlicet saepius in die, saltem mane, nos et nostras omnes actiones et aerumnas Deo generaliter offeramus; quare animarum pastor non omittat fideles ad pium hoc exercitium hortari, quo charitas nutritur, et ampliora merita acquiruntur.

Corollaria.

8. — I. Nullum bonum honestum (seu morale), sed creatum virtuose appeti potest propter se *ultimo,* ita nempe, ut affectus in eo haereat et Deum excludat; quia in bono finito seu creatura finis ultimus reponeretur, qui nonnisi Deus est (v. §. 15. n. 4.). Virtuose autem bonum creatum et honestum appeti potest propter se, sed *non ultimo,* ita ut Deus non excludatur; quia tunc affectus consentaneus est ordini recto seu legi divinae, atque eo ipso implicite et virtualiter in Deum, auctorem ordinis et legis refertur. Hinc e. g. peccaret, qui virtutem coleret propter se ipsam solam tamquam finem ultimum; qua ratione s. Augustinus [4]) vitia dijudicat virtutes Stoicorum, qui eas tamquam finem supremum sectabantur, omni respectu ad altiorem finem, nempe Deum, cui omnes virtutes servire debent, penitus excluso. Bene agit, qui virtutem colit propter ipsius honestatem et conformitatem cum lege divina vel alium finem honestum, quin Deum excludat; quia tunc saltem virtualiter et implicite Deum, finem ultimum intendit.[5]) Hinc

[1]) Hac de controversia legendus Perrone: Praelectiones Theolog. de virtutibus fidei, spei et caritatis. Par. III. cap. 5. pag. 393. et sq. Ratisb. 1865.

[2]) Theotim. Lib. XII. cap. 9.

[3]) Th. m. De actib. humanis n. 44.

[4]) De Civit. Dei, Lib. XXI. cap. 25.

[5]) Ripalda: De ente supernaturali, Tom. III. Lib. II. Disp. XX. n. 131—133. Disp. XXII. n. 141. et seq. Paris. 1870.

II. Quamvis praeceptum non sit, omnia opera ex motivo charitatis peragere, ut ex eis, quae n. 3. et 4. exposita sunt, satis perspicere licet; numquam tamen charitatem positive seu expresse excludere licet. Qui enim sic ageret, non tantum opus suum ad Deum non ordinaret, sed semetipsum a Deo impie et perverse averteret, in creatura finem reponeret, adeoque lethaliter peccaret.

III. Licitum est, ex duobus finibus honestis secundarium prae fine primario eligere, modo primarius non excludatur; tunc enim jam primarius implicite et virtualiter intenditur. Aliud enim est praescindere seu abstrahere, aliud excludere. Sic e. g. licite matrimonium contrahitur ad pacem inter familias componendam, ad familiae honorem conservandum, et similia; si finis primarius matrimonii non excludatur.[1])

IV. Nullum dubium, quin plura motiva honesta in uno actu simul conjugi possint; sed haec bene debent esse ordinata, ita ut minus praestans praestantiori subordinetur. Sic e. g. aliquis jejunare potest ex parcimonia honesta, simul atque ex obedientia ergo Ecclesiam et ex charitate erga Deum. Sed si ideo magis jejunaret, ut sumptibus parceret, quam ut Ecclesiae obtemperaret, vel Deo placeret, perverse ageret; namque bonum quidem est jejunare ex parcimonia, melius autem, ex obedientia erga Ecclesiam, et optimum ex charitate erga Deum.[2])

§. 102.

Admonitio s. Augustini ad Deum laudandum in omnibus operibus nostris.

Ex Enarr. in Psalm. 146. n. 2.

„*Laudate Dominum, quoniam bonus est psalmus.* Psalm. 146, 1. Non solum vox tua sonet laudes Dei, sed opera tua concordent cum voce tua. Cum ergo voce cantaveris, silebis aliquando: vitâ

[1]) S. Alph.: Lib. VI. n. 882. et 883.

[2]) S. Franc. Sales.: Theotimus L. 11. c. 13., qui simul apta similitudine hanc veritatem illustrat, sic scribens: „Wer nur Einen seiner Freunde zum Essen einladet, beleidiget die anderen dadurch nicht; ladet er sie aber alle ein, und weist den Geringsten die ersten Plätze, den Vornehmen aber die letzten unten am Tische an, der beleidiget beide; diese, weil er sie ohne Ursache herabsetzt; jene aber, weil er sie lächerlich macht. Wer also etwas aus einem einzigen, vernünftigen Grunde thut, er mag wie immer unbedeutend sein, der beleidigt die Vernunft nicht; wer aber mehrere Absichten vereinigt, der sehe zu, dass er sie nach ihrem Range ordne, sonst versündiget er sich; denn die Unordnung ist eine Sünde, so wie die Sünde eine Unordnung ist. — Man muss also jeder Absicht die Stelle einräumen, die ihr gebührt, und folglich die erste und höchste der Absicht, Gott zu gefallen. Es hat aber diese Hauptabsicht, die nichts anders als die heilige Liebe ist, diese höchst erhabene Eigenschaft, dass sie, als die reinste, die ihr entspringenden Handlungen überaus rein macht.“

sic canta, ut nunquam sileas. Negotium agis, et fraudem cogitas; siluisti a laude Dei: et quod gravius est, non solum a laude siluisti, sed in blasphemiam poraexisti. Cum enim Deus laudatur de bono opere tuo, opere tuo laudas Deum; et cum blasphematur Deus de malo opere tuo, opere tuo blasphemas Deum. Itaque ad aurium exhortationem canta voce: corde ne sileas, vitâ ne taceas. Non cogitas in negotio fraudem, psallis Deo. Cum manducas et bibis, psalle; non intermiscendo sonorum suavitates ad aures aptas, sed modeste et frugaliter et temperanter manducando et bibendo. Quia hoc dicit Apostolus: *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Si ergo bene agis, quod et manducas et bibis, et ad refectionem corporis sumis reparationemque membrorum, gratias agens ei, qui tibi praebuit mortali et fragili ista supplementorum solatia; et cibus tuus et potus tuus laudat Deum: si vero modum naturae debitum immoderatione voracitatis excedas, et vinolentiâ te ingurgites; quantaslibet laudes Dei lingua tua sonet, vita blasphemat. Post cibum et potum requiescis, ut dormias; nec in lecto aliquid turpiter agas, nec excedas ultra concessam licentiam in lege Dei: sit castus cum conjuge thorus, et si est cura propagandi liberos, non sit effrenata luxuries libidinum: defer in lecto tuo conjugi tuae; quia membra Christi estis ambo, ambo ab illo conditi, ambo sanguine ipsius reparati: Haec agens laudas Deum, nec omnino silebit laudatio tua. Quid cum somnus advenerit? Et cum dormis, non te excitet a quiete mala conscientia tua; et innocentia somni tui laudat Deum. Si ergo laudas, non tantum linguâ canta, sed etiam assumto bonorum operum psalterio: quoniam bonus psalmus. Laudas cum agis negotium, laudas cum cibum et potum capis, laudas cum in lecto requiescis, laudas cum dormis: quando non laudas? Perficietur in nobis laudatio Dei, cum ad illam civitatem venerimus, quando effecti fuerimus aequales Angelis Dei, quando nos nulla corporalis necessitas ulla ex parte

sollicitat, non fames, non sitis interpellat, non aestus fatigat, non frigus constringit, non febris dejicit, non mors finit. Ad illam perfectissimam laudem exerceamus nos laudatione ista in bonis operibus."

§. 103.

Recollectio.

Domine, *omnia in mensura, et numero et pondere disposuisti.* Sap. 11, 21.[1]) Omnia, quae arte divina facta sunt, et mensuram ostendunt, et numerum et pondus. Videlicet *mensura* in rei cujuslibet substantia determinata et limitata conspicitur. *Numerus* in varietate perfectionum accidentium, quae substantiae rei adveniunt, fulgescit, quales sunt figurae, colores aliaeve qualitates corporum, doctrinae vel artes animarum etc. *Pondus* in inclinatione rei ad suum principium et finem consistit. „*Pondus*, ait s. Augustinus, *est impetus quidam cujusque rei, velut conantis ad locum suum.*" [2]) „*Pondus non ad ima tantum est, sed ad locum suum. Ignis sursum tendit, deorsum lapis. Ponderibus suis aguntur, loca sua petunt. Minus ordinata inquieta sunt, ordinantur et quiescunt.*[3]) — „*Locus unicuique rei, finis est suae substantiae,*" s. Bernardus [4]) observat.

Omne igitur ens creatum habet mensuram, scilicet determinatam substantiam seu speciem, numerum quoque seu varietatem perfectionum accidentalium, atque pondus, nempe inclinationem et tendentiam in suum finem. Divinae perfectionis est, disponere omnia in mensura, numero et pondere.

Hinc ut divinae operationi nostra similis fiat operatio, nec nobis a Deo dicatur: „*Ambulaverunt ex adverso mihi*" 3. Mos. 26, 40, actus quoque nostros in mensura et numero et pondere convenienter disponamus oportet. Ostendatur in eis *mensura* per objectum conveniens, *numerus* per circumstantias personae, loci, temporis, mediorum convenientes, *pondus* denique per finem et intentionem.

---

[1]) Variae hujus loci interpretationes leguntur. Praeter Cornelium a Lapide in l. c. videantur s. Augustinus: De natura boni c. 4. 11. 23. 36. et 37. De Genesi ad liter. Lib. IV. cap. 3. s. Bernardus: De diversis Serm. 86. s. Thomas: 1. q. 5. a. 5.; 1. 2. q. 85. a. 4. c., de verit. q. 21. a. 6. In I. Sent. Dist. III. q. 2. a. 2. s. Bonaventura in l. c. Sent.

[2]) Enarr. II. in Psalm. 29. n. 10.

[3]) Confess. Lib. XIII cap. 9. n. 10.

[4]) De diversis Serm. 86. n. 2.

Per objectum enim actus sortitur formam essentialem seu speciem, per circumstantias accipit determinationes accidentales, per finem denique trahitur ad suum terminum, in quo quiescit. Ut vero actus mensuram debitam per objectum conveniens, numerum debitum per circumstantias convenientes, pondus debitum per finem convenientem nanciscatur, conformis reddi debet legi divinae, quae est „mensura actuum", [1]) vel quasi statera, in qua pensanda et appretianda sunt nostra opera omnia. Quippe *mendaces filii hominum in stateris,* Psalm. 61, 9., in judiciis, inquam, quibus ponderentur vera bona et vera mala. Unde s. Franciscus Seraphicus dicebat: *Tantus quisque est, quantus est apud Deum; et non amplius.* Et Thomas Kempensis: „*Non es sanctior, si laudaris: nec vilior, si vituperaris. Quod es, hoc es; nec major dici vales, quam Deo teste sis.*" [2]) Sollicite provideamus, ne quid operibus nostris desit, quod requiritur ad plenitudinem bonitatis; sedulo caveamus, ne dum appendimur in statera divinae justitiae, inveniamur minus habentes.[3]) Praecipue vero intentionem, quae spirituum ponderatori Domino [4]) placet, cuilibet actioni nostrae praefigere, eamque per amorem Deo placentem progignere et fovere studeamus. „*Pondus meum,* ait s. Augustinus,[5]) *amor meus: eo feror, quocunque feror.*" Et rursum: „*Cum dicit lex: Non concupisces, quid videtur aliud imperare, nisi ab illicitis cupiditatibus continentiam? Animus quippe velut pondere, amore fertur, quocunque fertur. Jubemur itaque detrahere de pondere cupiditatis, quod accedet ad pondus caritatis, donec illud consumatur, hoc perficiatur.*" [6]) — Sint itaque opera nostra speciosa objectorum grata honestate, numerosa circumstantiarum plena consonantia, ponderosa motivorum gravi valore, ut sanctissimo Dei Cordi grata acceptaque sint, atque aeternum gloriae pondus nobis operentur.

Omnipotens, sempiterne Deus, dirige actus nostros in beneplacito tuo: ut in nomine dilecti Filii tui mereamur bonis operibus abundare. Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus per omnia saecula saeculorum. Amen. [7])

---

[1]) S. Thomas: 1. 2. q. 90. a. 1. c. et al.

[2]) De imitat. Lib. II. cap. 6.

[3]) Dan. 5. 27.

[4]) Prov. 16. 3.

[5]) Confess. Lib. XIII. cap. 9. n. 10.

[6]) Epist. 157. (al. 89.) n. 9.

[7]) Oratio in Vigilia Epiphaniae.

Sectio II.

De virtutibus in genere.

§. 104.

Notio et partitio virtutis.

1. — *Virtus* sensu *latiori* sumta dicitur perfectio potentiae.[1]) Sensu *strictiori* et *proprio* accepta *virtus est bonus habitus mentis, quo recte vivitur, et quo nemo male utitur.* Ita Doctor Angelicus[2]) et Theologi antiquiores communiter virtutem definiunt.

Virtus generaliter dicitur *habitus.* Est autem habitus dispositio seu inclinatio, qua fit, ut aliquis facile operetur, seu est facilitas sic aut sic agendi; prouti e. g. peritia armorum est habitus, quo quis armis facile uti potest.[3]) Accuratius virtus appellatur *habitus mentis,* quia etiam datur habitus corporis, ut est sanitas, cujus vi anima organis corporis facile uti potest; porro habitus *bonus,* etenim habitus malus vitium dicitur. Sequitur: *quo recte vivitur.* Vocabulum *recte* significat: secundum legem aeternam, quae ordinem moralem servari jubet. *Vivitur* seu agitur indicat, virtutem esse dispositionem efficacem, et non meram velleitatem seu desiderium infirmum, recte agendi; unde vera virtus ea non est, quae oblata occasione non operatur. Ideo etiam virtus dicitur *habitus operativus,* nempe disponens et inclinans potentiam ad operandum prompte et facile. Adhuc subditur: *quo nemo male utitur,* ut virtus discernatur ab illis habitibus, quibus homo vel ad bonum vel ad malum uti potest, cujusmodi scientiae sunt. Ex virtute nimirum ceu tali nonnisi bona opera pullulant, etenim arbor bona non potest malos fructus facere.[4])

---

[1]) S. Thom.: 1. 2. q. 55. a. 1. et a. 2.; q. 56. a. 1.

[2]) Summa Theol. 1. 2. q. 55. a. 4.

[3]) S. Augustinus dicit: *Habitus est, quo aliquid agitur, cum opus est.* De bono conjugali, cap. 21. n. 25., quibus verbis exprimitur, habitum importare relationem ad actum. De Habitibus copiose disserit d. Thomas: Summa Theol. 1. 2. q. 49—54. Breviter dicimus, duplicem distingui habitum, nempe 1. *substantivum* seu *essentialem,* qui immediate afficit rei substantiam et novum dat essendi modum, qualis est gratia sanctificans; et 2. *operativum,* qui immediate afficit rei potentias et importat novum operandi modum, qualis est virtus.

[4]) S. Bonaventura: in Disput. in libr. II. Sent. Dist. XXVII. Dub. III. praeter nunc expositam definitionem alias multas commemorat et approbat virtutis definitiones ex Aristotele et Cicerone, potissime vero ex s. Augustino depromtas; multiplici enim respectu virtus considerari, adeoque multipliciter quoque definiri potest. — Definitiones virtutis ab antiquis philosophis propositas omnes recenset Lactantius: Div. institut. libr. III., 7—40., lib. VI., 5.

2. — Virtus est in *potentia* animae, quia inclinat ad operandum, ut diximus; omnis autem operatio fit ab anima per aliquam potentiam.[1])

Jam vero in sequentibus virtus a potentia differt: a) potentia possibilitatem, virtus facilitatem seu promptitudinem bene operandi praebet; b) virtus hominem facit bonum,[2]) quia est habitus bonus seu qualitas bona; potentia non item, quia propter solam potestatem bene operandi homo non est bonus.[3])

3. — *Per virtutem homo maxime assimilatur Deo.* Etenim Deus est *actus purus* i. e. Dei substantia est ipsius actio; quapropter summa assimilatio hominis ad Deum fit per operationem. Atqui virtus est habitus operativus, ut dictum est: promptum nempe hominem reddit ad recte operandum. Ergo per virtutem homo maxime similis Deo suo redditur. Ita s. Thomas.[4]) Unde infertur, nihil magis posse Deo contrarium esse atque exosum mentis tepiditate, quocirca ipse dicit: „*Utinam frigidus esses aut calidus, sed quia tepidus es, et nec frigidus nec calidus, incipiam te emovere ex ore meo.*“ Apoc. 3, 15. 16.

4. — Duplex habetur finis et ordo, videlicet naturalis et supernaturalis, hinc duplicis quoque speciei merito distinguuntur virtutes, nimirum *naturales* et *supernaturales, acquisitae* et *infusae;* de quibus nunc in genere agendum est.

Articulus I.

De virtutibus ordinis naturalis.

Virtutes naturales seu acquisitae vocantur, quae actibus repetitis hominis acquiruntur et ex se ad finem mere naturalem tendunt. Virtutes hujusmodi aliae sunt *intellectuales,* aliae *morales.*

---

[1]) S. Thom.: 1. 2. q. 56. a. 1.

[2]) S. Augustinus: „*Nemo autem dubitabit, quod virtus animam facit optimam.*“ De moribus Eccl. cath. cap. 6. n. 9. Item s. Thomas, 1. 2. q. 55. a. 2.

[3]) Bene s. Bonaventura utrumque exprimit his verbis: „*Virtus facit potentiam rectam et vigorosam.*“ In Lib. III. Sent. Dist. XXXIII. a. 1. q. 1. c. S. Bernardus sic scribit: „*Ipsa enim* (virtus) *si perfecta sit, facile facit animum victorem sui, et sic invictum ad omnia. Est quippe vigor animi cedere nescius pro tuenda ratione. Aut, si magis probas, Vigor animi immobiliter stantis cum ratione. vel pro ratione, Vel sic: Vigor animi, quod in se est, omnia ad rationem cogens, vel dirigens.*“ In Cant. Serm 85. n. 4.

[4]) 1. 2. q. 55. a. 2. ad 3.

A. De virtutibus intellectualibus.

Considerando 1. earum indolem, numerum et connexionem, deinde 2. earum valorem et durationem, absolvitur haec disputatio.

§. 105.

De indole, numero et connexione virtutum intellectualium.

1. — *Virtutes intellectuales sunt habitus studio acquisiti, qui perficiunt intellectum ad verum probe cognoscendum.*

Virtutes intellectuales sunt partim *speculativae*, nempe sapientia, intellectus et scientia; partim *practicae*, nimirum prudentia et ars. Priores enim intellectum speculativum (theoreticum), posteriores intellectum practicum perficiunt.[1])

2. — *Intellectus* seu intelligentia est habitus perficiens intellectum ad prima principia consideranda. Nomen intellectus quandam intimam cognitionem importat; dicitur enim intelligere quasi intus legere. Intellectus igitur usque ad essentiam rei penetrat.[2]) *Scientia* est habitus perficiens intellectum ad cognoscendas et demonstrandas conclusiones ex principiis intellectus.[3]) Hinc considerare

[1]) Ita s. Thomas (1. 2. q. 65. a. 3.; q. 57. a 2. 3. et 4.) et Theologi omnes. Commemorantur praedicti habitus intellectuales etiam in s. scriptura, ut Prov. 4. 5.; 16. 16. Eccli. 1. 24. 26. Observandum, quod sapientia data a Deo est donum Spiritus sancti, sed sapientia acquisita per studium humanum est virtus intellectualis, sicuti et intellectus, et scientia. S. Thom.: 1. q. 1. a. 6. ad 3., 2. 2. q. 45. a. 1. c. et al. Hic loci posteriori respectu sapientiam, intellectum et scientiam consideramus.

[2]) Conf. s. Thom.: 1. 2. 57. a 2.; 2. 2. q. 8. a. 1. c.

[3]) Dantur principia cognitionis et principia certitudinis. *Quod attinet principia cognitionis prima*, ex quibus videlicet veritates aliae legitima argumentatione deducuntur, quaelibet scientia propria habet et peculiaria, ut e. g in Theol. mor. sunt principia, ordinem moralem a Deo stabilitum esse servandum. bonum faciendum, malum vitandum. *Principia autem certitudinis prima*, ex quibus nimirum firmiter judicamus, cognitionem quamcunque possidemus, esse veram, universalissima omnibusque scientiis communia, haec sunt: *a) principium contradictionis* (seu identitatis) ita sonans: *Idem non potest esse et non esse;* dum quippe in quacunque veritate animus firmiter conquiescit, id ex eo provenit, quod judicat, rem ita esse, et oppositum (aut metaphysice, aut physice, aut moraliter) impossibile esse. Hinc Angelicus: *„De ratione scientiae est, quod id, quod scitur, existimetur esse impossibile aliter se habere.“* 2. 2. q. 1. a. 5. ad 4. Quod et de cognitione fidei valet: *„Id, quod fide tenetur, propter fidei certidudinem existimatur etiam impossibile aliter se habere.“* l. c. — *b) Principium rationis sufficientis* (seu causalitatis) his verbis conceptum: *„Nihil est sine sufficiente ratione;“* tunc enim aliquid perfecte cognoscitur, quando ejusdem causa seu ratio perspicitur. Ita jam s. Augustinus: *„Proprie quippe cum loquimur, id solum scire dicimus, quod mentis firma ratione comprehendimus.“* Retract. libr. I. cap. 14. n. 3. *„Scientia non est nisi cum res aliqua firma ratione percepta et cognita est.“* De quantitate animae cap. 26. n. 49.

principia secundum seipsa, pertinet ad intellectum, sed considerare principia simul cum conclusionibus, pertinet ad scientiam.[1]) *Sapientia* est habitus perficiens intellectum ad considerandam altissimam causam, secundum quam tum de principiis intellectus, tum de conclusionibus scientiae rite judicatur. Cumque altissima causa simpliciter sit Deus, ideo vere et perfecte sapiens dicitur, qui Deum, principium et finem omnium, recte cognoscit et secundum hanc cognitionem de omnibus judicat.[2]) Sic e. g. perspicere leges, quibus res materiales mundi diriguntur, pertinet ad intellectum, explicare diversa phaenomena ex hisce legibus, ad scientiam naturae spectat, tum leges tum phaenomena naturae relate ad Deum, auctorem naturae, apte considerare atque dijudicare, sapientiae convenit. Qui facta et fata praecipua populorum nedum memoria tenet, sed etiam ex causis eorum proximis, nempe humanis et naturalibus explicare scit, scientia historica pollet; qui in illis omnibus simul dispositionem divinae providentiae, quoad fieri potest, studiose expendit, sapientia excellit.

Prudentia est habitus perficiens intellectum ad ea, quae agenda occurrunt, regulae morum conformanda.[3]) *Ars* dicitur habitus disponens intellectum ad opera artificialia secundum regulas sibi proprias facienda.[4]) Cumque hujusmodi opera sunt partim mechanica (corporis), partim liberalia (rationis), ideo artes *mechanicae* seu serviles et artes *liberales* merito distinguuntur.[5])

[1]) S. Thom.: 1. 2. q. 57. a. 2. ad 4.

[2]) S. Thom.: 1. 2. q. 57. a. 2.; 2. 2. q. 45. a. 1. S. Bernardus ait: sapientis est, in eis, quae creata sunt, spectare Deum ut finem, ad quem creata sunt. Serm. 3. Pentecost. n. 4. „Sapiens est, cui quaeque res sapiunt prout sunt.“ In Cant. Serm. 50. n. 8.

[3]) Ab Angelico Doctore 1. 2. q. 57. a. 4. prudentia definitur *„recta ratio agibilium,“* i. e. perspicacitas, operationes humanas legi divinae comformiter dirigendi.

[4]) Qua ratione ars et prudentia differant, exponit d. Thomas: 1. 2. q. 57. a. 4. c. Suarez: De virtutibus in genere, Disp. III. Sect. 3. n. 4—8.

[5]) S. Thomas: 1. 2. q. 57. a. 3. ad 2. — Artes *liberales* sensu nobilissimo et perfectissimo tunc tales dici merentur, si conformiter legi libertatis, nempe legi christianae exercentur; quo sensu s. Augustinus egregie dicit, falso adpellari disciplinas *liberales*, ubi *nostrae* non consonant *libertati;* eas autem non habere congruum libertati, nisi quod habent congruum *veritati*, unde ipse filius Dei, *„Et veritas,* inquit, *liberabit nos.“* Epist. 101. n. 2.

3. — De *connexione* habituum praedictorum sequentia valent. *Sapientia sub se continet et intellectum et scientiam,* utpote de conclusionibus scientiarum et de principiis earumdem (seu de omnibus cognitis rebus creatis juxta earum ad Deum relationes) judicans.[1]) *Scientia sine intellectu* esse nequit, quum ejusdem principiis superstruatur;[2]) *intellectus* vero *sine scientia* possibilis est, quoniam principia possunt seorsim considerari, absque eo, quod considerentur simul conclusiones.[3]) *Intellectus et scientia sine sapientia* haberi queunt, quoniam independenter a Dei notitia veritates multae cognosci possunt.[4]) — *Prudentia et ars* non sunt necessario connexae;[5]) at vero ambae *intellectum* exigunt et praesupponunt,[6]) quamvis absque ceteris virtutibus intellectualibus bene subsistere valeant.

§. 106.

De virtutum intellectualium pretio et duratione.

1. — *Habitus intellectuales* expositi, unica excepta prudentia (de qua infra sermo recurret), *non proprio, sed improprio tantum sensu sunt virtutes.*

1. *Non proprio sensu.* Etenim ad virtutem sensu proprio acceptam (coll. §. 104. n. 2.) pertinet, ut hominem faciat bonum et ad bene seu honeste operandum eum firmiter inclinet. Atqui neutrum illis convenit habitibus. Nam ex se nec faciunt moraliter bonum hominem, neque eum inclinant ad moraliter bene vivendum. Sic e. g. qui arte rhetorica excellit, non exinde est vir bonus et probus, nec ab hac arte inclinatur ad honeste vivendum, sed inclinatur tantum ad recte perorandum; et similiter, qui scientiam philosophicam possidet, ab hac nec dicitur vere bonus, nec movetur ad

[1]) S. Thom.: 1. 2. q. 57. a. 2. ad 2.

[2]) Idem 1. 2. q. 65. a. 1. c. et ad 3.

[3]) S. Thom.: 1. 2. q. 57. a. 2. ad 4.

[4]) Periculose erravit Cartesius docendo, *„omnis scientiae certitudinem et veritatem ab una veri Dei cognitione pendere.“* (De prima philos. Medit. V. et alibi.) Numquid Dei veri existentia probari posset, si absque veri Dei cognitione nulla vera et certa cognitio daretur? — Vide hoc de argumento Jos. Kleutgen: Die Philosophie der Vorzeit, 4. Abhandl. 1. Hauptst. S. 468. u. s. f. Münster 1860.

[5]) S. Thomas: „Prudentia non habet locum in his, quae sunt artis. — — Dicitur tamen aliquid prudenter operari in his, quae sunt artis, per similitudinem quandam.“ 2. 2. q. 47. a. 4. ad 2. Est enim prudentia virtus moralis.

[6]) S. Thomas: „Initium artis secundum ejus essentiam sunt principia, ex quibus procedit ars.“ 2. 2. q. 19. a. 7. c. — 2. 2. q. 49. a. 2.

bene operandum, sed ad recte philosophandum. Et sic de aliis. Qui autem veri nominis virtutem e. g. justitiam habet, vere bonus est et ad bene, v. c. juste agendum promptus existit.

2. *Sensu improprio.* Etenim hoc sensu accepta virtus dicitur quaedam potentiae humanae perfectio. Atqui illi habitus intellectuales sunt perfectiones, videlicet perfectiones intellectus humani, egregia quaedam animae ornamenta, ut ex dictis patet, et ipsa testatur s. scriptura: *„Ornamentum aureum prudenti doctrina, et quasi brachiale in brachio dextero.“* Eccli. 21, 24.[1])

2. — Non tamen omnes sic dictae virtutes intellectuales aequalis sunt dignitatis atque excellentiae. *Principalior est intellectus, quam scientia,* nam haec ab illo dependet et praesupponit illum.[2]) *Sapientia intellectum et scientiam, artesque cunctas supereminet,* quia considerat causam altissimam, quae Deus est, atque relate ad Deum judicat de omnibus aliis virtutibus intellectualibus et ordinat omnes.[3]) Porro *sapientiae omnes illae serviunt.* Servit *prudentia,* introducit enim ad sapientiam sicut ostiaria ad regem,[4]) per media apta dirigendo homines, ut ad sapientiam secure possint pervenire. Serviunt *scientia, intellectus et ars,* sapientiae ea subministrando, de quibus juxta eorum ad Deum relationes judicat et disponit.[5])

* S. Thomas: Summa Theolog. 1. 2. q. 57. a. 1. 2. 3. et 4.; q. 66 a. 5. — Suarez: De virtutibus in genere Disp. III. Sect. II. et III. Card Gotti O. P.: Theologia scholast. dogmatica. Tract. de virtutibus Quaest. II. Dub. I. §. 1. (Bononiae 1729. Tom. I.)

3. — Per hanc de pretio vero virtutum sic dictarum intellectualium expositam doctrinam duo excluduntur valde perniciosi errores. 1) Unus error est *Humanistarum* et *philosophorum* complurium, qui intelligentiam ac scientias profanas adeo laudibus extollunt, ac si summa essent hominis bona.[6]) Haec sane illae non sunt, siquidem nec veram rationem virtutis habent, ut vidimus.

[1]) S. Bernardus: „Non dico contemnendam aut negligendam scientiam litterarum, quae *ornat* animam, et erudit eam et facit ut possit etiam alios erudire.“ In Cant. Serm. 37. n. 2.

[2]) S. Thom.: 1. 2. q. 57. a. 4. c. S. Ambrosius ait: *„Intellectus praemittitur, ut scientia sequatur. Nam nisi quis intellexerit, doctus esse non poterit.“* In Psalm. 118. Serm. X. n. 19.

[3]) Idem 1. 2. q. 66. a. 5. S. Augustinus sapientiam vocat „luminare majus“, scientiam „luminare minus“. Confess. Lib. XIII. cap. 18. n. 23.

[4]) S. Thom. l. c.

[5]) Inter omnes sapientias humanas *maxime sapientia est doctrina Theologica,* ut pulchre ostendit d. Thomas: Summa Th. Prolog. q. 1. art. 6.

[6]) Idem s. Ambrosio testante (de officiis Lib. II. cap. 2.) jam gentilis philosophus Herillus docuit, *„qui un-*

2) Alius error est *Wicleffi* et *Reformatorum*, qui scientias profanas et artes liberales adeo despexerunt, ut easdem *peccata, inventa diabolica*, appellare non dubitaverint.[1]) At vero scientiae et artes, etsi primum inter hominis bona non occupent locum, ut mala tamen reprehendi nequeunt, nisi veritati repugnent.[2]) Potius quaedam *perfectiones* sunt rationales, ut ostendimus, quae multum prosunt, non modo ad vitae temporalis commoda promovenda, verum etiam ad fidem ipsam atque religionem provehendam.[3]) Imo S. P. Leo XIII. in Encl. 4. Aug. 1879. ait: *„Postulat ipsius divinae providentiae ratio, ut in revocandis ad fidem et ad salutem populis etiam ab humana scientia praesidium quaeratur.“* Et cum perfectiones quaedam seu bona sint, hinc ut omne datum optimum et omne donum perfectum, desursum sunt, descendentes a Patre luminum.[4]) Etenim a) Deus intellectui impressit aptitudinem et facilitatem ad principia prima scientiarum naturaliter percipienda et immobiliter retinenda, quae, Angelico docente, sunt „quasi quaedam seminaria scientiarum“,[5]) — et b) Deus insuper vires atque media homini suppeditat ad scientias artesque sibi comparandas. Deus itaque scientiarum et artium causa est modo excellentissimo,[6]) *„Deus scientiarum Dominus est.“* (1. Reg. 2, 3. Cf. Eccli. 1, 1. 7. 16. Sap. 14, 1—4.) — Et quemadmodum a Deo scientiarum Domino profectae sunt, ita si rite tractentur, ad Deum, juvante ejus gratia, perducunt. Sic Conc. Vatic. Sess. III. cap. 4. Quam ob rem Ecclesia in Concilio Constantiensi absonum Wicleffi commentum sub art. 29. merito condemnavit, ipsaque nunquam non bonas artes et disciplinas magni habuit omnibusque modis provide et solerter provexit, quod ipsi Ecclesiae adver-

---

diens ab Aristotele et Theophrasto mirabiliter laudatam esse rerum scientiam, solam eam quasi summum bonum posuit: cum illi eam quasi bonum, non quasi solum bonum laudaverint.“

[1]) Wicleffus dicit: *„Universitates, studia, collegia, graduationes et magisteria in eisdem, sunt vana gentilitate introducta, et tantum prosunt ecclesiae sicut diabolus.“* (Mansi T. XXVII. p. 634. Sess. VIII. Conc. Constant.) De Luthero scribit Erasmus: *„Nonne Lutherus totam philosophiam Aristotelicam appellat diabolicam? Nonne idem scripsit, omnem disciplinam tam practicam quam speculativam esse damnatam? omnes scientias speculativas esse peccata et errores? Nonne passim et publice clamabat Pharellus, omnes humanas disciplinas esse inventa diabolica?* Epist. ad fratr. Germ. infer. Vid. Riffel: Christl. Kirchengesch. der neuesten Zeit. 1. Bd. 1. Buch. 2. K. Döllinger: Die Reformation, 1. B. S. 437. u. s. f. Hinc et Lutherani initio philosophiae studiis infesti erant. Vid. Stöckl: Der Kampf gegen die Philosophie in den letzten drei Jahrh. (Katholik 1868. II. S. 130—132).

[2]) S. Thomas: *„Bonum intellectus est verum, cum sit ejus perfectio; malum autem ejus falsum.“* 1. 2. q. 57. a. 2. ad. 3.; 2. 2. q. 4. a. 5. ad 1. S. Bernardus: „Est autem, quod in se est, omnis scientia bona, quae tamen veritate subnixa sit.“ In Cant. Serm. 36. n. 2.

[3]) S. Augustinus ait: *„Disciplinae liberales efferunt intellectum ad divina non credenda solum, verum etiam contemplanda, intelligenda atque retinenda.“* De Ordine Lib. II. c. 16. n. 14. Concilium Provinc. Viennense *a. 1858.: „Litterarum studia plenius exhausta religionis cultum confirmant magis, quam infirmant.“* Tit. VI. cap. 7.

[4]) Jac. 1. 17.

[5]) Quaest. Disput. Quaest. De magistro, art. 3. Summa Theol. 1. 2. q. 63. a. 1. — Etiam s. Hieronymus loquitur de *„seminibus sapientiae.“* Comm. in ep. ad Gal. c. 1. v. 16.

[6]) S. Thomas: Quaest. Disp. Quaest. de Magistro, art. 3. S. Basilius: Quaestiones diversae, q. 55. n. 1.

sarii non possunt non profiteri. Imprimis *Apostolica Sedes verae civilitatis continenter fuit patrona et altrix,* — sic Pius IX. in Alloc. die 18. Martii 1861., — *atque historiae monumenta eloquentissime testantur ac probant, omnibus aetatibus ab eadem Sancta Sede in disjunctissimas quasque et barbaras terrarum orbis regiones veram rectamque fuisse invectam morum humanitatem, disciplinam, sapientiam.*[1])

4. — Quod *durationem* sic dictarum virtutum intellectualium attinet, communius Theologi cum s. Thoma et s. Bonaventura docent, eas in patria perseverare, non quidem quoad modum, sed quoad essentiam; nam perfectiones quaedam naturae sunt, beatitudo autem non destruit naturae perfectionem.

* S. Thomas: Summa Theol. 1. 2. q. 67. a. 2. S. Bonaventura: Disput. in Lib. III. Sent. Distinct. XXXI. art. II. quaest. 3. — Suarez: De ultimo fine hominis Disput. VIII. Sect. II. et III.

Observatio de sapientia.

Bona vita facit hominem sapientem secundum Deum, et expertum in multis.[2]) Sapientis enim est, de iis, quae sunt et eveniunt, ad Deum eorum principium et finem relatis recte judicare. Ad hoc autem requiritur facilitas, a creaturis ad Deum mente ascendendi, quies animi ad res assidue et attente speculandas, cordis munditia ad eas clare et ita cognoscendas, prouti sunt, non ut dicuntur aut aestimantur a mundo, auxiliatrix denique gratia divina. Jam vero virtutes morales abstrahunt hominem a rebus sensualibus, sicque expeditum eum reddunt ad mentem sursum elevandum; porro passionum vehementiam et tumultum cohibent, et ideo animi quietem causant et conservant; itemque affectiones et libidines pravas domando cordis munditiam efficiunt, hominemque simul praeparant ad lumen gratiae suscipiendum. Hinc s. scriptura monet: *„Fili, concupiscens sapientiam, conserva justitiam, et Deus praebebit illam tibi.“* Eccli. 1, 33. Nec desunt exempla, quae veritatem illam egregie confirmant. In libro Eccli. 37, 18. legitur: *„Anima viri sancti enuntiat aliquando vera, quam* (plusquam) *septem circumspectores sedentes in excelso ad speculandum.“* Rex et propheta David profitetur: *„Super omnes docentes me intellexi, quia testimonia tua meditatio mea est. Super senes intellexi, quia mandata tua quaesivi.“* Psalm. 118, 99. 100. Aliis, quae adferri possent, exemplis silentio

---

[1]) De civilisatione et Ecclesia praeclare pro more suo disserit doctiss. Hettinger in ephem.: Der Katholik, 1867 S. 1—10. S. 129—154. S. 401—419.

[2]) Thomas a Kempis: De imitat Christi Libr. I. cap. 4.

praetermissis memoratu digna censemus, quae sincere fatetur vir vere sapiens, Donoso Cortes (Marquis de Valdegamas), sic scribens: „Inter homines, quos novi, — iique plurimi sunt, — sana mente infragili, sapientia vera, mira dexteritate practice et sapienter dissolvendi problemata difficillima, nec non habilitate in rebus intricatissimis semper inveniendi effugium et terminum, illos solos excelluisse reperi, qui vitam contemplativam et a mundo abstractam ducebant.“ [1])

B. De virtutibus moralibus.

Singillatim 1. de earum indole et causa, 2. de earum distinctione, 3. de virtutibus cardinalibus, 4. de medio virtutum moralium, 5. de earum connexione, 6. de earum augmento et diminutione, et 7. denique de diversa earum praestantia.

§. 107.

De indole et causa efficiente virtutum moralium.

1. — *Virtutes morales sunt habitus frequentatis actibus acquisiti, qui perficiunt appetitum ad honeste agendum.*

Objectum materiale virtutum moralium seu materia, circa quam versantur, sunt *proxime* operationes et passiones, *remote* res exteriores.[2]) Sic e. g. liberalitas proxime versatur circa affectus divitiarum, remote igitur circa divitias, pecuniam; fortitudo proxime est circa timorem et audaciam, remote circa res difficiles et periculosas, quae solent timorem vel audaciam procreare. *Objectum formale* seu motivum, ex quo in objectum materiale tendunt, est honestas naturalis seu convenientia cum lege naturae. *Regula* igitur, ad quam conformandae sunt, est regula rationis, lex naturalis. *Finis* ultimus omnium virtutum moralium communis est felicitas naturalis. *Causa efficiens* denique sunt actus honesti frequenter repetiti; prout e. g. saepe justa agentes, justi, fortia agentes, fortes efficiuntur.

2. — Sed quaeritur 1. *An homo actibus suis virtutes morales sibi acquirere valeat?*

---

[1]) Essai sur le catholicisme, le liberalisme et le socialisme pag. 200. Paris 1851.

[2]) S. Thomas: „*Duplex* est materia virtutum, scilicet *remota*, ut res exteriores, quae veniunt in usum vitae; et *proxima*, ut passiones et operationes.“ In Lib. 3. Sent. Dist. 33. q. 2. a. 2.

R. Sententia affirmans pertinet ad catholicam doctrinam, oppositum enim commentum proscriptum est in Baji propositione XXV., quae sic jacet: *Omnia infidelium opera peccata sunt, et philosophorum virtutes sunt vitia.*

Paucis hanc veritatem ita probamus: Cuilibet hominum a natura insunt quaedam semina virtutum, ut d. Thomas [1]) post ss. Patres docet. [2]) Haec quidem semina habentur in ratione et in voluntate; in ratione sunt principia legis naturalis, in voluntate naturales inclinationes ad conformiter illis principiis operandum,[3]) ita, ut homo multos actus honestos exercere valeat; ex hujusmodi autem actibus frequenter exercitis virtutes morales pedetentim enascuntur. Est enim virtus habitus bonus; quilibet autem habitus acquisitus ex actibus frequentatis procedit.

Omnes quidem virtutes ordinis naturalis, easque perfectas homo solis naturae viribus sibi acquirere non valet, quia ad id tentationes multas atque impedimenta satis gravia vincere debet, quod ipsi absque actualis gratiae auxilio impossibile est; gratia autem adjutus certe omnes virtutes illas actibus frequentatis sibi comparare potest, sive sit ethnicus, sive haereticus, sive catholicus in peccato mortali existens.

Ceterum eadem veritas etiam ex s. scripturis nec non ex effatis ss. Patrum constat, [4]) ut Dogmatica docet.

3. — Hinc falsa est doctrina *Novatorum, Baji, Quesnelli,* hominem lapsum sine gratiae subsidio imparem esse ad virtutem aliquam sibi acquirendam. Sed falsa etiam dicenda est sententia quorundam *philosophorum* nuperorum docentium,

---

[1]) Summa Theol. 1. 2. q. 51. a. 1.; q. 63. a. 1. In Lib. 3. Sent. Dist. 33. q. 3. q. 1. a. 1.

[2]) S. Hieronymus dicit, „*nec quemquam sine Christo nasci, et non habere semina in se sapientiae et justitiae reliquarumque virtutum.*“ Comm. in ep. ad Gal. c. 1. v. 16. Haec semina porro admittunt s. Basilius: Homil. 9. in Hexaëmeron, et in regulis fuse explicatis cap. 2., s. Athanasius in vita s. Antonii, ipsius beati Antonii exhortationem ad virtutem referens, s. Joa. Damasc.: De fide orthod. Lib. 3. c. 14., et alii.

[3]) Recte docet Bellarmin., haec semina virtutum remansisse post peccatum, nec posse deleri, nisi homo desinat esse homo. De gratia et libero arbit. L. 5. c. 12.

[4]) Unum tantum adducere volumus s. Ambrosium, qui ita scribit: „*Natura hominis contrariorum capax est, ut et malitiae in ea vis sit, et virtutis ingressus.*“ Lib. de Noe et Arca cap. 12. n. 41.

virtutes esse innatas;[1]) — non enim ipsae virtutes innatae sunt, sed tantum semina virtutum, seu aptitudo et propensio ad virtutes naturaliter insunt homini.[2])

* S. P. Benedictus XIV.: De Servorum Dei Beatificatione et Beatorum Canonizatione, Libr. III. cap. XXI. n. 6. et 7. S. Thomas: Summa Theolog. 1. 2. q. 63. a. 1. et 2. In Libr. III. Sent. Distinct. XXXIII. q. 1. a. 1. et 2. S. Bonaventura: Disp. in Libr. III. Sent. Dist. XXXIII. a. 1. q. 5. — Suarez: De virtutibus in genere, Disp. III. Sect. VIII.

4. — Quaeritur 2. *An virtutes morales acquisitae sint veri nominis virtutes?*

R. Negare videntur ss. Patres, ut s. Hieronymus,[3]) s. Augustinus,[4]) s. Gregorius M.,[5]) s. Bernardus,[6]) qui non appellant virtutes, quae sine charitate existunt, hincque non sunt supernaturales et infusae; item s. Thomas,[7]) dum dicit, virtutes acquisitas „non esse simpliciter virtutes".

Dicendum est, virtutes acquisitas seu naturales *in suo genere* esse *veras et perfectas* virtutes, quia hominem rite disponunt ad honeste operandum relate ad finem suum, nempe naturalem; easdem autem esse *imperfectas* in comparatione ad virtutes supernaturales, quae simpliciter perfectae dicuntur, illasque praeterea vocari posse *non veras* virtutes respectu habito ad finem supernaturalem, ad quem nullam proportionem habent nullumque meritum important. Et secundum hunc sensum dicta ss. Doctorum sunt intelligenda.[8])

---

[1]) Sic e. g. Schopenhauer (Die beiden Grundprobleme der Ethik, 1. S. 53. Leipzig. 1860. 2. Aufl.) scribit: „Tugenden und Laster sind angeboren. Der Mensch ändert sich nie." Falso provocat ad Aristotelem, nam hic plane contrarium docuit teste d. Thoma, 1. 2. q. 63. a. 1. c. Plato autem dixit, omnes scientias esse in anima a natura, et addiscere non esse aliud, quam recordari. S. Thom. In Lib. 3. Sent. Dist. 33. q. 1. Solutio 1. Post Hegel, Schleiermacher et alii virtutes solent appellare dotes individuales, talenta, indoles („individuelle Begabungen", „Anlagen", „Talente", „Gaben des Genius".) Vid. Chalybäus: System der speculativen Ethik. Leipzig 1850. I. B. 272. 274. 275.

[2]) Haec naturalis aptitudo ad virtutes passim a Doctoribus virtus naturalis vocari solet, ut a s. Chrysostomo (Homilia XIII. de statuis), a s. Joanne Damasceno. (Orthod. Fid. Libr. III. cap. 14.)

[3]) Comment. in ep. ad Gal. cap. 5.

[4]) De Civitate Dei, Lib. V. cap. 19. et alibi persaepe. De cujus illuminatissimi et sanctissimi Doctoris usu loquendi generatim sunt solerter notanda verba d. Thomae: *„Et hoc valde abundanter exprimit, plus dicens, et minus volens intelligi."* In Lib. II. Sent. Dist. XXXIII. art. 3. q. 1. ad 1.

[5]) Lib. XX. Moralium, cap. 7. n. 17.

[6]) In Cantica, Serm. XXII. n. 10. et 11.

[7]) Summa Theol. 1. 2. q. 65. a. 2.

[8]) Sic s. Augustinus Lib. IV. contra Julian. c. 3. n. 19. scribit: *„si ad consequendam veram beatitudinem, quam nobis... fides, quae in Christo est vera promittit, nihil prosunt homini virtutes: nullo modo verae sunt virtutes."* Vid. etiam s. Thom.: 2. 2. q. 23. a. 7.; s. Bonaventura: Lib. III. Sent. Dist. 33. a. q. 1.

Confirmatur optime assertio nostra ex auctoritate doctissimi P. M. Benedicti XIV., ita sapienter scribentis: *„Si enim infideles possunt honesta opera facere, et in eis frequenter exercere, possunt etiam habitus talium operum acquirere et sibi comparare, et sic per consequens veras et perfectas in suo genere habere morales virtutes."* Deinde adducit s. Ambrosium sic loquentem: „„Virtutes sine fide folia sunt: videntur virere, sed prodesse non possunt; agitantur vento, quia non habent fundamentum. Quanti gentiles habent misericordiam, habent sobrietatem, sed fructum non habent, quia fidem non habent. Et aliqui Judaei habent castimoniam, sedulitatem in lectione multam et diligentiam, sed sine fructu sunt."" Quibus verbis laudatus Pontifex adjungit: *„Sanctus ergo Ambrosius non negat, eas esse virtutes, sed solum ait, carere fructu salutis, quia pro aeterna salute eis non prosunt."* [1]) De Servorum Dei Beatificatione etc. Libr. III. cap. XXI. n. 6.

* Suarez: De virtutibus in genere, Disput. III. Sect. III. n. 6. Sectio IX. n. 1. et 2. Vasquez: In 1. 2. Dist. 88. cap. 1. De Ripalda: De ente supernaturali, Tom. III. Adversus Bajum et Bajanos Disp. 20. (eruditissime per 12. Sectiones). Ed noviss. Parisiis 1870. Collet: Tract. de Virtutibus Cardinal. Cap. I. Art. 3. Conclusio III. Gotti O. P.: Theologia scholast. dogmat. Tract. de virtutibus Quaest. III. Dub. III. Billuart O. P.: Summa s. Thomae etc. Tract. de passion. et virtutibus, Dist. II. art. IV. §. III.

§. 108.

Distinctio virtutum moralium.

1. — Virtus moralis, ut (§. 107.) dictum est, perficit *appetitum* ad honeste operandum. Appetitus autem duplex est: *rationalis* seu voluntas, et *sensitivus*, consequens apprehensionem sensus. Uterque perfici debet, ut homo cum promptitudine et constantia honeste operetur.

Perfici debet *voluntas*, ut rectam rationem sequatur. Perfici debet *appetitus sensitivus*, ne voluntatem in sectanda recta ratione impediat.

---

[1]) Similiter alii quoque ss. Patres loquuntur. S. Leo M. ait: „Quamvis enim magnum sit habere fidem rectam, sanam doctrinam, et *multa laude digna sit circumcisio gulae, lenitas mansuetudinis, puritas castitatis: nudae sunt tamen omnes sine charitate virtutes; nec potest dici in qualibet morum excellentia fructuosam, quod non dilectionis partus ediderit."* Serm. 47. (In Quadr. 10.) cap. 3.

Porro appetitus sensitivus duplex est: *concupiscibilis,* qui tendit ad bona sensibilia (delectabilia), et *irascibilis,* qui refugit mala sensibilia (difficilia). Itaque *concupiscibilis* refraenari debet, ne homo per bona delectabilia impellatur ad id, quod est contra rectam rationem. Confortari debet *irascibilis,* ne homo per molesta et difficilia retrahatur ab eo, quod est secundum rectam rationem.[1])

Unde sequitur, *plures* esse *virtutes morales,* quarum aliae *voluntatem,* aliae *appetitum concupiscibilem,* aliae *appetitum irascibilem* disponunt ad honeste operandum.

Virtutes, quae appetitum irascibilem et concupiscibilem moderantur, versantur *circa passiones,* quae non sunt, nisi motus appetitus sensitivi. Virtutes, quae perficiunt voluntatem, versantur *circa operationes,* quae procedunt ex voluntate.[2]) Hinc virtutes, quae moderantur passiones, recte ordinant hominem *ad seipsum;*[3]) et virtutes, quae moderantur operationes, hominem *ad alios* recte ordinant.[4]) Cumque tam passiones quam operationes respiciant res creatas ut suum objectum: hinc est, quod virtutes morales hominem non solum ad seipsum et ad alios recte ordinant, sed eum simul disponunt, ut rebus creatis recte utatur.[5])

2. — Ceterum virtus proprie loquendo est in voluntate, in alia vero potentia, secundum quod est mota a voluntate.[6]) Atque ideo dicendum est, quod virtutes morales partim *immediate,* partim *mediate* a voluntate procedunt.

* S. Thomas: Summa Theolog. 1. 2. q. 56. a. 3. 4. et 6.; q. 59. a. 4.; 60. a. 1. et 2. — Suarez: De virtutibus in genere, Disput. III. Sectio IV. Gregorius de Valentia: Comment. Theolog. in 1. 2. divi Thomae Disp. V. Quaest. 4. Punct. 1.

[1]) S. Thom. 2. 2. q. 123. a. 1. c. Duplex haec veritas exprimitur his Ecclesiae precibus: *„Deus, — tribue nobis, quaesumus, pro amore tuo prospera mundi despicere, et nulla ejus adversa formidare.“* Die 9. Oct. festo s. Dionysii etc. Item die 28. Aug festo s. Hermetis.

[2]) Idem 1. 2. q. 60. a. 2. sq.

[3]) S. Thomas: 1. 2. q. 60. a. 2.; — 2. 2. q. 58. a. 8. ad 3: „Passiones interiores secundum se non ordinantur ad alterum, — sed earum effectus sunt ad alterum ordinabiles, scilicet operationes exteriores.“

[4]) S. Thomas: 1. 2. q. 60. a. 2. Suarez: „Virtutes dicuntur esse circa operationes, quia ita referuntur ad rectitudinem ipsarum operationum per se, ut non respiciant tantum perfectionem ipsius operantis in se ipso, sed prout ad alium refertur, nec per se tendant ad moderandum affectum et subjiciendum unum appetitum alteri, sed solum ad bene exercendum officium erga alterum.“ De virtutibus in genere. Disp. III. Sect. IV. n. 3.

[5]) S. Thomas: Summa contra Gentiles Lib. I. cap. 92. In Lib. 3. Sent. Dist. 33. q. 2. a. 2.

[6]) S. Thomas: Summa Theol. 1. 2. q. 56. a. 3. et sq.

Assertiones falsae.

3. — a) Falsa est doctrina *Pantheistarum* modernorum, qui sibi complacent in assertione, omnem virtutem esse scientiam,[1]) atque scientiâ in homine existente, eundem peccare non posse, et quicunque peccet, illum propter ignorantiam peccare. — Nam *„scire* quidem praeexigitur ad virtutem moralem, in quantum virtus moralis operatur secundum rationem rectam,“[2]) sed virtus ipsa scientia non est,[3]) nec scientia sufficit ad bene operandum, si quidem „appetitus obedit non omnino rationi ad nutum“;[4]) sed requiritur etiam, ut appetitus sit bene dispositus ad sequendum rectam rationem, ad quod, ut vidimus, plures habentur virtutes. Quam ob rem virtutes non tam per doctrinam, sicut scientiae et artes, quam per assuetudinem acquiruntur; non, inquam, vir bonus est, qui bene vivendi regulas scit, sed qui bene vivere consuevit.

b) Falsa est positio quorundam Angliae philosophorum *(Cumberland, Schaftesbury, Hutscheson, Adam Smith)* dicentium, omnes virtutes ex affectionibus seu passionibus procedere, nec non assertio germanici philosophi *Schopenhauer* delirantis, virtutes in naturali compassione radicari.[5]) — Etenim virtutes non a passionibus, sed a voluntate generantur per actus bonos repetitos, neque omnes circa passiones versantur, sed aliae circa passiones, aliae circa operationes,[6]) ut superius dictum est.

c) Falsa est sententia *Kantii,*[7]) praestituto commento plane opposita, scilicet ad virtutem requiri apathiam („Apathie“, „Abwesenheit aller Affecte“). — Namque dantur virtutes, quarum est affectus et passiones rectae rationi conformare, atque ideo „passiones esse possunt in virtuoso, secundum quod sunt a ratione ordinatae.[8]) Imo absentia omnium affectuum in homine non datur, hinque Innocentius XI. damnavit propositionem 55. Michaëlis Molinos effutientis, *hominem posse pervenire ad extinguendas omnes passiones, ita quod nihil amplius sentitur inquietudo, sicut corpus mortuum nec anima se amplius commoveri sinit.*[9])

[1]) Idem feste Angelico docuit Socrates. Vid. Summa Theol. 1. 2. q. 58. a. 2. c. Ceterum istud commentum Pantheistarum consequitur ex falsa eorum doctrina de Determinismo intellectuali.

[2]) Thom.: 1. 2. q. 56. a. 2. ad 2. S. Ambrosius scribit: „Doctrina facit, ut possimus pervenire ad justitiam. Potest igitur acquiri justitia discendo. Intendamus igitur studio in formam Evangelicae doctrinae.“ Lib. I. de Jacob et vita beata, cap. 3. n. 9.

[3]) Scientiam quandam ad virtutem esse necessariam, sed veri nominis virtutem non esse, jam dixit s. Augustinus: *„Sine scientia, nec virtutes ipsae, quibus recte vivitur, possunt haberi, per quas haec vita misera sic gubernetur, ut ad illam, quae vere beata est, perveniatur aeternam.“* De trinitate Lib. XII. cap. 14. n. 21. Quibus verbis s. Doctor et connexionem et diversitatem simul utriusque indicat.

[4]) S. Thom. 1. 2. q. 58. a. 2. c.

[5]) Die beiden Grundprobleme der Ethik. II. S. 213. u. f. Leipzig 1861. II. Aufl.

[6]) Thom.: 1. 2. q. 59. n. 4. Gregorius de Valentia: In 1. 2. Disp. V. q. 4. P. I.

[7]) Metaphisische Anfangsgründe der Tugendlehre 1797. S. 28. 46—53.

[8]) S. Thom.: 1. 2. q. 59. a. 2. — Hinc s. Augustinus: *„Si perversa est voluntas, perversos habebit motus* (scilicet passionum); *si autem recta est, non solum inculpabiles, verum etiam laudabiles erunt.“* De Civitate Dei Lib. XIV. cap. 6. n. 1.

[9]) Sapientissimus Pontifex Benedictus XIV. secundum Theologorum doctrinam tradit *virtutem* ipsam *heroicam*

§. 109.

De virtutibus cardinalibus.

1. — Inter virtutes humanas morales sunt quaedam principales, *Cardinales* dictae, eo quod in his veluti cardinibus tota humanae vitae probitas nititur.

Calvinus sobrietatem, justitiam et pietatem,[1]) *Melanchthon* justitiam, veracitatem et temperantiam,[2]) virtutes principales esse docuerunt. Protestantium theologorum et philosophorum alii alias ut praecipuas omnium virtutum designant.[3]) Adversus quos veram et ab omnibus catholicis adprobatam doctrinam de virtutibus cardinalibus exponere assumimus hac quidem propositione.

PROPOSITIO.

Prudentia, justitia, fortitudo et temperantia sunt virtutes cardinales.

2. — Haec est doctrina ss. Patrum, s. Ambrosii,[4]) s. Augustini,[5]) s. Hieronymi,[6]) s. Gregorii M.,[7]) s. Bernardi,[8])

non excludere passiones, sed easdem cohibere et rite ordinare, porro Apostolum Paulum quoque certamen supponere in christianis Heroibus et Sanctis adversus proprias passiones, ut iidem aeternam assequantur coronam, cum ait: *Non coronabitur, nisi qui legitime certaverit.* De Servorum Dei Beatificatione et Beatorum Canonizatione, Lib. III. cap. XXII. n. 7. Videatur etiam Nicolaus Lancicius: De humanarum passionum dominio, praesertim cap. 7. et 33. (Opusculorum spiritualium Tom. I. op. 4. Ingolstadii 1724.)

[1]) Vid. Wuttke, Handbuch der christl. Sittenl. I. B. S. 184. 557. Berlin 1861.

[2]) Vid. Wuttke: l. c. S. 181.

[3]) Franc. Buddeus ceu principales virtutes declarat pietatem, temperantiam et justitiam (die Frömmigkeit, Mässigkeit und Gerechtigkeit. Apud Adolph. Wuttke: Handb. d. chr. Sittenl. I. B. S. 253). Fichte dicit: „Es gibt nur eine Tugend: Die, sich selbst als Person zu vergessen; und nur Ein Laster: Das, an sich selbst zu denken.“ (Grundzüge des gegenwärtigen Zeitalters, S. 71.) Schleiermacher sequentes enumerat virtutes fundamentales: „Weisheit, Liebe, Besonnenheit, Beharrlichkeit.“ (System der Ethik. §. 296. u. f.) Rothe: Genialität, Weisheit, Originalität und Stärke.“ (Ethic. §. 645. f.) Imman. Herm. Fichte: „Begeisterung, Standhaftigkeit, Weisheit und Besonnenheit.“ Chalybaeus fortitudinem seu animum („Muth“) „virtutem primitivam“ appellat (System der speculativen Ethik. I. B. S. 408). Juxta Adolph. Wuttke virtutes principales sunt fidelitas, justitia, temperantia et fortitudo. Ita probat: „Die Tugend des Muthes entspricht dem cholerischen Temperamente, die der Mässigkeit dem phlegmatischen, die der Gerechtigkeit dem sanguinischen, die Treue dem melancholischen Temperamente.“ (Handbuch der christl. Sittenl. I. B. S. 549. u. f.)

[4]) De Paradiso, cap. III. n. 14. De Officiis, Lib. I. n. 115. 126.; Lib. II. n. 49. De Cain et Abel, Lib. II. n. 21. De Isaac et anima cap. 8. et alibi.

[5]) De Genesi contra Manichaeos, Lib. II. n. 13. n. 14. De libero arbitrio Lib. I. c. 13. et alias.

[6]) Epist. 52. n. 13.

[7]) Lib. XXII. Moral. c. 1. n. 2. Lib. II. Moral. cap. 49. n. 76. et 77.

[8]) De conversione ad Clericos, cap. 10. n. 21. De consideratione, Lib. I. c. 8. n. 9. De diversis Serm. 72. (alias 35. ex parvis) n. 2. In Cant. Serm. 22. n. 10.

haec etiam concors Theologorum sententia est, quae hoc divinae scripturae eloquio nititur: „*Et si justitiam quis diligit, labores hujus magnas habent virtutes: sobrietatem* (temperantiam) *enim, et prudentiam, docet et justitiam et virtutem* (fortitudinem), *quibus utilius nihil est in vita hominis.*“ Sap. 8, 7. Cognoscitur autem eadem veritas etiam ex indole praedictarum virtutum, quam proinde nunc considerare volumus.[1])

3. — *Prudentia, justitia, fortitudo* et *temperantia* sensu latiori et strictiori accipi solent.

1. *In sensu largiori* hae virtutes significant quasdam generales animi humani qualitates, ita nimirum, ut *justitia* sit rectitudo voluntatis, *prudentia* rectitudo rationis seu discretionis, *fortitudo* firmitas animi, et *temperantia* moderatio animi, equidem in materiis quibuscunque. Si secundum hunc sensum, quo quidem a. ss. Patribus[2]) accipi solent, virtutes praedictae intelligantur, tunc eatenus sunt *cardinales,* quatenus designant quatuor generales conditiones in omnibus virtutibus repertas; siquidem virtus quaevis habet rectitudinem voluntatis ac rectam discretionem, firmitatem pariter atque moderationem animi.

4. — II. *Sensu arctiori* si illae virtutes sumantur, tunc versantur circa *speciales materias,* ideoque virtutes speciales dicuntur, ita, ut *justitia* sit virtus rectificans voluntatem ad jus cuique tribuendum, *fortitudo* sit virtus rectificans appetitum irascibilem ad mortem ejusque pericula aut sustinenda aut depellenda, *temperantia* sit virtus rectificans appetitum concupiscibilem ad delectationes venereas atque cibi potusque moderandas, denique *prudentia* sit virtus rectificans rationem ad actus legi rationis conformandos. Justitia, fortitudo et temperantia procul dubio sunt virtutes morales, quia appetitum partim rationalem seu voluntatem, partim sensitivum, nempe irascibilem et concupiscibilem perficiunt. Prudentia quoad subjectum, in quo residet, est virtus intellectualis, rationem namque perficit; sed quoad materiam, circa quam versatur, est virtus moralis, quia

[1]) Et gentilium philosophi passim istas virtutes ut principales designarunt, Plato libr. 4. de republ., Cicero lib. 2. de inventione. Apposite s. Ambrosius observat: „*Quae (quatuor initia virtutum) sapientes istius mundi ex nostris adsumta, in suorum scripta librorum transtulerunt.*“ De Parad. c. 3. n. 14.

[2]) S. Ambrosius, s. Augustinus, s. Hieronymus, s. Gregorius M., s. Bernardus in operibus supra notatis.

mores dirigit, adeoque virtutibus moralibus ab omnibus merito accensetur. [1])

5. — Jamvero hoc sensu acceptae virtutes illae dicuntur cardinales: A. quia circa principales materias versantur, et B. quia reliquae virtutes morales omnes ad easdem ut secundariae ad principales reduci possunt.

A. Versantur *circa materias principales,* nempe res valde difficiles et necessarias in vita humana; [2]) etenim suum unicuique tribuere secundum aequalitatem, quod ad justitiam pertinet; pericula mortis sustinere vel depellere, quod fortitudinis est; delectationes gustus tactusque moderari, quod ad temperantiam spectat; actus singulos praescripto legis adaptare, ut sint honesti, quod prudentia praestat, — ex una parte valde difficile, ex altera parte maxime necessarium est praesenti vitae.

1. *Justitia* a) valde necessaria est in vita humana. Namque *justitia elevat gentem.* Prov. 14, 34. Justitiae autem fundamento sublato societas humana subsistere nequit. Quid enim, si furtum, rapina, si detractio, personarum acceptatio, innocentis oppressio, aliaque justitiae opposita vitia impune inter homines grassarentur? De sequelis furti, si communiter fieret, observat s. Thomas: *„Si passim homines sibi invicem furarentur, periret humana societas.“* [3]) — Justitia b) virtus difficilis est, quia natura nostra per peccatum corrupta valde proclivis est ad cupiditatem, quae impedit justitiam. Hinc dicitur in s. scriptura: *„Beatus vir, qui — post aurum non abiit, nec speravit in pecunia et thesauris. Quis est hic, et laudabimus eum? Fecit enim mirabilia in vita sua.“* Eccli. 31.

2. *Fortitudo* a) valde necessaria est. Etenim saepe labores molesti suscipiendi, mala perpetienda, pericula sustinenda vel depellenda, ut obsequamur divinae voluntati; porro *qui pie volunt vivere, persecutionem patientur* 2. Tim. 3, 12., imo a Christo monemur, *quotidie crucem tollere* Luc. 9, 23., — hinc necessitas fortitudinis. — Eadem b) virtus difficilis est. Quantum enim natura appetit delectabilia, tantum refugit difficilia, molesta, periculosa. Nonne nostro tempore homines, qui se catholicos vocant, potissime a timore mundano moveri patiuntur ad violandas sanctissimas leges, ad injurias acerbissimas Ecclesiae infligendas?

---

[1]) S. Thomas: „Prudentia dicitur esse *media inter virtutes morales et intellectuales* quantum ad hoc, quod in *subjecto* convenit cum virtutibus intellectualibus, in *materia* autem totaliter convenit cum moralibus.“ 2. 2. q. 181. a. 2. ad 2.

[2]) Suarez scribit: „Dicuntur autem virtutes *Cardinales,* — vel quatenus illa quatuor nomina in generali significatione usurpantur, ut videlicet dicant *quatuor generales conditiones in omnibus virtutibus repertas;* vel si sumantur, ut significant quatuor *particulares virtutes,* dicuntur *Cardinales, quia ex parte materiae habent quandam excellentiam, ut sunt maxime necessariae,* et veluti introitus et janua ad ceteras virtutes, *unde non est necesse, has esse praecipuas perfectione et essentia, sed necessitate et usu.*“ De virtutibus in genere, Disp. III. Sect. V. n. 1. — S. Thom.: 1. 2. q. 61. a. 2.

[3]) 2. 2. q. 66. a. 6. c.

3. *Temperantia,* videlicet abstinentia et castitas a) necessaria est, quia absque illa homo fit sicut equus et mulus, quibus non est intellectus. Psalm. 31, 9. Hinc Ecclesia duo dedit praecepta de hac virtute, unum de abstinentia a carnibus, alterum de jejunio, — Eadem virtus b) difficilis est, quia delectationes ciborum et venereorum sunt vehementissimae inter omnes delectationes corporales. [1])

4. *Prudentia* a) necessaria est, quia est moderatrix et directrix omnium aliarum virtutum moralium coll. §. 111. n. 3. — b) Difficilis est, quia ad eam libertate ab inordinatis passionibus, circumspectione et solertia multa opus est.

B. *Omnes aliae virtutes morales ad illas reduci possunt,* [2]) etenim omnes aliae virtutes in aliis materiis minus principalibus faciunt idem, quod illae quatuor in materiis principalibus efficiunt, et sic aliquo modo illarum vim et naturam participant. Etenim vel inclinant ad debitum plus minusve strictum alteri praestandum, ut religio, pietas, obedientia, gratitudo, et tunc ad justitiam pertinent; — vel animi firmitatem in rebus quibusdam arduis produnt, ut magnanimitas, patientia, perseverantia, et tunc ad fortitudinem referuntur; — vel moderationem quandam appetitus efficiunt, uti continentia, modestia, parsimonia et tunc ad temperantiam spectant; — vel rationem practicam perficiunt ad actiones bene dirigendas, ut eubulia (ratio bene consiliandi), et tunc ad prudentiam pertinent.

6. — Virtutes Cardinales secundum diversos gradus et status diversas recipiunt denominationes. Quia nempe res humanas moderantur et reddunt hominem bene ordinatum ad vivendum inter homines, *politicae* dicuntur; [3]) quatenus hominem ad passiones rationi subdendas disponunt, eumque abstrahunt a rebus temporalibus atque Deo conjungunt, appellantur *purgatoriae;* ut porro inveniuntur in animo omnino perfecto, nempe purgato a passionum insultibus et cum Deo immobiliter unito, dicuntur *purgati animi,* quae quidem virtutes sunt Beatorum, vel aliquorum in hac vita perfectissimorum, ut e. g. castitas in s. Aloysio Gonzaga, [4]) in s. Maria Magdalena de Pazzis, [5])

---

[1]) S. Thomas: 2. 2. q. 15. a. 3. c.

[2]) S. Thom.: „Aliae vero virtutes sunt quaedam secundariae. Et ideo possunt reduci ad praedictas (quatuor), *non sicut species ad genera, sed ut secundaria ad principalia.*“

[3]) S. Bonaventura: „Sicut Theologicae (virtutes) dicuntur, quia ordinant hominem ad divina et quasi faciunt hominem divinum, sic istae virtutes dicuntur *politicae,* quia reddunt hominem bene ordinatum ad vivendum inter homines, unde *politica virtus dicitur a polis, quod est civitas.*“ In Lib. III. Sent. Dist. XXXIII. Dub. 5.

[4]) Virginitatem perpetuam, quam novennis voverat, singulari Dei beneficio, nulla mentis aut corporis pugna tentatam servavit. Offic. divin. die festo 21. Junii Lect. 4.

[5]) Cum mors illi instaret, a confessariis interrogata ingenue professa est, nullam sibi unquam in animo cogitationem fuisse, quae quidquam de casti-

mansuetudo s. Francisci Salesii,[1]) zelus gloriae divinae in s. Ignatio de Loyola.[2]) In quantum earum exemplar in Deo praeexistit, *exemplares* nuncupantur.

* S. Ambrosius: Lib. de Paradiso cap. 3. n. 13—23. De officiis ministrorum Lib. I. cap. 24. et sq. (ubi de singulis sermonem instituit.) S. Augustinus: De Genesi contra Manichaeos Lib. II. n. 13. et 14. De libero arbitrio Lib. I. cap. 13. S. Thomas: Summa Theolog. 1. 2. q. 61. tota; in Lib. III. Sent. Distinct. XXXIII. q. 1. art. 1.; q. 2. a. 1.; et q. 3. S. Bonaventura: In Libr. III. Distinct. XXXIII. art. 1. quaest. 4. Opusc. de quatuor virtutibus cardinalibus. — Gregorius de Valentia S. J.: Comment. Theolog. 1. 2. Summae Theolog. Disp. V. Quaest. 4. Punct. 3. Suarez: De virtutibus in genere Disp. III. Sect. V. n. 1. et 2. Estius: In Libr. III. Sent. Dist. XXXIII. §. 1. Azor S. J.: Institutiones morales Lib. III. cap. 26. Benedictus XIV.: De Servorum Dei Beatificatione et Beatorum Canonizatione, Lib. III. Cap. XXII. n. 3. (succincte.)

Cardinales animae virtutes bonis equis currus comparatae.

S. Ambrosius[3]) ait: „Rector noster Christus est. Ideoque ait anima: *Posuit me currus Aminadab.* (Cant. 6.) Anima ergo currus, qui bonum rectorem sustinet. Si currus est anima, habet equos vel bonos vel malos. Boni equi virtutes sunt animae: mali equi, passiones sunt corporis. Bonus ergo rector malos equos restringit et revocat, bonos incitat. Boni equi sunt quatuor, prudentia, temperantia, fortitudo, justitia. Mali equi iracundia, concupiscentia, timor, iniquitas. Interdum ipsi equi inter se dissident, et aut iracundia protendit, aut timor, et se invicem impediunt, et cursum retardant. At vero boni equi evolant, et a terris ad superiora se subrigunt, animamque elevant: maxime si jugum habeant suave, et onus leve dicentis: *Tollite jugum meum super vos; jugum enim meum suave est, et onus meum leve.* (Matth. 11.) Ipse rector est, qui novit equos proprios gubernare, ut aequalis omnium cursus sit. Si velocior est prudentia, tardior justitia, admonet flagello proprio segniorem; si temperantia mansuetior, fortitudo durior, novit copulare discordes, ne forte currum suum dissipent. Itaque licet intelligibili (spirituali)

tatis candore delibaret; atque hunc integerrimae pudicitiae florem a B. Virgine indultum sibi fuisse. Clemens X. in bulla Canoniz. a. 1670. edita.

[1]) Iram, ad quam natura sua erat valde proclivis, per pugnam 20 annorum ita subegit, ut postmodum nullo ejus impetu quateretur.

[2]) Ribadeneira in ejus vita Lib. III. cap. 3 scribit: „Illud Dei misericordia est consecutus, ut per multos annos, antequam de vita decederet, nullam inanis gloriae cogitationem habuerit; — nullumque se vitium diceret minus extimescere, quam vanitatis et gloriae inanis."

[3]) Lib. de Isaac et anima cap. 8. n. 65.

spectaculo videre unamquamque animam cum summo certamine ad coelum rapi, festinantes equos, qui priores perveniant ad bravium Christi, quo prius imponatur palma cervicibus."

Eaedem virtutes quatuor angulis domus et quatuor fluminibus paradisi comparatae.

S. Gregorius M. allegorice explanans locum libri Job. 1, 18. et 19. „*Loquebatur ille, et ecce alius intravit, et dixit: Filiis tuis et filiabus vescentibus et bibentibus vinum in domo fratris tui primogeniti, repente ventus vehemens irruit a regione deserti, et concussit quatuor angulos domus, quae corruens oppressit liberos tuos, et mortui sunt: et effugi ego solus, ut nuntiarem tibi,*" sequentia eleganter observat:[1]) „— regio deserti est immundorum spirituum multitudo derelicta, quae dum conditoris sui beatitudinem deseruit, quasi manum cultoris amisit: a qua ventus vehemens venit, et domum subruit, quia ab immundis spiritibus fortis tentatio subripit, et a tranquillitatis suae statu evertit. In quatuor vero angulis domus ista consistit; quia nimirum solidum mentis nostrae aedificium prudentia, temperantia, fortitudo, justitia sustinet. In quatuor angulis domus ista subsistit; quia in his quatuor virtutibus tota boni operis structura consurgit. Unde et quatuor paradisi flumina terram irrigant: quia dum his quatuor virtutibus cor infunditur, ab omni desideriorum aestu temperatur.[2]) Sed nonnumquam dum menti ignavia subripit, prudentia frigescit; nam cum fessa torpet, ventura non providet. Nonnumquam dum nonnulla menti delectatio subripit, temperantia nostra marcescit; in quantum enim ad delectationem praesentium ducimur, in tantum minus ab illicitis temperamus. Nonnumquam se timor cordi insinuat, et vires nostrae fortitudinis turbat; et eo minores contra adversa existimus, quo quaedam perdere immoderatius dilecta formidamus. Nonnumquam vero amor suus menti ingerit, eamque latenti motu a rectitudine justitiae divertit; et quo se totam auctori reddere negligit, eo in se justitiae juri contradicit. Ventus ergo vehemens quatuor angulos domus contutit, dum fortis tentatio occultis motibus quatuor virtutes quatit; et quasi quassatis angulis domus eruitur, dum pulsatis

[1]) Moral. Lib. II. cap. 49. n. 76. et 77.

[2]) Eadem comparatione utuntur s. Ambrosius: De Paradiso cap. 3. n. 14. s. Augustinus: De Genesi contra Manichaeos Lib. II. n. 13. et 14.

virtutibus conscientia turbatur. Inter hos autem quatuor domus angulos filii convivantur: quia intra arcana mentis, quae principaliter his quatuor virtutibus ad summae rectitudinis culmen erigitur, virtutes ceterae quasi quaedam cordis soboles se invicem pascunt."

§. 110.

De medio virtutum moralium.

PROPOSITIO.

Virtus moralis in medio consistit.

1. — Virtutes generatim in medio consistere, haud dubie innuitur in s. scriptura, dum dicitur: *„Haec est via, ambulate in ea, et non declinetis neque ad dexteram, neque ad sinistram"* Isai. 30, 21., qualia etiam Deut. 5, 32. Prov. 4, 27. habentur, porro diserte traditur a ss. Patribus,[1]) et signanter de virtutibus moralibus a s. Thoma,[2]) s. Bonaventura[3]) et Theologis communissime tenetur.[4]) Potest autem doctrinae propositae veritas ex ratione sequenti modo probari:

2. — Virtus moralis est habitus bonus acquisitus, et ceu talis consistit in *habituali appetitus humani conformitate ad legem naturae,*

[1]) S. Gregorius Nyss. scribit: *„Virtus media est inter duo vitia: nempe inter defectum honesti et exuberationem."* Homil. 8. in Cant. S. Ambrosius ait: *„Si quis aequabilitatem universae vitae, et singularum actionum modos servet, — in ejus vita decorum illud excellit et quasi in quodam speculo elucet."* De officiis Lib. I. cap. 47. n. 234. S. Hieronymus haec habet: *„Difficile est, modum tenere in omnibus. Et vere juxta philosophorum sententiam* μεσότης ἡ ἀρετή. ὑπερβολὴ κακία id est: *Modus virtus est, vitium nimietas reputatur. Quod nos una et brevi sententia exprimere possumus: Ne quid nimis."* Epist. 108. n. 20. S. Augustinus tradit: *„Virtus est aequalitas vitae ratione undique consentientis."* De quantitate animae cap. 16. n. 27. Dicit: *„undique,"* id est: „medietatem tenendo inter duo extrema, nec ad superfluum, nec ad diminutum declinando," ut s. Bonaventura in Lib. III. Sent. Dist. 33. a. 1. q. 2. ad 2. explicat. Cf. De vita beata n. 32. De Genesi contra Manichaeos Lib. II. cap. 9. n. 12. S. Bernardus docet: *„— modum tenere, justitia est, temperantia est, fortitudo est. — Restat, ut doceamus, ab hac communione prudentiam non excludi. Nonne ipsa est, quae modum — prior reperit et advertit?"* De Considerat. Lib. I. cap. 8. n. 11. *„Tene medium, si non vis perdere modum."* Ibid. Lib. II. cap. 10. n. 19.

[2]) Summa Theol. 1. 2. q. 64. a. 1.

[3]) In Lib. III. Sent. Dist. XXXIII. a. 1. q. 2. ad. 5.

[4]) Ceterum item jam Aristoteles tradidit: *„Virtus est habitus voluntarius in medio consistens, recta ratione determinatus"* (Ethic. Lib. II. c. 6.), et post eum Cicero: *„Omnis virtus mediocritas"* (De claris oratoribus, c. 40.)

quae, ut diximus (§. 107. n. 1.), est regula seu norma omnis virtutis moralis acquisitae: et haec quidem conformitas tum quoad objectum, tum quoad finem et circumstantias attendi debet. Jam vero a lege naturae, prouti a qualibet regula, discordare duplici modo contingere potest, nempe aut eam excedendo, aut ab eadem deficiendo; unde manifestum redditur, virtutem moralem, quae quippe conformitas est affectuum et operationum ad legem rationis, *medium* tenere *inter excessum* et *defectum,* seu *in medio* inter duo extrema consistere. Sic e. g. liberalitas est medium inter prodigalitatem et avaritiam, obedientia medium tenet inter servilitatem et inobedientiam, fortitudo inter timiditatem et temeritatem etc. Unde simul colligitur, quod *major est vitiorum, quam virtutum multitudo,* siquidem a medio aberrare variis modis contingit, recte agere, mediumque tenere, unico modo.

3. — Sed dices: *Quaedam virtutes morales tendunt ad extremum, et tamen sunt perfectissimae virtutes; sicuti virginitas, quae abstinet ab omni delectatione venerea, est perfectissima castitas, et dare omnia pauperibus, est perfectissima misericordia vel liberalitas: ergo virtus moralis non in medio consistere videtur.* — Ad quod reponendum est, sub medio virtutis intelligi ejusdem conformitatem seu convenientiam cum lege naturali seu regula rationis, adeoque non quantitas rei, sed relatio ad regulam rationis attendi debet. Atqui virginitas et voluntaria paupertas optime per se congruunt rectae rationi, siquidem maxime hominem juvant ad liberius vacandum rerum divinarum contemplationi et ad finem ultimum expeditius assequendum; quocirca in medio consistunt. Excessus autem esset, paupertatem et virginitatem servare, sicut servari non debet vel quoad objectum vel quoad aliquam circumstantiam, scilicet quando, ubi, secundum quod etc., non oportet, ut e. g. contra officium statui suo debitum, vel propter inanem gloriam; defectus esset, easdem non observare, quando oportet, vel secundum quod oportet, ut contingit in transgredientibus votum virginitatis vel paupertatis. Ita s. Thomas.[1])

* S. Bernardus: De consideratione Lib. I. cap. 8. (Op. Tom. II.) S. Thomas: Summa Theolog. 1. 2. q. 64. a. 1. et 2. In Libr. III. Sent Dist. 38. Quaest. I. — Suarez: Disput. III. De virtutibus in genere Sect. 6. Gregorius de Valentia: Comment. Theolog. in 1. 2. Summae Theolog. Disp. V. Quaest. 7. Punct. 1. Card. Gotti: Theologia scholast. dogmatica. in primam secundae. Tract. de virtutibus, Quaest. III. Dub. I. Collet: Tract. de virtut., cap. 1. a. 3. Billuart: Summa s. Thomae etc. Tract. de passionibus et virtutibus Dissert. II. Art. IV. §. 1. Reiffenstuel: Theolog. moralis Tom. II. Tract. IV. quaest. II. n. 17—19.

[1]) Summa Theol. 1. 2. q. 64. a. 1. ad. 3. Vide etiam Summ. contra Gent. Lib. III. cap. 134. et cap. 136. Aliud exemplum de magnanimitate, Summa Theol. 1. 2. q. 64. a. 1. ad. 2.; 2. 2. q. 129. a. 3. ad. 1.

§. 111.

De virtutum moralium connexione.

1. — Plerique Theologi cum Angelico Doctore tradunt, virtutes morales non tantum infusas, sed etiam acquisitas, et quidem perfectas, inter se adeo cohaerere, ut qui una careat, nullam aliam perfecte habeat;[1]) quod idem jam ss. Patres, ut s. Ambrosius,[2]) s. Augustinus,[3]) s. Hieronymus,[4]) s. Gregorius M.,[5]) s. Petrus Chrysologus,[6]) s. Bernardus[7]) asseverarunt.[8])

Sed rei tractationi praemittamus opportet discrimen inter virtutem moralem imperfectam atque perfectam bene notandum.

Imperfecta dicitur virtus moralis, quatenus non est nisi simplex „quaedam naturalis inclinatio ad bonum opus faciendum.“ *Perfecta* est ea virtus moralis, quae „ex assuefactione provenit,“ firmiterque hominem disponit atque inclinat ad bonum opus faciendum bene, constanter et facile.[9])

2. — Virtutes morales *imperfectas* inter se non esse connexas, omnes profitentur. Quidam enim naturaliter proni sunt ad liberalitatem, sed non item ad castitatem, ad humilitatem etc.[10])

3. — Virtutes autem *perfectas* morales inter se inseparabiliter colligari, auctoritati ss. Ecclesiae Patrum et Theologorum innixi sequentibus probamus.

---

[1]) S. Thomas in Lib. 3. Sent. Dist. 36. q. 1. a. 1.: Summa Theol. 1. 2. q. 65. a. 1.; et qui eum sequuntur, asseverant connexionem virtutum *„politicarum“* seu acquisitarum.

[2]) Lib. V. in Luc. cap. 6. n. 63. Lib. de Paradiso cap. 3. n. 22. De officiis lib. I. cap. 27. n. 129.

[3]) De Trinitate Lib. III. cap. 6. n. 6. Liber ad Hieronymum seu Epist. 167. n. 7.

[4]) Epist. 66. ad Pammachium n. 3. Lib. I. contra Pelagian. n. 19.

[5]) Libr. XXII. Moral. c. 1. n. 2.

[6]) Serm. 145. De Generatione Christi (Tom. 7. Biblioth. PP. p. 956.), ubi haec habet: *„Virtutes, si separatae fuerint, dilabuntur.“*

[7]) De Consideratione. Lib. I. cap. 8. totum.

[8]) Id ipsum docuerunt Aristoteles: Ethic. Lib. VI. c. ult., Cicero: De officiis Lib. II.

[9]) S. Thomas in Lib. 3. Sent. Dist. 36. q. 1. a. 1.

[10]) Scribit s. Gregorius M.: *„Saepe quosdam pudicos quidem vidisse nos contingit, sed non humiles, quosdam vero humiles sed non misericordes;* etc.“ Lib. XXII. Moral. cap. 1. n. 2. Deinde adjungit: *„Una itaque virtus sine aliis aut omnino nulla est, aut inperfecta.“* Similiter s. August.: epist. 167. S. Hieronymus: Dialog. I. contra Pelagianos, cap. 7. S. Thomas: 1. 2. q. 65. a. 1. c. In Lib. 3. Dist. 36. q. 1. a. 1.

I. *Prudentia omnium virtutum moralium acquisitarum forma est.* Id diserte docet d. Thomas,[1]) quem alii Theologi communissime sequuntur, idemque ss. Patres jam, etsi non nomine, re tamen asserunt.[2]) Ratio autem haec est: Virtus quaevis moralis in medio (in conformitate voluntatis ad legem naturae) consistit, ut §. 110. probatum est. Ut autem voluntas in suis operationibus medium attingat, videlicet legem naturalem nec excedendo, neque ab ea deficiendo, directione opus habet. Atqui prudentia est, quae sic dirigit voluntatem. Ergo a prudentia pendet, ut virtus moralis vera perfectaque enascatur, seu prudentia est forma omnium virtutum moralium. Exemplum: misericordia, quae est virtus moralis, promptum hominem reddit ad dandam pauperibus eleemosynam; prudentia vero definit, quantum, ubi, quando, quomodo pauperi dari oporteat, ut actus misericordiae sint omni ex parte legi conformes, ideoque vere honesti et virtuosi.

4. — II. *Virtutes morales cum prudentia inseparabiliter connexae sunt,* quia prudentia illarum forma est, ut diximus. Sed *etiam prudentia cum virtutibus moralibus intime cohaeret,* quia sicut ratio ab appetitu, ita prudens rationis judicium maxime a rectitudine appetitus dependet, quae per virtutes morales efficitur; unde omnium sapientium consensus est, eum, qui debet recte judicare, oportere vacuum esse ab inordinata passione.[3]) Unusquisque solet judicare, prout affectus est. — Itaque prudentia et virtutes morales mutuo se juvant, simul incipiunt esse in anima,[4]) atque inseparabiliter coëxistunt.[5])

---

[1]) *„Caritas est forma aliarum omnium virtutum, sicut prudentia moralium.“* In 3. Sent. Dist 27. q. 2. Solutio 3. *„Connexio virtutum accipitur secundum illud, quod est formaie in virtutibus, id est, secundum charitatem, aut secundum prudentiam.“* 2. 2. q. 152. a. 3. ad 2. Item 2. 2. q. 166. a. 2. ad 1. ubi *„directivam et completivam omnium virtutum moralium“* prudentiam appellat.

[2]) S. Ambrosius prudentiam dicit *„fontem, qui in virtutes derivatur ceteras.“* De offic. Lib. I. cap. 27. S. Gregorius M. dicit: *„Nisi virtutes reliquae ea, quae appetunt, prudenter agant, virtutes esse nequaquam possunt.“* Lib. II. Moral. cap. 46. n. 71. S. Bernardus prudentiam vocat *„moderatricem et aurigam virtutum.“* In Cant. Serm. 49. n. 5. Praeterea s. Antonius in vitis Patrum Lib. IV. cap. 22. dixisse legitur, discretionem, quae ad prudentiam pertinet, esse *genitricem et custodem et moderatricem virtutum.*

[3]) S. Thomas in Lib. 3. Sent. Dist. 36. q. 1. a. 1; 1. 2. q. 65. a. 1. c.

[4]) Idem 3. q. 85. a. 6. c.

[5]) Hinc explicatur, quo sensu s. Augustinus dicere potuerit: *„Virtus est recta ratio ad suum finem perveniens.“* (Soliloq. Lib. I. cap. 6.) et: *„Virtus est bona voluntas“* (De Civitate Dei Lib. XV. cap. 22.). In omni enim virtute recta ratio et bona voluntas concurrit, hoc

III. *Etiam virtutes morales inter se inseparabiliter connexae sunt, nempe per prudentiam.* [1]) Ratio est, quia prudentia est forma omnium virtutum moralium. Omnibus quippe illis unum commune est, nempe conformitas ad legem rationis, hanc vero conformitatem prudentia causat. In hac igitur virtute omnes aliae fundantur et inseparabiliter connectuntur. [2])

Ideo a) *Qui unam virtutem moralem habet, ceteras pariter habet, saltem in propinquitate.* Ratio est, quia ille, qui unam virtutem possidet, certe prudentiam possidet, sine qua nimirum virtus nulla moralis perfecta vigere potest; qui vero prudentiam habet, dexteritate gaudet, actus omnes et singulos legi naturae conformandi, ex quibus actibus subinde virtutes generantur. [3])

Et b) *Qui unam virtutem moralem non habet, nec alias habet.* Ratio est, quia ille, qui una virtute morali destituitur, non amplius prudentiam habet; qui vero prudentia orbatus est, alias virtutes habere nequit. [4]) Unde tamen nequaquam sequitur, hujusmodi hominem prorsus imparem existere ad bene operandum, possidet enim adhuc naturalem inclinationem ad virtutem, habet facultates

---

tamen discrimine, quod *recta ratio* essentialiter convenit prudentiae, participative autem aliis virtutibus, quatenus secundum prudentiam diriguntur; *bona voluntas* essentialiter pertinet ad virtutes morales, participative autem ad prudentiam, quae quippe a virtutibus moralibus necessario dependet.

Ex illa connexione virtutum moralium cum prudentia, et prudentiae cum virtutibus moralibus merito infert Bernardinus Rosignolios Theologus Societatis Jesu: *„Ut ergo virtutum singularum quasi nota est et insigne prudentia, sic vicissim actiones virtutum singularum testes et nuntiae sunt prudentiae.“* Apud Benedictum XIV. de Servorum Dei Beatif. etc. Lib. 3. cap. 24. §. 1. u. 2.

[1]) S. Ambrosius: *„Primus officii* (boni operis) *fons est prudentia, qui tamen fons et in virtutes derivatur ceteras.“* De Officiis Lib. I. c. 27. n. 126.

[2]) S. Thomas: *„Cujuslibet agentis secundum virtutem intentio est, ut ipsius rationis regulam sequatur: et ideo omnium virtutum intentio ad idem tendit: et propter hoc omnes virtutes habent connexionem ad invicem in ratione recta agibilium, quae est prudentia.“* 1. 2. q. 73. a. 1. c. *„— tota materia moralium virtutum sub una ratione prudentiae cadit.“* 1. 2. q. 65. a. 1. ad 3. Cf. 1. 2. q. 65. a. 3. c.

[3]) Vid. d. Thom.: 1. 2. q. 65. a. 1. ad 1. — 2. 2. q. 129. a. 3. ad 2. — S. Augustinus ait: *„Virtus, quae una ingressa fuerit, — secum ceteras] ducit.“* Epist. 167. (al. 29.) n. 9. S. Ambrosius: *„In quo aliqua harum, quas diximus principales, est virtus, in eo etiam ceterae praesto sunt. quia ipsae sibi sunt connexae concretaeque virtutes.“* Lib. de Paradiso cap. 3. n. 22. Item de off. L. 1. c. 27.

[4]) S. Thom.: 1. 2. q. 73. a. 1. ad. 2. S. Augustinus: *„Ubi una vera virtus et aliae similiter sunt. Ubi antem aliae desunt, vera illa non est, etiamsi aliquo modo similis esse videatur.“* Epist. 167.

naturae inditas, nec non auxilium gratiae divinae ad bonum faciendum. [1]) Non possibilitatem, sed promptitudinem et constantiam honeste operandi, virtutes morales homini praebent. §. 104. n. 2.

* S. Ambrosius: De officiis Lib. I. cap. 27. S. Augustinus: Epist. 167. (al. 29.) (Op. Tom. II.) S. Gregorius M.: Libr. XXII. Moral. cap. 1. n. 2. In Ezechiel Lib. II. Homil. X. n. 18. (Op. Tom. I.) S. Bernardus: De consideratione Lib. I. cap. 8. tot. (Op. Tom. II.) S. Thomas: Summa Theolog. 1. 2. q. 65. a. 1.; q. 73. a. 1. In Lib. III. Sent. Dist. XXXVI. a. 1. S. Bonaventura: In Lib. III. Sent. Dist. XXXVI. art. 1. q. 3. S. Franciscus Salesius: Theotimus Lib. XI. cap. 7. — Suarez: De virtutibus in genere Disp. III. Sect. 9. Gregorius de Valentia: Comment. Theolog. in 1. 2. divi Thomae Disp. V. Q. 7. P. 3. Collet: Tractat. de virtutibus cardinalibus cap. 1. art. 3. concl. 2. Card. Gotti O. P.: Theol. scholast. dogmatic. Tract. de virtutibus, Quaest. III. Dub. II. Gonet O. P.: Clypeus Theologiae Thomisticae Tom. III. Tract. IV. Disp. V. art. 2. Billuart O. P.: Summa d. Thomae etc. Tract. de pass. et virtut. Dissert. II. art. IV. §. II. Azor S. J.: Institutiones morales Lib. III. cap. 29.

§. 112.

De augmento, diminutione et amissione virtutum moralium acquisitarum.

1. — Plerique Moralistarum protestantium tradunt, virtutes nullos admittere gradus, adeoque in omnibus virtuosis ac in eodem semper esse aequales. [2]) Hanc vero sententiam omnino esse reprobandam, ex sequenti doctrinae catholicae expositione apparebit.

I. *Virtutes morales acquisitae et augeri et minui possunt.* Ratio est, quia homo est ens mutabile, ideoque tam proficere, quam deficere potest, imo *„nunquam in eodem statu permanet“*. (Job. 14, 2.) Hinc s. Leo M. ait: *„Natura enim nostra manente adhuc mortalitate, mutabilis, etiamsi ad summa quaeque virtutum studia provehatur, semper tamen sicut potest habere, quo recidat, ita potest habere, quo crescat.“* [3])

---

[1]) S. Thomas: — potest contingere, quod aliquis habens habitum vitiosum prorumpat in actum virtutis, eo, quod ratio non totaliter corrumpitur per malum habitum, sed aliquid ejus integrum manet, ex quo provenit, quod peccator aliqua operatur de genere bonorum.“ 1. 2. q. 78. a. 2. c. Vide etiam 1. 2. q. 58. a. 4.; q. 65. a. 1.; 2. 2. q. 117. a. 1. ad 3.; q. 141. a. 1. ad 2.

[2]) Inter antiquos jam philosophos *Stoici* docuerunt, „virtutes non recipere magis et minus, et ideo omnes esse aequales“. Vid. d. Thom. 1. 2. q. 66. a. 1. c. Stoicos sequuti sunt Cicero et Seneca, quos idem s. Doctor refutat: 1. 2. q. 61. a. 1. c.

[3]) Serm. 39. In Quadrag. II. cap. I.

II. *Virtutes morales augentur per indefessum earum exercitium.* Ratio est, quia istae virtutes sunt habitus acquisiti: quivis autem habitus acquisitus per actuum similium repetitionem augetur. Unde s. Paulus Timotheo scribit: *„exerce autem teipsum ad pietatem.“* (1. Tim. 4, 7.) Dovle Tum. 10. I 1894.

III. *Virtutes morales diminuuntur per cessationem ab earum exercitio, et per exercitium actuum contrariorum.* Dico: a) *per cessationem ab earum exercitio,* quia si virtutes datis occasionibus non exercentur, per temporis tractum succrescunt et invalescunt passiones multae, quo fieri non potest, quin propensio ad recte operandum continuo minuatur.[1]) Hinc in s. scriptura dicitur: *„si non in timore Domini tenueris te instanter, cito subvertetur domus tua.“* (Eccli 27, 4.), id est, nisi virtutem timoris per continuum ejusdem exercitium servare studueris, tempore brevi eam et ceteras cum illa penitus amittes. — Dico b) *per exercitium actuum contrariorum,* nempe malorum, quia per hujusmodi actus diuturne exercitos inclinatio voluntatis ad inhoneste operandum suboritur, per quam propensio ad honeste operandum non potest non imminui.[2])

IV. *Virtutes morales tandem amittuntur et tolluntur per habitus vitiosos,* qui tum per remissionem ab illarum exercitio, tum per frequentem actuum malorum repetitionem enascuntur.[3]) Usquedum habitus vitiosus plene enatus non est, virtus acquisita adhuc, aliqualiter saltem subsistit: habitus enim unus nonnisi per habitum alterum sibi oppositum excluditur.[4])

---

[1]) S. Thomas: 1. 2. q. 53. a. 3. c. Alia ratio: *„Conservatio uniuscujusque rei dependet ex sua causa. Causa autem virtutis acquisitae est actus humanus. Unde cessantibus humanis actibus virtus acquisita diminuitur et tandem totaliter corrumpitur.“* 2. 2. q. 24. a. 10. c. Egregie s. Ambrosius: *„Studia virtutis quaedam instrumenta sunt. Itaque sicut bellator sine armis esse non potest, ita nec sine exercitatione virtus.“* De Abel et Cain L. I. cap. 4. n. 12.

[2]) Cf. s. Thom.: 1. 2. q. 53. a. 1. et 2.

[3]) Sic e. g. officium divinum dicere indevote, facit ad diminutionem, et tandem ad totalem ablationem habitus devotionis, pariterque ad generationem habitus oppositi, scilicet indevotionis. S. Ambrosius dicit: *„Virtus studio et discendo acquiritur, dissimulando amittitur.“* De Jacob et vita beata, Lib. I. c. 1. n. 1.

[4]) S. Thomas: *„habitui non contrariatur directe actus, sed habitus.“* 1. 2. q. 63. a. 2. ad 2. *„Vitium directe contrariatur virtuti, sicut et peccatum actui virtuoso: et ideo vitium excludit virtutem, sicut peccatum excludit actum virtutis.“* 1. 2. q. 71. a. 4. ad 2.

Consectaria.

2. — 1) *Virtutes morales in diversis hominibus possunt esse inaequales,* majores vel minores, quia ad recte vivendum seu agendum unus melius potest esse dispositus, quam alius, propter majus virtutum exercitium, vel etiam propter majus gratiae donum.[1])

2) *Virtutes morales in eodem homine secundum diversa tempora possunt esse inaequales,* vel majores, vel minores, quandoquidem tum augeri, tum dominui queunt.[2])

3) *Virtutes morales eodem tempore in uno homine possunt esse inaequales,* aliae majores, aliae minores. Virtutes enim per earum exercitium augentur, ut diximus. Atqui potest aliquis unam virtutem frequentius diligentiusque, quam aliam exercere; ergo in una prae alia crescere et proficere.[3]) Potest autem praerogativa alicujus virtutis etiam ex gratiae dono descendere.[4]) Et dehinc est, quod diversi Sancti de diversis virtutibus praecipue laudantur, ut Moyses de mansuetudine, Job de patientia.[5])

Ex his jam vero edissertis sententiam neotericorum initio adductam falsam esse, manifeste evincitur.

---

[1]) Vid. d. Thom. 1. 2. q. 66. a. 1. c. S. Augustinus: *„Alius est alio sapientior, alius alio justior, alius alio fortior.“* In Joan. Evang. Tract. 67. n. 2.

[2]) S. Thom. l. c. Apte dicit Thomas Kempensis: *„Quomodo tu posses semper in eodem statu virtutis permanere, quando hoc defuit Angelo in coelo et primo homini in paradiso?“*

[3]) Sed ratione prudentiae, quae est communis earum forma, omnes morales virtutes sunt aequales, ut docet s. Thomas, 1. 2. q. 66. a. 2. c.; id est, „sicut una virtus moralis perfecte dirigitur a prudentia in tota sua materia, ita et omnes reliquae; nec in hoc possunt ex parte prudentiae habere inaequalitatem, licet ex parte propensionis ad suos actus possint esse inaequales.“ Suarez: De virtutibus in genere, Disp. III. Sect. X. n. 5.

[4]) Clemens XIII. in Bulla Canoniz. s. Hieronymi Aemil. §. 1. ait: *„Multiformis Dei gratia ita voluntates servorum suorum afficit ac disponit, ut aliam alii virtutem potissimum consectentur, in eaque colenda atque exercenda maxime excellant.“*

[5]) S. Thom. 1. 2. q. 66. a. 2. ad 2. Item s. Hieronymus Lib. I. contra Pelagian. n. 18. Optime s. Gregorius M. Praefat. in Expos. libri Job. cap. 6. n. 13. scribit: *„Ut ergo noctis nostrae tenebras suo tempore editus, vicissimque permutatus stellarum radius tangeret, ad ostendendam innocentiam venit Abel, ad docendam actionis munditiam venit Enoch, ad insinuandam longanimitatem spei et operis venit Noë, ad manifestandam obedientiam venit Abraham, ad demonstrandam conjugalis vitae castimoniam venit Isaac, ad insinuandam laboris tolerantiam venit Jacob, ad rependendam pro malo bonae retributionis gratiam venit Joseph, ad ostendendam mansuetudinem venit Moyses, ad informandam contra adversa fiduciam venit Josue, ad ostendendam inter flagella patientiam venit Job. Ecce, quam fulgentes stellas in coelo cernimus, ut inoffenso pede operis iter nostrae noctis ambulemus.“*

* S. Augustinus: Epist. 167. (alias 29.) cap. 4. n. 14. et 15. S. Thomas: Summa Theolog. 1. 2. q. 52 et 53.; q. 66. a. 1. et 2. In Lib. III Sent. Dist. XXX. a. 1. De virtutibus q. 5. a. 3. — Suarez: De virtutibus in genere. Disp. III. Sect. X. Gregorius de Valentia: Comment. Theol. in 1. 2. Disp. V. Quaest. 7. Punct. 2.

§. 113.

De diversa virtutum moralium praestantia.

Prudentia, justitia, fortitudo et temperantia quandam praerogativam dignitatis prae ceteris virtutibus habent, quia sunt virtutes cardinales. (§. 109.) At vero aliae quaedam virtutes, ut religio, humilitas, magnanimitas, illis eatenus praecellunt, quatenus earundem ornamentum vel complementum constituunt.[1])

Porro inter cardinales virtutes primum locum tenet prudentia, secundum justitia, tertium fortitudo, quartum temperantia. Quum enim ratio sit nobilior animae facultas, quam appetitus, ideo prudentia, quae perficit rationem, merito praefertur aliis virtutibus perficientibus appetitum.[2]) Atque inter has ipsas tanto nobilior est una, quam altera, quanto magis ad rationem accedit; et idcirco justitia, quae residet in appetitu rationali seu voluntate, ceteris praestat; et fortitudo, quae pertinet ad appetitum irascibilem, antecellit temperantiae, quae spectat ad appetitum concupiscibilem, quia minus hic quam ille appetitus rationem participat.

* S. Thomas: Summa Theol. 1. 2. q. 66. a. 1. c. et a. 4.; 2. 2. q. 123. a. 12.; q. 141. a. 8.

Articulus II.

De virtutibus ordinis supernaturalis.

Singillatim 1. de virtutibus infusis quoad suam essentiam, 2. de virtutibus theologicis, 3. de virtutibus moralibus infusis, 4. de virtutum theologicarum et moralium connexione, 5. de diversa earum praestantia, 6. de virtutum supernaturalium incremento et decremento, 7. de earum ad dona Spiritus sancti relatione, et 8. de earundem relatione ad beatitudines.

---

[1]) S. Thomas: „Secundum quid autem dicitur aliqua virtus esse major, secundum quod adminiculum, vel ornamentum praebet principali virtuti; sicut substantia est simpliciter dignior accidente; aliquod autem accidens est secundum quid dignius substantia, in quantum perficit substantiam in aliquo esse accidentali.“ 1. 2. q. 66 a. 4.

[2]) S. Ambrosius: „Melior est prudentia vel ratio arbitra passionis quam passio; praestantiusque quod judicat quam quod judicio subjectum est. Neque enim fieri potest, ut ratione sit melius, quod est irrationabile. Lib. I. de Jacob et vita beata, cap. 17. n. 28.

§. 114.

De virtutibus infusis quoad suam essentiam.

1. — *Virtus supernaturalis infusa*[1]) *est bonus mentis habitus, quo recte vivitur, et quo nemo male utitur, et quem Deus in nobis sine nobis operatur.* Ita d. Thomas[2]) post s. Augustinum. Virtus acquisita humanis actibus, virtus autem infusa divino actu causatur, quocirca dicitur: *quem Deus in nobis sine nobis operatur,* videlicet sine nobis efficientibus, etsi non sine nobis adultis disponentibus et consentientibus, ut Doctor Angelicus observat.

Virtutes, quae infusae dicuntur, nequaquam sunt perfectiones naturales, ut Pelagiani asseruerent, sed hominis naturam excedunt.[3]) Nec sunt ornamenta quaedam externe tantum animae adhaerentia, prouti protestantes delirant, potius intime penetrant et perficiunt animae potentias, hominemque Deo simillimum, seu ut Theologi passim loqui solent, divinum reddunt.

2. — *Necessariae sunt homini ad salutem virtutes infusae.* Ratio est, quia finis, ad quem nos Deus abundante bonitate vocare dignatus est, in supernaturali beatitudine coelesti consistit, ad quam

---

[1]) Expressio haec biblica est. Rom. 5, 5.

[2]) Summa Theol. 1. 2. q. 55. a. 2.

[3]) S. Augustinus: „*Sicut enim non est a carne, sed super carnem, quod carnem facit vivere; sic non est ab homine, sed super hominem, quod hominem facit beate vivere; nec solum hominem, sed etiam quamlibet Potestatem Virtutemque coelestem.*“ De Civit. Dei Lib. 20. cap. 25. — „*Duplici ratione,* ait d. Thomas, *aliqui habitus homini a Deo infunduntur. Prima* ratio est, quia aliqui habitus sunt, quibus homo bene disponitur ad finem excedentem facultatem humanae naturae, quae est ultima et perfecta hominis beatitudo; — et quia habitus oportet esse proportionatos ei, ad quod homo disponitur secundum ipsos, ideo necesse est quod etiam *habitus* ad hujusmodi finem disponentes *excedant facultatem humanae naturae*: unde tales numquam possunt homini inesse, nisi ex infusione divina; sicut est de *omnibus gratuitis virtutibus.* — *Alia* ratio est, quia Deus potest producere effectus causarum secundariarum absque ipsis causis secundis, — — sicut Apostolis dedit scientiam scripturarum, et omnium linguarum, quam homines per studium, vel consuetudinem acquirere possunt, licet non ita perfecte.“ 1. 2. q. 51. a. 4. c. Priores habitus infusi, qui nempe per actus humanos acquiri nequeunt, et ad quos Angelicus omnes virtutes gratuitas refert, *habitus infusi per se,* posteriores habitus infusi, qui etiam naturalibus viribus possunt causari, *habitus infusi per accidens* a Theologis appellari solent.

consequendam non sufficiunt virtutes naturales, quae proportionem ad illam non habent, quapropter necessario requiruntur virtutes supernaturales divinitus infundendae, per quas homo convenienter disponatur ad finem praedictum.

3. — Ut vero homo in finem supernaturalem *plene* ordinetur, necesse est, ut 1) non solum immediate ad Deum, tanquam auctorem gratiae et vitae aeternae, sit recte dispositus, quod per *virtutes theologicas,* fidem, spem et charitatem, efficitur, sed ut 2) pariter ad semetipsum et ad alios, nec non circa res creatas, in relatione tamen ad Deum, finem supernaturalem, recte se habeat, quod per *virtutes morales infusas* efficitur.[1]) Hinc patet, quod tum virtutes theologicae, tum virtutes morales infusae ad consequendam beatitudinem coelestem homini necessariae sunt. Perperam itaque nonnulli Theologi negarunt, necessarias esse virtutes morales infusas.[2])

4. — Verum quidem est, quod homo etiam absque virtutibus infusis, per animae facultates gratiae divinae auxilio excitatas et adjutas potest credere, sperare, diligere, poenitere,[3]) generatim supernaturaliter operari: attamen idcirco necessitas virtutum infusarum nequaquam excluditur, id enim praestant a) ut homo *prompte constanterque* operetur,[4]) siquidem virtus quaelibet (coll. §. 104.) dat facilitatem recte operandi, atque ulterius b) ut homo *meritorie ad vitam aeternam* agere valeat, juxta verba divini Salvatoris: „*Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite, sic nec vos nisi in me manseritis.*“ (Joa. 15, 4.), manemus autem in Christo per gratiam et virtutes infusas.[5])

---

[1]) S. Thomas: 1. 2. q. 62. a. 1.; q. 63. a. 2. ad 2.; q. 65. a. 3. Exactissime eandem rem pertractat Ripalda: De ente supernat. Tom. II. Lib. VI. Disp. 119—121. Ed. noviss. Paris. 1871.

[2]) Nempe Scotus, Gabriel, Occam, Durandus et Henricus, qui dixerunt, nullam rationem aut necessitatem subesse posse, ut virtutes morales per se infusae ponantur, cum satis sit, concedere acquisitas. Vide Vasquez: in 1. 2. tom. 1. Dist. 86. cap. 1. Suarez Lib. VI. De essentia gratiae, cap. 9. n. 3.

[3]) Conc. Trident. Sess. VI. can. 3.

[4]) Hoc expresse docet s. Thomas de virtutibus moralibus infusis 1. 2. q. 65. a. 3. ad 2. et ad 3.; de theologicis simul atque de moralibus infusis Suarez Lib VI. de essentia gratiae, cap. 8. n. 20. cap. 9. n. 8. Gregorius de Valentia: Tom. 2. Disp. 5. q. 6. et alii contra alios qui negant, virtutes infusas conferre facilitatem. Vide etiam §. 116. n. 2.

[5]) Docet s. Thomas: „est *gratia* principium meritorii operis *mediantibus virtutibus*, sicut essentia animae est principium operum mediantibus potentiis.“ 1. 2. q. 110. a. 4 ad. 2.

5. — Certa doctrina est, a Concilio Tridentino enuntiata, *virtutes theologicas cum gratia sanctificante in animam infundi.*[1]) Haud minus certa, utpote ss. Patrum[2]) dictis consentanea, a Catechismo Romano[3]) et a compluribus Theologis,[4]) imo et a Concilio Viennensi (in *Clement.* de Summa Trin.) adprobata doctrina est, praeter virtutes theologicas etiam virtutum moralium habitus cum gratia omnibus, qui justificantur, infundi; quam doctrinam ipsa ratio persuadet ex necessitate harum virtutum n. 3. indicata. Et illae quidem omnes virtutes infunduntur primum in Sacramento Baptismi, quoad substantiam, non tamen semper quoad exercitium, simili modo, quo in infante recens nato adsunt omnes hominis facultates, etsi nondum ad exercitium expeditae. Gratia vero sanctificante per peccatum mortale amissa, deinceps infusio virtutum rursus in Sacramento Poenitentiae obtingit.[5]) Disponere autem et praeparare

---

[1]) Sess VI. cap. 7.: „*Unde in ipsa justificatione cum remissione peccatorum haec omnia simul infusa accipit homo per Jesum Christum, cui inseritur, Fidem, Spem et Charitatem.*“ — Hinc probabile nonnullis admodum videtur, post Tridentinum *de fide* esse, justificatis dari habitus infusos fidei, spei et charitatis: ita Suarez Lib. VI. de Gratia, cap. 8. n. 14. Vega in Conc. Trid. Lib. VII. cap. 6.; et non improbat Benedictus XIV. De Servorum Dei Beatificatione etc. Libr. III. cap. XXI. n. 13.

[2]) S. Augustinus in opere: Contra Julianum, Lib. IV. cap. 3. ex professo docet, non esse veras virtutes, nisi per fidem ordinentur ad finem charitatis, i. e. nisi sint supernaturales et infusae. In Enarr. in Psalm. 83. n. 11. enumeratis quatuor virtutibus cardinalibus pergit: „*Istae virtutes nunc in convalle plorationis per gratiam Dei dantur nobis.*“ In illud ad Tit. 3. „salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus Sancti, quem effudit in nos abunde“ addit: „*ad remissionem omnium peccatorum et copiam virtutum,*“ non daretur autem copia virtutum, si tantum theologicae infunderentur. S. Gregorius M. Homil. 5. in Ezech., et Lib. II. Moral. cap. 26. (alias 36.) tradit, Spiritum s. tribuere has virtutes morales. Et idem fere habet s. Ambrosius Lib. VI. Hexaëmeron cap. 7. n. 42. et evidentius adhuc in Comment. in Luc. Lib. I. c. 1., ubi dicit: „*Cui Spiritus sanctus infunditur, magnarum plenitudo virtutum est.*“

[3]) Dicit nimirum: „*Huic* (gratiae) *autem additur nobilissimus omnium virtutum comitatus, quae in animam cum gratia divinitus infunduntur.*“ P. II. de Sacr. Baptismi. n. 51.

[4]) S. Thomas 1. 2. q. 63. a. 3. De Virtut. in communi a. 10. q. unic. in III. Libr. Sent. Dist. 33. q. 1. a. 2 quaestiunc. 3. et 4. S. Bonaventura in Libr. III. Sent. Dist. 33. a. 1. q. 5. — Vega in Conc. Trid. Lib. VII. cap. 24. Suarez Lib. VI. de Gratia cap. 9. Vasquez in 1. 2. Dist. 86. cap. 1. et sq. Ripalda: De ente supern. Tom. II. Lib. VI. Disp. 128. Sect. 3. Praeterea s. Antoninus, Cajetanus, Gonet, Gotti, Billuart, aliique permulti. Contrarium inter antiquiores tenuerunt Scotus, Gabriel, Occam, Durandus, Henricus; iidem nempe, qui (coll. n. 3.) necessarias esse hasce virtutes negarunt.

[5]) S. Thom.: 3. q. 89. a. 1. et 2.

se debet homo adultus, divina gratia excitatus et adjutus ad justificationis gratiam et ad virtutes cum ea divinitus accipiendas.[1])

6. — *An virtutes infusae distinctae sunt a gratia sanctificante?* Affirmant s. Thomas,[2]) quem Theologorum plures[3]) sequuntur contra alios non paucos tenentes, gratiam esse idem ac charitatem, licet concedant, a ceteris virtutibus gratiam differre.[4])

Nimirum secundum illos Theologos gratia est in essentia animae,[5]) cui esse *supernaturale et divinum* tribuit, dum virtutes infusae resident in animae potentiis, easque perficiunt ad *operandum supernaturaliter*. Proinde virtutes infusae ad gratiam ita se habent, ut animae potentiae ad animam ipsam. Quemadmodum enim animae inhaerent ipsius potentiae: ita similiter gratiae inhaerent virtutes; et sicuti potentiae sunt proprietates animae, ita ut haec sine illis esse nequeat: ita virtutes infusae sunt qualitates gratiae, cum gratia inseparabiliter connexae. Ratio principalis hujus doctrinae est, quia Deus non minus perfecte providet homini in ordine supernaturali, quam in naturali. Jam vero in ordine naturali homo habet esse naturale, et habet potentias ad operandum naturaliter. Ergo consequens est statuere, quod homo in supernaturali quoque ordine habet esse, nempe supernaturale per gratiam sanctificantem, et dispositiones ad agendum supernaturaliter per virtutes infusas. — Viri docti, qui sententiam contrariam tuentur, hanc praecipue rationem proferunt, quod scriptura omnes effectus gratiae sanctificantis tribuat charitati. At responderi potest, ideo effectus gratiae tribui charitati, quia gratia per charitatem, sicut sol per lucem, plerosque effectus suos operatur.

[1]) Concilium Trid. Sess. VI. cap. 5. et 6.

[2]) Summa Theol. 1. 2. q. 110. a. 3. et 4. Contra Gent. Lib. III. cap. 150. et 151. De veritate quaest. 27. art. 1. 2. et 6.

[3]) Omnes Thomistae, Cajetanus, Medina etc. Soto late de Natura et Gratia, Lib. II. cap. 17. et 18. Gregorius de Valentia: Liber unus de divinae gratiae natura etc. Pars. I. cap. 2. (in opere: De rebus fidei hoc tempore controversis, Lugduni 1591. p. 828—829.) Suarez: Lib. VI. de essentia gratiae, cap. 11—13. Recentissime: Kleutgen: Die Theologie der Vorzeit. II. B. S. 297. —305. Scheeben: Die Herrlichkeiten der göttl. Gnade. III. B. cap. 3.

[4]) Alexander Hales. 3. part. q. 61. Durandus in II. Dist. 26. a. 1. q. 1. Scotus q. unic. Citari solet etiam s. Bonaventura, sed immerito, ut mox dicam. Et hanc sententiam late defendunt Vega in Conc. Trid. Lib. VII. cap. 25. Lessius et Bellarmin: Lib. I. de Gratia et Libero arbitr. cap. 6.

[5]) S. Bonaventura in Libr. II. Sent. Dist. XXII. art. I. q. 5. docet, gratiam esse in voluntate ceterum tenet, gratiam esse distinctam a charitate, ibid. q. 3. et 4.

§. 115.

De virtutibus theologicis.

1. — *Virtutes theologicae* vocantur virtutes, *quae immediate a Deo sunt,* — nempe revelatae et infusae, — *et immediate* Deum respiciunt, ut objectum materiale et formale.[1]) Posterius momentum maxime proprium est virtutibus theologicis, nam prius etiam aliis virtutibus convenire potest.[2])

2. — Hujusmodi virtutes sunt *fides, spes* et *charitas*. Etenim 1) immediate a Deo sunt, quia sola divina revelatione in s. scriptura traduntur,[3]) et quia a Deo ipso nobis infunduntur.[4]) Atque 2) immediate Deum, ut objectum materiale et formale respiciunt.

Equidem a) objectum materiale fidei est Deus, qua suprema veritas, objectum materiale spei est Deus ut summum bonum nostrum, objectum materiale charitatis est Deus, tamquam summum bonum in se.

b) Objectum formale seu motivum fidei est Dei sapientia et veracitas, objectum formale spei est Dei misericordia, fidelitas et omnipotentia, motivum charitatis est Dei bonitas.

Merito itaque istae virtutes dicuntur theologicae, seu divinae, quia iisdem efficimur virtuosi a *Deo* et in relatione *ad Deum*.[5])

3. — Porro tantum fides, spes et charitas sunt virtutes theologicae. Sic perpetua habet Ecclesiae doctrina juxta Apostoli verbum: „*nunc autem manent fides, spes et charitas, tria haec.*" (1. Cor. 13, 13.) Ratio theologica est: praedictae virtutes requiruntur et sufficiunt, ut perfecte attingamus Deum, finem supernaturalem, quantum pro statu viae necessarium est. Nam Deus potest considerari, ut est summum bonum in se, et ut est summum

[1]) S. Thomas ita rem exprimit: „Virtutes theologicae dicuntur, tum quia habent Deum pro objecto, in quantum per eas recte ordinamur in Deum, tum, quia a sola divina revelatione in sacra scriptura hujusmodi virtutes traduntur." 1. 2. q. 62. a. 1. c.

[2]) Ita recte observat Suarez: Libr. VI. de essentia gratiae, cap. 8. n. 7.

[3]) S. Augustinus in epist 138. ad Marcell. n. 17. scribit: „*venire et subvenire debuit coelestis auctoritas, quae vitae luminosas validasque virtutes persuaderet,* non tantum propter istam vitam honestissime gerendam, nec tantum propter civitatis terrenae concordissimam societatem; verum etiam *propter adipiscendam sempiternam salutem et sempiterni cujusdam populi coelestem divinamque rempublicam, cui nos adsciscit fides, spes, charitas.*"

[4]) Conc. Trid. Sess. VI. cap. 7.

[5]) S. Thomas: 1. 2. q. 62. a. 1. ad 2.

bonum nostrum; sub priori respectu charitas, sub posteriori spes ad eum tendit. Sed ad tendendum in Deum ut supernaturalem finem, necesse est in primis, supernaturaliter eum cognoscere, quod fit per fidem.[1]) — Alio modo: per fidem intellectus Deum, ut supernaturalem finem cognoscit, per spem et charitatem voluntas ad hunc finem ordinatur, ita, ut per spem fiducialiter eum desideremus, per charitatem cum eo spiritualiter uniamur, et per talem unionem in eum quodammodo transformemur.[2])

4. — *An virtutes theologicae in medio consistunt?* Quoad *objectum* suum virtutes theologicae non habent medium, quia earum objectum est ipse Deus, qui omnem humanam facultatem excedit, unde numquam potest homo tantum diligere Deum, quantum diligi debet, nec tantum credere aut sperare in ipsum, quantum fieri debet, quapropter multo minus potest ibi esse excessus: ergo sub hac consideratione virtutes theologicae in medio non consistunt.

Quoad *modum* autem, quo in Deum tendimus credendo, sperando, diligendo, illae virtutes in medio consistunt, quia in earum exercitio regula, qua definitur, quid et quatenus credendum, sperandum et diligendum nobis sit, violari potest non solum per defectum, sed etiam per excessum, prouti si quis leviter crederet, aut praesumtuose in Deum speraret, aut ob Dei amorem ad martyrium temere se offerret, semetipsum occideret, etc. Hinc earum actus prudentiae regulis dirigi debent.[3])

* S. Thomas: Summa Theolog. 1. 2. q. 64. a. 4. — 2. 2. q. 17. a. 5. ad 2. in Libr. III. Sent. Dist. XXIII. quaest. 1. a. 3. — Gregorius de Valentia: Comment. Theolog. in primam secundae Sum. Theol. Disp. V. Quaest. 7. Punct. 1. Mazzella S. J.: De virtutibus infusis. Disp. 1. a. 2. Romae 1879.

---

[1]) S. Bonaventura egregie ita rem exprimit: „— *sicut imago creationis consistit in trinitate potentiarum cum unitate essentiae, sic imago recreationis consistit in trinitate habituum cum unitate gratiae, per quos anima fertur recte in summam Trinitatem secundum tria appropriata tribus personis, ita quod fides dirigit in summe verum, credendo et assentiendo, spes in summe arduum,* (pulchrum) *imitando et expectando, charitas in summe bonum, desiderando et diligendo.*“ Breviloquium, Pars V. cap. 4.

[2]) S. Thomas: 1. 2. q. 62. a. 3.

[3]) S. Bernardus explicans verba Cant. 2, 4. „*Ordinavit in me charitatem*“ dicit: „*Discretio — — est ordinatio charitatis. Semper quidem zelus absque scientia minus efficax minusque utilis invenitur; plerumque autem et perniciosus valde sentitur. Quo igitur zelus fervidior, ac vehementior spiritus, profusiorque charitas, eo vigilantiori opus scientia est, quae zelum supprimat, spiritum temperet, ordinet charitatem.*“ Serm. 49. n. 5.

Praeclara quaedam ss. Doctorum eloquia de theologicis virtutibus.

S. Augustinus scribit: „Domus Dei — credendo fundatur, sperando erigitur, diligendo perficitur.“ [1])

S. Petrus Damiani virtutes theologicas in signo crucis assimilatas reperit. Nimirum „in illa Crucis parte, quae terrae defigitur, Fides, quae religionis Christianae fundamentum est, figuratur. Huic scilicet fundamento tota Fabrica bonae operationis innititur; et ut stare possit, omnis virtutum spiritualium machina sustentatur. Unde et Apostolus discipulis ait: *Nam fide statis* (1. Cor. 1.). Per supremum vero cornu, quod ceteris eminet, Spes intelligitur, qua noster animus ad capessenda coelestia provocatur. Illo vero ligno, quod in medio positum binis utrimque porrigitur brachiis, latitudo designatur geminae charitatis.“ [2])

S. Bernardus haec habet: „Dicit fides: Parata sunt magna et inexcogitabilia bona a Deo fidelibus suis. Dicit spes: Mihi illa servantur. Nam tertia quidem charitas: Curro mihi, ait, ad illa.“ [3]) — „Est Trinitas creatrix, Pater et Filius et Spiritus sanctus, ex qua cecidit creata trinitas, Memoria, Ratio et Voluntas. Et est trinitas, per quam cecidit, videlicet per suggestionem, delectationem, consensum. Et est trinitas, in quam cecidit, videlicet impotentia, caecitas, immunditia. Rursus trinitas, quae cecidit, id est Memoria, Ratio, Voluntas. — Memoria cecidit in tres species cogitationum, affectuosas, onerosas, otiosas. Ratio in triplicem ignorantiam, boni et mali, veri et falsi, commodi et incommodi. Voluntas in concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum et ambitionem saeculi. Est trinitas, per quam resurgit, scilicet Fides, Spes, Charitas; quae trimembres habent subdivisiones. Est enim fides praeceptorum, signorum, promissorum; est et spes veniae, gratiae, gloriae; est et Charitas de corde puro, et conscientia bona et fide non ficta.“ [4])

S. Bonaventura scribit: „Christus dicit: *Ego sum ostium; per me si quis introierit, salvabitur, et ingredietur, et egredietur, et pascua inveniet* (Joa. 10, 9.). Ad hoc autem ostium non approprinquamus, nisi in ipsum credamus, speremus et amemus. Necesse est igitur, si reintrare volumus ad fruitionem veritatis, tamquam ad paradisum, quod ingrediamur per fidem, spem et caritatem media-

---

[1]) Serm. 27. n. 1.

[2]) Lib. VI. epist. ep. 22. ad Damianum.

[3]) Serm. 10. in Psalm. *Qui habitat* n. 1.

[4]) De diversis Serm. 45. n. 6.

toris Dei et hominum Jesu Christi, qui est tamquam lignum vitae in medio paradisi.

Anima igitur credens, sperans et amans Jesum Christum, qui est verbum Patris incarnatum, increatum et inspiratum, scilicet via, veritas et vita, dum per fidem credit in Christum tamquam in verbum increatum, quod est verbum et splendor Patris, recuperat spiritualem auditum et visum, auditum ad suscipiendum Christi sermones, visum ad considerandum ipsius lucis splendores. Dum autem spe suspirat ad suscipiendum verbum inspiratum, per desiderium et affectum recuperat spiritualem olfactum. Dum caritate complectitur verbum incarnatum, ut suscipiens ab ipso delectationem, et ut transiens in illud per ecstaticum amorem, recuperat gustum et tactum. Quibus sensibus recuperatis, dum sponsum suum videt et audit, odoratur, gustat et amplexatur, decantare potest tamquam sponsa Canticum Canticorum — —" [1])

§. 116.

De virtutibus moralibus infusis.

1. — Comparabimus virtutes morales infusas ad acquisitas et ad theologicas. Quid enim sint, superius (§. 114.) habitum est.

De earum relatione ad acquisitas sequentia notari debent:

I. *Differunt specie ab acquisitis.* Nam a) finis supremus infusarum est beatitudo supernaturalis, finis acquisitarum in felicitate naturali consistit. Hae virtutes perficiunt hominem, qua homo est, et quatenus pertinet ad societatem humanam, rempublicam civilem, ut nimirum recte vitam humanam et civilem traducat; illae vero eum perficiunt, qua christianus est, domesticus et filius Dei adoptivus, pertinens ad Ecclesiam Christi, ut vitam vere christianam et filio Dei dignam agat, atque similis evadat Christo Domino. Rom. 8, 29. — Hinc b) objectum formale seu motivum infusarum virtutum moralium est honestas supernaturalis, quae decet hominem, quatenus est christianus, et filius Dei adoptivus; objectum formale acquisitarum est naturalis honestas, quae hominem decet, quatenus est homo et civis civitatis humanae. — Ac proinde c) regula seu mensura virtutum infusarum moralium est lex evangelica, lex gratiae et charitatis. Regula vero virtutum acquisitarum est tantum lex rationis seu jus naturale.

[1]) Itinerarium mentis ad Deum cap. 4.

* S. Thomas: Summa Theolog. 1. 2. q. 63. a. 4. — Gregorius de Valentia: Comment. Theolog. in 1. 2. Summae Theolog. Disp. V. Quaest. 6. Punct. 1. Scheeben: Die Herrlichkeiten der göttlichen Gnade nach P. Euseb. Nieremberg S. J. frei bearbeitet. III. B. 7. Hauptst. Freiburg 1864.

2. — II. *Differunt dispari operandi facilitate ab acquisitis.* Virtutes morales infusae *ex se* quidem dant facilitatem bene operandi, sed adjacet ipsis aliquod impedimentum, quo fit, ut homo his praeditus virtutibus in operando difficultatem non raro experiatur. Quod quidem impedimentum est concupiscentia, [1]) praesertim consuetudine mala roborata; [2]) quae quidem concupiscentia per virtutes infusas nequaquam aufertur. Verum haec difficultas non aeque obstat virtutibus moralibus acquisitis, quia per exercitium actuum bonorum, quibus virtutes ope gratiae acquiruntur, simul inclinationes concupiscentiae ad malum cohibentur atque attenuantur. [3])

3. — Quod relationem virtutum moralium infusarum ad theologicas attinet, secundum Doctorem Angelicum [4]) dicimus: Virtutes illae ad theologicas ita se habent, sicut virtutes morales acquisitae ad principia sua naturalia. Quemadmodum enim virtutes morales acquisitae ex lumine rationis naturalis et ex inclinatione naturali voluntatis ad bonum, tamquam ex fontibus seu principiis suis derivantur (§. 107. n. 2.): ita virtutes morales infusae ex theologicis, ut suis principiis effluunt. Bene namque ex eo, quod homo ad finem supernaturalem immediate est rite dispositus, recta ordinatio ejus ad semetipsum et ad alios in relatione ad Deum generatur.

[1]) Dicit Catechismus Romanus: „Neque vero mirum cuiquam videri debet, si cum tanta virtutum copia instructi et ornati simus, tamen *non sine magna difficultate et labore* pias honestasque actiones inchoamus vel certe absolvimus. *Id* enim *ob eam rem non evenit, quod virtutes*, a quibus actiones ipsae proficiscuntur, *Dei beneficio nobis donatae non sint, sed quoniam post baptismum acerrima cupiditatis pugna adversus spiritum relicta est.*" Par. II. de Sacr. Bapt. Quaest. 52. — Signanter magnus Augustinus concupiscentiam ex peccato originali traductam assolet „*difficultatem*" appellare, ut: De Libero arbitrio, Libr. III. cap. 19. n. 53., c. 20. n. 55. et sq. De natura et gratia contra Pelagium cap. 67. n. 81. — S. Thomas ait: „*Ad ipsam rationem fomitis pertinet, quod inclinet ad malum, vel difficultatem faciat in bono.*" 3. q 27. a. 3. c.

[2]) S. Augustinus: Epist. 157. c. 3. n. 15. S. Thomas: 3. q. 89. a. 1. ad 3.

[3]) S. Thomas: 1. 2. q. 65. a. 3. ad 2. — Collet: Virtus infusa tribuit facilitatem *intrinsecam* operandi, *non extrinsecam* (per remotionem impedimentorum); virtus autem acquisita *intrinsecam et extrinsecam* facilitatem operandi praebet. Tract. de Virtutibus Cardinalibus Cap. I. Art. II. (p. 8. Edit. Paris. 1750.) Ita etiam Suarez: De gratia Lib. VI. c. 9. n. 9.

[4]) Vid. 1. 2. q. 63. a. 3. c.

§. 117.

De connexione virtutum theologicarum et moralium.

1. — Quod virtutes theologicas attinet, nec spes sine fide, neque charitas sine fide et spe esse et concipi possunt. 1. *Non spes sine fide,* quia nemo potest a Deo gratiam in praesenti et gloriam in futuro sperare, nisi Deum auctorem gratiae et gloriae per fidem credat. 2. *Non charitas sine fide et spe;* quia charitas est amicitia et familiaris quaedam conversatio hominis cum Deo (1. Cor. 1, 9.), atque nemo potest inire hujusmodi amicitiam cum Deo, nisi credat illam haberi posse et simul speret, se ad eandem per gratiam in praesenti et per gloriam in futuro esse perventurum. [1]) Hinc fides ad spem, utraque ad charitatem supponitur, ratione cogitandi et secundum actus; namque habitus illarum virtutum simul infunduntur.

Fides haberi potest sine spe, ut constat ex Conc. Trid. Sess. VI. cap. 7.; fides et spes haberi possunt sine charitate, quod patet ex Conc. Trid. Sess. VI. can. 28. et ex Quesnelli prop. 51. 52. 57. et 58. ab Apostolica Sede damnatis. Porro fides et spes, ubi sunt charitate destitutae, vocantur *informes;* si quidem charitas omnibus virtutibus tribuit formam seu perfectionem virtutis, [2]) ut infra explicabitur. Itaque fides et spes cum charitate conjunctae sunt virtutes perfectae, sine charitate sunt tantum aliqualiter seu imperfectae virtutes. [3]) Ideoque formatae et informes sicut perfectum et imperfectum in eadem specie distinguuntur. [4])

2. — Virtutes infusae haberi possunt sine acquisitis, ut patet in parvulis baptizatis. Virtutes acquisitae haberi possunt sine infusis, nempe in adultis gratia sanctificante destitutis. Possunt virtutes morales acquisitae esse sine fide et charitate, ut fuerunt in gentilibus. [5])

3. — Omnes virtutes infusae, theologicae et morales, connexae sunt inter se per charitatem, ita ut cum charitate simul infundantur, permaneant et amittantur. Hinc charitas dicitur *vinculum perfectionis* Coloss. 3, 14., nimirum omnes in se connectit virtutes, easque perficit.

Itaque virtutes morales infusae non tantum per prudentiam, sed simul per charitatem inter se connectuntur.

Dovle tumačeno 19/I

[1]) S. Thom.: 1. 2. q. 65. a. 4. et 5.
[2]) Idem 1. 2. q. 65. a. 5. ad 2. et al.
[3]) 1. 2. q. 65. a. 4.
[4]) Idem: „Fides formata et informis non differunt specie, — differunt autem sicut perfectum et imperfectum in eadem specie.“ 2. 2. q. 4. a. 5. ad 3. „Fides formata et informis non sunt diversi habitus.“ 2. 2. q. 4. a. 4. c.
[5]) Idem 1. 2. q. 65. a. 2.

§. 118.

De diversa praestantia virtutum ordinis supernaturalis.

y re

PROPOSITIO I.

Virtutes theologicae praecellunt moralibus, inter theologicas primum locum charitas occupat.

1. — I. *Virtutes theologicae praecellunt moralibus.* Probatur: Aliquid eo perfectius est, quo propinquius est fini ultimo (§. 21. n. 3.). Atqui virtutes theologicae propinquius se habent ad finem ultimum, quam virtutes morales infusae, quandoquidem virtutes morales versantur circa media, quibus oportet nos supernaturalem finem adipisci, dum theologicae virtutes ipsum finem ultimum, nempe Deum, immediate respiciunt. Ergo.

II. *Inter theologicas virtutes primum locum charitas occupat.* Id expressis verbis pronunciat Apostolus dicens: „*Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria haec; major autem horum est charitas.*“ 1. Cor. 13, 13. Accedit ratio theologica, attento principio, quod in praecedenti demonstratione notavimus. Quamvis enim fides et spes aeque ac charitas Deum, finem ultimum, immediate respiciant: tamen fides et spes aliquam distantiam a Deo important, dum charitas Deum proxime attingit. Enimvero fides est de non visis, spes de non habitis, sed charitas est de eo, quod jam habetur, quia amatus est quodammodo in amante, et vicissim amans in amato, quocirca Apostolus ait: „*qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo.*“ 1. Joa. 4, 16. Et Ecclesia in festo s. Bibianae (die 2. Dec.) orat: „*Deus, omnium largitor bonorum, — — mentes nostras — Tibi charitate conjunge* etc.

* S. Thomas: Summa Theolog. 1. 2. q. 67. a. 1. 3. 4. 5. et 6. Opusc.: Quaestiones de virtutibus, q. 5. a. 4. S. Bonaventura: In Libr. III. Sent. Dist. XXXIII. a. unic. q. 6.

PROPOSITIO II.

Charitas est forma, mater et regina omnium virtutum, porro finis quoque aliarum virtutum, finis pariter omnium praeceptorum et consiliorum, denique finis omnium ss. scripturarum et totius dispositionis, quae fit a providentia divina.

2. — 1. Charitas est *forma* omnium virtutum. Ita Theologi omnes. [1]) Ratio est, quia charitas tribuit virtutibus omnibus per-

[1]) S. Thomas: 2. 2. q. 23. a. 8. c. ubi s. Bonaventura: art. unic. q. 6. Alii Scholastici in 3. Libr. Sent. Dist. 36., Ripalda: De ente supern. Lib. IV. de

fectionem completam, actus omnium virtutum ordinando ad finem ultimum. Efficit enim charitas, ut actus virtutum propter Deum, summum bonum, et ad ipsius gloriam fiant, atque meritorii vitae seu beatitudinis aeternae evadant.

2. Charitas est *mater* cunctarum virtutum. Id jam docent ss. Patres,[1]) quibus Theologi concordant;[2]) imo et Apostolus id innuit, dum charitatem vocat radicem omnium aliarum virtutum. Ephes. 2, 17. Ideo autem juxta Angelicum Doctorem[3]) charitas est mater seu radix ceterarum virtutum, quia cum sit earum forma, iisdem dat perfectionem virtutis.[4])

3. Charitas est *regina* aliarum virtutum, imperat enim fortiter et suaviter illis, ut actus suos producant, quando et quo modo postulat gloria Dei.[5]) Unde s. Paulus ejus laudes praedicans ait: „*Charitas patiens est, benigna est; charitas non aemulatur, non agit perperam; non inflatur, non est ambitiosa, non quaerit, quae sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati; omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet.*“ 1. Cor. 13, 4—7. Quos quidem virtutum actus ex mente d. Thomae[6]) charitas ipsa non immediate, sed mediate producit, videlicet non eliciens, sed imperans eos.[7]) Verum non modo perfectionem et vim merendi charitas largitur ceteris virtutibus,[8]) sed stabilitatem etiam illis dat et firmitatem, efficacitatem ad resistendum tentationibus, denique facilitatem et jucunditatem in operando.[9])

caritate Disp. 39. Sect. 2. Egregie quoque s. Francisc. Sales. desuper scripsit: Theotim. Lib. XI. cap. 9.

[1]) S. Joan. Chrysost.: Homil. 32. in 1. Cor., s. Leo M.: Serm. 37. (in Epiph. solemn. Serm. 8.) cap. 4., item s. Gregorius M.: Explanatio II. Psalmi poenitentialis n. 13. Regula pastoral. Par. III. cap. 9.; qui etiam radici arboris comparat charitatem in Homil. 27. in Evang. n. 1. sic scribens: „*Ut enim multi arboris rami ex una radice procedunt: sic multae virtutes ex una charitate generantur.*“ S. Petrus Damiani: Serm. 63. de s. Joanne Apost.

[2]) Inter quos s. Thom.: 1. 2. q. 62. a. 4. c.; q. 65. a. 5. ad 2.; 2. 2. q. 23 a. 8. ad 2. et 3.

[3]) 1. 2. q. 63. a. 4. c. „— *charitas est mater omnium virtutum, et radix, in quantum est omnium virtutum forma.*“

[4]) Legas s. Franc. Sales.: Theotim. Lib. XI. cap. 5.

[5]) S. Thom.: 1. 2. q. 114. a. 4. ad 1. „Charitas, in quantum habet ultimum finem pro objecto, movet alias virtutes ad operandum. Semper enim habitus, ad quem pertinet finis, imperat habitibus, ad quos pertinent ea, quae sunt ad finem.“ Vide etiam 2. 2. q. 23. a. 4. ad 2. Eleganter explanat hanc veritatem s. Franc. Sales.: Theotim. Lib. XI. cap. 4.

[6]) 2. 2. q. 23. a. 4. ad 2.

[7]) Si charitas omnes actus virtuosos immediate ex se progigneret, tunc sola sufficeret, et aliae virtutes plane superfluae forent.

[8]) Quatenus aliae virtutes in charitate debent fundari et radicari.

[9]) Suarez: De statu religionis Tom. III. Lib. I. cap. 3. n. 14.

Pulchre s. Joa. Chrysostomus ait: „*Habet omnia in manibus, quavis matre mitior, quavis regina locupletior; et quae sunt laboriosa, levia facit et facilia; virtutem quidem facilem, acerbissimum autem nobis reddit vitium.*“[1]) Et s. Augustinus: „*Quid pretiosius,* inquit, *quid luminosius, quid firmius, quid securius, quid utilius?*“ — Quemadmodum vero charitas praeest virtutibus reliquis per modum imperii: ita vicissim virtutes omnes egregie serviunt illi. Namque fides servit, ostendendo illi objectum summe diligibile et summopere diligendum; servit spes, fiduciam illi suggerendo; serviunt virtutes morales, impedimenta charitatis removendo, cum impetum passionum refraenent, et ab exterioribus rebus abstrahant animum, siquidem homo tanto facilius perfectiusque cum Deo unitur, quanto minus sibi rebusque creatis inhaeret.

4. Charitas est *finis omnium virtutum aliarum, finis* pariter *omnium praeceptorum et consiliorum.* Ecquidem a) *finis aliarum virtutum.* Cum enim in charitate principaliter consistat finis hujus vitae (§. 16. n. 7.); ideo etiam ipsa charitas est finis, ad quem ceterae virtutes omnes referuntur;[2]) quatenus per earum exercitium vel disponimur ad obtinendam charitatem, vel eam conservamus et augemus, dum jam ipsam sumus consecuti. b) *Finis omnium praeceptorum,* testante Apostolo Paulo: „*Finis praecepti charitas.*“ 1. Tim. 1, 5., siquidem praecepta nos dirigunt, ut diligamus Deum in se, nos et proximum, omniaque creata propter Deum.[3]) S. Augustinus ait: „*Omnis itaque praecepti finis est charitas i. e. ad charitatem refertur omne praeceptum.*“[4]) Non minus charitas c) est *finis consiliorum,* ut idem s. Ecclesiae Doctor subjungit dicens: *Quaecunque mandat Deus, ex quibus unum est: Bonum est homini, mulierem non tangere, tunc recte fiunt, cum referuntur ad diligendum Deum, et proximum propter Deum.*“[5]) Hinc dici potest, praecepta charitatis esse finem, et alia praecepta esse media propinquiora et necessaria, consilia vero media magis remota et expedientia.[6])

[1]) Homil. 32. in 1. Cor. n. 6.

[2]) S. Thomas ait: „Charitas est finis aliarum virtutum, quia omnes alias virtutes ordinat ad finem suum.“ 2. 2. q. 23. a. 8. ad 3. Bene s. Franc. Sales. ait: „Gott, der den Menschen nach Seinem Bilde erschuf, will, dass wie in Ihm, auch in dem Menschen, Alles durch die Liebe und *für die Liebe* geordnet werde.“ Theot. L. 1. c. 6. Vid. Suarez: De virtute et statu religionis. Tom. III. Lib. I. cap. 3. n. 10. 12. et 13.

[3]) S. Thom.: 1. 2. q. 99. ad 1. ad 2. et al. Suarez l. c. n. 10.

[4]) Enchirid. cap. 121.

[5]) l. c. Item: De doctr. Christ. Lib. I. cap. 35. n. 39.

[6]) S. Thomas: 2. 2. q. 184. a. 3. Suarez: De relig. Tom. III. Lib. I. cap. 11. n. 2.

5. Charitas *finis est totius s. scripturae,* ut post s. Augustinum Doctor Seraphicus docet sic scribens: „Sanctus Augustinus in libro de doctrina Christiana (l. 1. c. 35. 36. 37.) ostendit, quod ad charitatis mandatum commendandum ordinatur tota scriptura: et ita charitas non tantummodo est finis bonae voluntatis, sed etiam totius sacrae scripturae et cognitionis secundum pietatem.“ [1]) Id enim universim docet, monet, jubet s. scriptura, ut diligamus Deum, qui prior dilexit nos. Ideo pulcherrime et prorsus singulariter s. Gregorius M. ait: *„Disce cor Dei in verbis Dei, ut ardentius ad aeterna suspires.“* [2])

6. Charitas denique *finis est totius dispositionis, quae fit a providentia divina;* quia Deus dirigit homines, ut ad finem ultimum perveniant, qui vero his in terris principaliter consistit in charitate. [3]) (§. 16. n. 7.)

PROPOSITIO III.

In charitate essentialiter consistit perfectio vitae christianae.

3. — Haec doctrina constat 1. ex s. scriptura; etenim Apostolus Coloss. 8, 14. dicit: *„Super omnia charitatem habete, quod est vinculum perfectionis;“* quod scilicet christianas omnes simul junctas secum fert et conservat virtutes, atque hominem Deo conjungit, in quo tota hominis perfectio est; ut interpretatur P. M. Leo XII. in encycl. Jubil. 1825. Cf. Rom. 13, 10. 1. Cor. 6, 17. — 2. Ex Traditione. Nimirum ss. Patres unanimes sunt in hac veritate asserenda. [1]) Nec

[1]) In Lib. II. Sent. Dist. XXXVIII. art. 1. q. 2.

[2]) Lib. IV. epist. 31. Edit. Maur.

[3]) Pulcherrime scribit s. Francisc. Sales.: „Der Mensch ist die Vollendung des Weltalls; der Geist die Vollendung des Menschen; die Liebe die Vollendung des Geistes; die heilige Liebe die Vollendung der Liebe. Folglich ist die Liebe Gottes das Ziel, die Vollendung und die höchste Schönheit des Weltalls. Hierin also, mein Theotimus, besteht die Grösse und der Vorrang des göttlichen Liebesgebotes, das der Heiland das erste und grösste Gebot nennt. Gleich einer Sonne bestrahlt dieses Gebot alle heiligen Gesetze und ertheilt allen göttlichen Anordnungen, allen heiligen Büchern Glanz und Würde. Alles ward dieser himmlischen Liebe wegen erschaffen; alles bezieht sich auf sie. Alle Rathschläge, Ermahnungen, Einflössungen, so wie alle übrigen Gebote sind wie Blüthen dieses paradiesischen Baumes zu betrachten; die Frucht aber ist das ewige Leben. Alles, was nicht nach der ewigen Liebe zielt, zielt nach dem ewigen Tode.“ Theotim. L. 10. cap. 1.

[4]) Sic e. g. sanctus Irenaeus dicit: *„Is, qui diligit Deum, est perfectus homo.“* Lib. IV. cap. 16. S. Augustinus ait, ipsam charitatem esse *verissimam, plenissimam, perfectissimamque justitiam.* Lib. de natura et gratia cap. 42., et cap. 70. subjungit: *„Inchoata charitas inchoata justitia est; provecta charitas, provecta justitia est; magna charitas, magna justitia est; perfecta charitas, perfecta justitia est.“* S. Joan. Chrys. Hom 4. in 1. Thess. Moral. ait: *Charitas nos perfectos reddit.“*

aliter sentiunt scholae theologicae, Angelico Doctore praeeunte. [1]) Tuto asserere licet, hac de re nullum unquam in Ecclesia dissensum fuisse. — Constat 3. ex ratione. Nam aliquid generatim dicitur perfectum, quod finem suum consequitur; sic e. g. oculus est perfectus, si objecta recte videt, quia finis oculi est videre. Porro charitas est, quae nos cum Deo, qui est finis noster ultimus, intime conjungit. Ergo charitas est, quae nos vere perfectos reddit, seu in charitate vitae christianae perfectio essentialiter consistit. [2])

Perfectio christiana primarie in dilectione Dei, secundarie in dilectione proximi sita est; quia virtus charitatis praeprimis Deum, et deinde proximum respicit. [3])

Ex veritate praemissa sequitur:

1. Perfectio vitae christianae essentialiter seu per se non consistit in virtutibus moralibus vel in uno alterove earum actu e. g. in oratione, jejunio etc. Ratio est, quia virtutes morales non immediate Deo, fini supremo, nos conjungunt. [4]) Illae non sunt nisi media seu adminicula perfectionis utilissima et moraliter necessaria, quatenus removent impedimenta charitatis, qualia sunt sollicitudo temporalium, et omnes affectiones et passiones inordinatae, quae quippe animam impediunt in tendendo ad Deum, adeoque in charitate assequenda et augenda et conservanda.

2. Nec in consiliis evangelicis perfectio vitae christianae per se seu principaliter sita est. Consilia evangelica secundum d. Thomam tum adminicula, tum effectus et signa sunt perfectionis. a) Adminicula seu instrumenta perfectionis vocantur, quia efficiunt, ut liberius feratur in Deum mens hominis divinisque obsequiis incumbat. Confirmatur verbis Domini: *„Si vis perfectus esse, vade, vende omnia, quae habes, et da pauperibus et habebis thesaurum in coelo; et veni, sequere me.“* Matth. 19, 21.; quibus verbis aliquid ponitur tamquam via seu medium perfectionis, nempe: „vade, vende omnia, quae habes, et da pauperibus“; et aliud subditur, in quo perfectio consistit, scilicet: „veni, sequere me,“ non corporis gressu, sed mentis affectu, quod fit per charitatem. [5]) b) Effectus

[1]) 2. 2 q. 184. a. 1.

[2]) S. Thomas l. c.

[3]) S. Thomas: 2. 2. q. 184. a. 3. c.

[4]) S. Thomas: 2. 2. q. 184. a. 1. ad 2. Suarez: De virtute et statu religionis Tom. III. Lib. 1. cap. 3.

[5]) S. Thomas: 2. 2. q. 184. a. 3. c. et ad 1.

et signa perfectionis etiam dici possunt; „cum enim mens vehementer amore et desiderio alicujus rei afficitur, consequens est, quod alia postponat; ex hoc igitur, quod mens hominis amore et desiderio ferventer in divina feratur, in quo perfectionem constare manifestum est, consequitur, quod omnia, quae ipsum possunt retardare, quominus feratur in Deum, abjiciat, — et hoc significant verba scripturae; dicitur enim Cant. 8.: *Si dederit homo omnem substantiam domus suae ad mercandam dilectionem, quasi nihil computabit eam,* et Matth. 13.: *Simile est regnum coelorum homini negotiatori quaerenti bonas margaritas, inventa una pretiosa margarita abiit et vendidit omnia, quae habuit et comparavit eam;* et Philipp. 3.: *Quae mihi aliquando fuerunt lucra, arbitratus sum ut stercora, ut Christum lucrifacerem.*“ [1])

* Joannes Chrysost. Homil. 32. in 1. ep. ad Cor. Morale. Homil. 4. in 1. Thessal. Morale. S. Thomas: Summa Theologica 2. 2. q. 184. a. 1. et 3. Summa contra Gentiles Lib. III. cap 130. — Suarez: De virtute et statu religionis Tom. III. Lib. I. cap. 3. et 11.

S. Augustinus de laudibus charitatis.

„Fratres, sectamini caritatem, dulce ac salubre vinculum mentium, sine qua dives pauper est, et cum qua pauper dives est. Haec in adversitatibus tolerat, in prosperitatibus temperat; in duris passionibus fortis, in bonis operibus hilaris; in tentationibus tutissima, in hospitalitate latissima, inter veros fratres laetissima, inter falsos patientissima. In Abel per sacrificium grata, in Noe per diluvium secura, in Abrahae peregrinationibus fidelissima, in Moyse inter injurias lenissima, in David tribulationibus mansuetissima. In tribus pueris blandos ignes innocenter expectat: in Machabaeis saevos ignes fortiter tolerat. Casta in Susanna erga virum, in Anna post virum, in Maria praeter virum. Libera in Paulo ad arguendum, humilis in Petro ad obediendum: humana in Christianis ad confitendum, divina in Christo ad ignoscendum. Sed quid ego de caritate majus aut uberius possum dicere, quam quas per os Apostoli laudes ejus intonat Dominus, supereminentem viam demonstrantis atque dicentis: *Si linguis hominum loquar et Angelorum, caritatem autem non habeam etc. etc.* Quanta est ista? Anima litterarum, prophetiae virtus, sacramentorum salus, scientiae solida-

[1]) S. Thomas: Contra Gent. Lib. III. cap. 130. — Videri etiam potest Suarez: De virtute et statu religionis Tom. III. Lib. I. cap. 11.

mentum, fidei fructus, divitiae pauperum, vita morientium. Quid tam magnanimum, quam pro impiis mori? Quid tam benignum, quam inimicos diligere? Sola est, quam felicitas aliena non premit, quia non aemulatur. Sola est, quam felicitas sua non extollit, quia non inflatur. Sola est, quam conscientia mala non pungit, quia non agit perperam. Inter approbria secura est, inter odia benefica est: inter iras placida est, inter insidias innocens, inter iniquitates gemens, in veritate respirans. Quid illa fortius, non ad retribuendas, sed ad non curandas injurias? Quid illa fidelius, non vanitati, sed aeternitati? Nam ideo tolerat omnia in praesenti vita, quia credit omnia de futura vita; et suffert omnia, quae hic immittuntur, quia sperat omnia, quae ibi promittuntur; merito nunquam cadit. Ergo sectamini caritatem, et eam sancte cogitantes afferte fructus justitiae. Et quidquid uberius, quam ego dicere potui, vos inveneritis in ejus laudibus, appareat in vestris moribus. Oportet enim, ut senilis sermo non solum sit gravis, sed etiam brevis.“ [1])

§. 119.

De duratione, incremento et decremento virtutum infusarum.

1. — Non omnes virtutes in patria seu in statu gloriae coelestis manent. Evacuatur fides, quae transit in visionem, desinit spes, quae mutatur in possessionem. Manet autem charitas, juxta illud Apostoli verbum: „*Charitas numquam excidit.*“ 1. Cor. 13, 8. [2])

[1]) Ex Sermone 350. (al. de tempore 39.) n. 3.

[2]) S. Thomas ad quaestionem, an aliquid fidei vel spei remaneat in gloria, respondet: Spes totaliter tollitur, etiam in genere, fides totaliter tollitur numero et specie, non tamen genere, quod est cognitio, 1. 2. q. 67. a. 5. Substantia et species fidei (quae est obscuritas) destruitur. In Lib. III. Sent. Dist. 31. q. 2. a. 1. sol. 3. Charitas autem, inquit, eadem numero et specie in gloria manet, 1. 2. q. 67. a. 6. Pulcherrima similitudine id ostendit s. Franciscus Sales, dicens: „Gezeigt ward das Heil dem *Glauben*, bereitet ist es der *Hoffnung*, aber gegeben wird es nur der *Liebe*. Gleich einer feurigen oder helldunkeln Wolkensäule zeigt der *Glaube* den Weg zum Lande der Verheissung; und mit dem ihr eigenen Manna der Lieblichkeit ernährt die *Hoffnung* uns auf diesem Wege; aber gleich der Arche des Bundes führt die *Liebe* uns hinein und bahnt uns den Weg durch den Jordan oder durch das Gericht; und *sie allein bleibt* mitten unter dem Volke im himmlischen Vaterlande, das den wahren Israeliten verheissen ward, wohin aber weder die Feuersäule des Glaubens eindringt, noch auch das Manna der Hoffnung mehr thaut, dass die Seele davon sich ernähre.“ Theotim. L. I. c. 6.

Manent quoque virtutes morales, sed longe alio et excellentiori modo, quam eo, quo habentur in via. „In illa enim felicitate, inquit s. Augustinus, prudentia sine ullo jam periculo erroris, justitia sine ulla obliquitate voluntatis, fortitudo sine molestia malorum, temperantia sine repugnantia libidinum erunt: ut prudentiae sit, nullum bonum Deo praeponere vel aequare, justitiae, ei subditum esse, fortitudinis, ei firmissime cohaerere, temperantiae, nullo defectu noxio delectari. Nunc autem quod agit justitia in subveniendo miseris, quod prudentia in praecavendis insidiis, quod fortitudo in perferendis molestiis, quod temperantia in coërcendis delectationibus pravis, non ibi erit, ubi nihil omnino mali erit.“ [1])

Egregie s. Bernardus de eadem veritate scribit: „Est rationalis quaedam sponsae (i. e. animae Deum diligentis) species et spiritualis effigies; ipsaque *aeterna*, quia imago aeternitatis. Decor ejus, verbi gratia, charitas est, et *charitas*, sicut legitis (1. Cor. 13, 8.), *numquam excidit*. Est certe et justitia: et *justitia ejus*, inquit, *manet in saeculum saeculi*. (Ps. 111, 3.). Est etiam patientia; et legitis nihilominus (Ps. 9, 9.), quia *patientia pauperum non peribit in finem*. Quid voluntaria paupertas? quid humilitas? Nonne altera regnum aeternum, altera aeque exaltationem promeretur aeternam? Eo quoque spectat, et *timor Domini sanctus permanens in saeculum saeculi*. (Ps. 14, 11.) Sic prudentia, sic temperantia, sic fortitudo, et si quae sunt virtutes aliae, quid, nisi margaritae sunt quaedam in sponsae ornatu, splendore perpetuo coruscantes? Perpetuo, inquam, quia sedes et fundamentum perpetuitatis. Nec enim perpetuae beataeque vitae omnino locus in anima est, nisi mediis quidem interjectisque virtutibus.“ [2])

* S. Thomas: Summa Theolog. 1. 2. q. 66. a. 6.; 2. 2. q. 23. a. 6. — Ripalda: De ente supernaturali Tom. IV., de caritate divina Disp. XXXIX. Sect. 1. Parisiis 1871.

2. — Virtutes infusae *augentur* ex opere operato per Sacramenta vivorum, ex opere operantis per earum exercitium auxiliante gratia divina institutum. Quo quippe diligentius homo virtutes exercet, eo promptior redditur ad virtuose agendum et vivendum; [3]) unde *Catechismus Romanus* dicit, quotidiana recte vivendi exercitatione fieri, ut, quaecunque pudica sunt, quaecunque justa, quaecunque

[1]) De Trinitate, Lib. XIV. cap. 9. n. 12.

[2]) In Cantica Serm. 27. n. 3.

[3]) Hinc Augustinus: „— perseveranter in officiosis laboribus enitendum ad vincendam recte faciendi difficultatem.“ De libero arbitrio, Lib. III. c. 20. n. 57. S. Ambrosius: „Nulla enim, inquit, sine labore virtus, quia labor processus virtutis est.“ De Abel et Cain, Lib. II. cap. 2. Specialiter de augmento charitatis scribit d. Thomas: „— quilibet actus charitatis disponit ad charitatis augmentum, in quantum ex uno actu charitatis *homo* redditur *promptior* iterum ad agendum secundum charitatem; et habilitate crescente, homo prorumpit in actum ferventiorem dilectionis, quo conetur ad charitatis profectum.“ 2. 2. q. 24. a. 6. c.

sancta, eadem etiam facilia et jucunda videantur.[1]) Hinc s. Ignatius suorum profectum non tam e continuata precatione, quam e solidae virtutis officiis spectabat. Cum e familiaribus quis fratrem praestanti religione collaudans, ad Ignatium cum admiratione dixisset: En hominem jugiter precationi vacantem. *Imo vero, ecce,* inquit Ignatius, *hominem sibimet acriter imperantem.* [2]) In virtutibus agendo et pugnando proficitur.

2. — *Minuuntur* virtutes infusae per cessationem ab earum exercitio et per exercitium actuum contrariorum, quatenus sunt peccata venialia. Non tamen directe minuuntur, quia indivisibiles sunt, sicuti gratia, sed *indirecte,* quatenus nimirum earum fervor seu facilitas bene operandi decrescit. [3])

Amittuntur denique uno actu peccati mortalis, tam subito, quam datae sunt.[4]) Per quodvis enim peccatum mortale homo gratia sanctificante, et charitate, cumque hac ceteris, quae quippe in charitate radicantur, infusis virtutibus ceu talibus spoliatur.[5]) Hinc peccans mortaliter e. g. contra castitatem, omnes virtutes infusas amittit. Remanent tamen fides et spes nec non virtutes morales acquisitae, et tunc *informes* audiunt, ut superius (§. 117.) habitum est. Cum autem superinfunditur gratia, denuo *formantur* et decorantur et Deo acceptabiles fiunt. [6]) Habitus fidei et spei amittuntur per

[1]) Pars II. De Sacr. Baptis. Quaest. 52.

[2]) Penes Surium die 31. Julii. Edit. vova Augustae Taur. 1877. pag. 674.

[3]) Videlicet ex una parte Deus minuit auxilia efficacia ad virtutum officia, et ex altera parte habitus vitiosi pedetentim generantur. Vid. S. Thomas: 2. 2. q. 24. a. 10.; In Lib. I. Sent. Dist. 17. q. 2. a. 5. De malo q. 7. a. 2. — S. Bonaventura in Lib. I. Sent. Dist. 17. p. 2. q. 3. S. Francisc. Sales.: Theotimus Lib. 4. cap. 9. Ripalda: De ente supernaturali, Tom. II. Lib. VI. Disp. 130. Mazzella S. J. De virtutibus infusis, Disp. I. art. 12. Romae 1879.

[4]) Vid. s. Francisc. Sales.: Theotimus, Lib. 4. cap. 4.

[5]) S. Thomas: „— quodlibet peccatum mortale contrariatur charitati, quae est radix omnium virtutum infusarum, in quantum sunt virtutes: et ideo per unum actum peccati mortalis exclusa charitate, excluduntur per consequens omnes virtutes infusae, in quantum sunt virtutes.“ 1. 2. q. 71. a. 4. c. Idem habent ss. Patres. Sic e. g. s. Ambrosius ait: *„Si templum Dei in corpore tuo servas, si membra tua membra sunt Christi, lucent virtutes tuae, quas nullus extinguit, nisi eas tuum crimen extinxerit.“* In Ps. 118. Serm. 14. n. 11. Alii apud Ripalda op. c. Lib. VI. Disp. 128. n. 46. Vid. de hac doctrina Mazzella op. c. art. 10.

[6]) „— sicut et colores absque luce sunt invisibiles, superveniente autem lumine fiunt lucidi, pulchri et aspectui complacentes,“ addit s. Bonaventura: Breviloquium, pars V. cap. 4.

peccata sibi directe opposita,[1]) nempe fides per infidelitatem, spes per desperationem, et etiam per amissionem fidei, quia spes fidem supponit.[2]) Habitus virtutis moralis acquisitae per habitum contrarium tollitur; una autem virtute morali per habitum contrarium exclusa, ceterae omnes virtutes morales simul excluduntur propter inseparabilem earum nexum (§. 111.), remanent tamen inclinationes ad actus virtutum.[3])

§. 120.

De relatione virtutum infusarum ad dona Spiritus sancti.

1. — Quamvis omnia bona, quae nobis a Deo communicantur, quatenus ab ejus amore procedunt, qui Spiritui sancto appropriatur, possint late vocari Spiritus sancti dona, et specialius gratiae et virtutes infusae; specialissime tamen tribuitur hoc nomen quibusdam supernaturalibus perfectionibus, quae maxime gratuito ex abundantia bonitatis a Spiritu sancto hominibus conferuntur.

Sunt autem haec *dona Spiritus sancti habitus a Spiritu sancto infusi, quibus homo mobilis* (flexibilis) *redditur ad inspirationes divinas recipiendas et exequendas, atque ad actus excellentes virtutum exercendos.*

Hinc dona Spiritus sancti a virtutibus infusis sic differunt: a) virtutes disponunt hominem, ut ductum legis divinae prompte sequatur, dona disponunt hominem, ut ipsi Spiritui sancto motori et duci prompte obediat;[4]) — b) virtutes expediunt hominem ad facienda opera necessaria salutis, dona expediunt hominem ad actus

[1]) S. Thomas: „Non omne peccatum mortale contrariatur fidei vel spei, sed quaedam determinata peccata, per quae habitus fidei vel spei tollitur; sicut per omne peccatum mortale habitus charitatis tollitur.“ 2. 2. q. 21. a. 12. ad 5.

[2]) Vide Mazzella: De virtutibus infusis Disp. I. a. 11.

[3]) S. Thom.: 1. 2. q. 73. a. 1. ad 2.

[4]) S. Thomas: „— virtutes humanae perficiunt hominem, secundum quod homo est natus moveri per rationem in his, quae interius vel exterius agit; — per dona homo disponitur, ut efficiatur prompte mobilis ab inspiratione divina.“ 1. 2. q. 68. a. 1. c. „Dona sunt quidam habitus perficientes hominem ad hoc, quod prompte sequatur instinctum Spiritus sancti.“ 1. 2. q. 68. a. 4. c. — S. Franc. Sales.: „Da der heilige Geist, der in uns wohnt, unsere Seele gegen seine göttlichen Anregungen und himmlischen Einflössungen, die eigentlichen Gesetze seiner Liebe — *biegsam, geschmeidig und gehorsam* bilden will, verleiht er uns sieben Eigenschaften und Vollkommenheiten, — welche die heil. Schrift und die Gottesgelehrten: *Gaben des heil. Geistes* nennen.“ Theot. L. 11. c. 15. — Benedictus XIV. dicit: „Dona Sp. s. sunt habitus, quibus homo perficitur ad prompte obediendum Spiritui sancto.“ De Servorum Dei Beatificatione etc. Lib. III. cap. XXXII. n. 1.

etiam majoris excellentiae atque supererogationis[1]) operandos, — c) dona efficacius quam virtutes movent ad agendum,[2]) et hinc in usu virtutum homo est magis *agens*, in usu autem donorum magis *agitur*[3]) secundum illud scripturae verbum: „*Qui spiritu Dei aguntur, hi filii Dei sunt, et haeredes.*“ Rom. 8, 14.; et: „*Spiritus tuus bonus deducit me in terram rectam.*“ Psalm. 142, 10.[4]) His omnibus consideratis dona Spiritus sancti perfectiones et complementa virtutum infusarum satis bene dici queunt.[5])

2. — Dona Spiritus sancti enumerat Isaias propheta his verbis: „*Requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiae et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiae et pietatis, et replebit eum spiritus timoris Domini.*“ Isai. 11, 2. 3. Loquitur s. propheta de divino Salvatore, ut ex contextu patet; merito tamen haec verba ad omnes justos a ss. Patribus extenduntur, quia de plenitudine ejus omnes accipiunt.[6])

Cardin. Gotti scribit: „Dona disponunt hominem, ut sit bene mobilis a Deo; virtutes vero eum disponunt, ut sit bene mobilis ratione tum naturali, tum supernaturali perfectione disposita.“ Tom. VII. p. 367. n. 13.

[1]) S. Bonaventura: „Virtutes licet sufficienter ordinent quantum ad ea, quae sunt rectitudinis et necessitatis, — tamen ultra hoc liberalitas benignitatis divinae providit homini et contulit habitus, per quos expediretur non solum ad opera necessaria rectitudinis, sed etiam perfectionis et supererogationis.“ In Libr. III. Sent. Dist. XXXIV. par. 1. a. 1. q. 1. ad 5. Habert: „Dona disponunt ad actus excellentes et heroicos.“ Theol. dogm. de gratia. c. 4. §. 3. Vid. etiam Mazzella: De virtut. infusis. Disp. 1. n. 263. et 264. Romae 1879.

[2]) Huc referri potest effatum s. Ambrosii: „*Nescit tarda molimina Sancti Spiritus gratia.*“ Lib. II. in Lucam, cap. 1. n. 19. Bene scribit Rosignolius: „Quamvis apertum aditum Deus habeat in hominis animum per virtutes infusas sive Theologicas, sive morales, *ad quaedam tamen altissima virtutis officia exercenda immittit in hominem altissima illa dona, quibus quasi vinculis sibi maxime colligatum verset in omnem partem animum.*“ De discipl. christian. perfect. Lib. III. cap. 2. Apud Benedictum XIV. De Servor. Dei Beatificatione etc. Lib. III. cap. 22. n. 1.

[3]) Non tamen homo in hac motione se habet mere passive; „sed sic agitur a Spiritu sancto, quod etiam agit, in quantum est liberi arbitrii,“ dicit Angelicus, 1. 2. q. 68. a. 3. ad. 2.

[4]) Docet Benedictus XIV., virtutem heroicam christianam, quae efficit, ut ea praeditus operetur expedite, prompte et delectabiliter supra communem modum, impossibilem esse sine donis Spiritus sancti. De Servorum Dei Beatificatione etc. Lib. III. cap. XXII. n. I. Ratio ex indole donorum descripta patet.

[5]) Vid. d. Thom. 1. 2. q. 68. a. 2. c. et ad 2.; 3. q. 7. 5. ad 1. Inter ss. Patres s. Greg. M. ait, *per dona juvari virtutes.* Lib. 35. Moral. c. 8. n. 15.; Lib. 2. cap. 49. n. 77. Suarez; Lib. VI. de essentia gratiae, cap. 10. n. 7. „— hi habitus per se spectant ad complementum et perfectionem justitiae, nam dona intellectualia deserviunt fidei et ad perfectum ejus usum multum conferunt etc.“

[6]) S. Ambrosius in Psalm. 118. Serm. V. n. 38., s. Augustin. de doctrina

Constat igitur, septem esse dona Spiritus sancti, quapropter Ecclesia catholica septiformem [1]) appellat Spiritum Sanctum. Ratio autem theologica est, quia dona conferuntur ad perficiendas et adjuvandas virtutes; atque ideo, cum septem sint virtutes principales, nempe tres theologicae et quatuor morales, convenienter septem habentur Spiritus sancti dona. Singulis virtutibus congruunt singula dona.

3. — Et quidem 1) *donum timoris Dei,* quod efficit, ut Deum profundissime revereamur, juvat temperantiam, carnem enim configit, unde Propheta dicit: *„confige timore tuo carnes meas.“* Psalm. 118, 120.

2) *Donum fortitudinis,* quod fiduciam ingerit homini, eum pericula malaque hujus mundi feliciter evasurum et ad gloriam sempiternam perventurum, ad virtutem, fortitudinis pertinet.

3) *Donum pietatis,* vi cujus ex affectu quodam filiali cultum Deo, ut patri, exhibemus, ad justitiam spectat.

4) *Donum consilii,* „per quod homo dirigitur, quasi consilio a Deo accepto.“ [2]) adjuvat et perficit prudentiam.

5) *Donum intellectus,* per quod supernaturali lumine mens hominis illustratur ad veritates fidei penetrandas, sane fidei subservit.

6) *Donum scientiae,* per quod supernaturaliter hominis intellectus illuminatur ad recte ac certe judicandum de iis, quae requiruntur vel conducunt ad beatitudinem aeternam assequendam, spem theologicam juvat. [3])

7) Denique *donum sapientiae,* per quod intellectus humanus luce supernaturali perfunditur, ut bene consideret et quasi gustet cum suavitate et dulcedine, Deum sive in se, sive in operibus suis consideratum, summe diligibilem atque diligendum esse, pertinet ad charitatem, quam nutrit et fovet, quaemadmodum ipsa sapientia vicissim a charitate sustentatur et fovetur, si quidem per unionem et „connaturalitatem“ (assimilationem) cum Deo, quam charitas

christiana, Lib. II. c. 7. De Sermone Domini in monte Lib. 1. c. 4., s. Hieronymus in Isaiam cap. 11., s. Gregorius M. Lib. I. Moral. cap. 12. Homil. 19. in Evangelia; qui dicunt, a Christo capite nobis ut membris ipsius haec dona convenire per aliquam participationem. Legatur et Scheeben: Die Mysterien des Christenthums §. 68.

[1]) In Hymno, qui incipit: *Veni Creator Spiritus.* Ita jam s. Augustinus quoque Spiritum Sanctum appellat.

[2]) S. Thomas: 2. 2. q. 52. a. 1. ad 1.

[3]) S. Thomas: 2. 2. q. 9. donum scientiae ad fidem, et 2. 2. q. 19. donum timoris ad spem refert. S. Bonaventura: Breviloquium, Pars V. cap. 5. scientiam ad prudentiam, consilium ad spem expedire dicit. Sequimur hac in

facit, Deus serenissime et suavissime simul apprehenditur. [1]) Et sicut charitas est mater et consummatio omnium virtutum, sic sapientia omnium donorum, ita, ut vere dicat Sapiens: *„venerunt mihi omnia bona pariter cum illa, et innumerabilis honestas per manus illius.“* Sap. 7, 11.

4. — Dona exposita tum cognoscendi tum appetendi facultatem perficiunt; etenim sapientia, intellectus, scientia et consilium ad intellectum seu rationem, pietas, fortitudo et timor ad vim appetitivam pertinent.

5. — S. Thomas docet, haec dona hominibus ad salutem necessaria esse. [2]) Ratio videtur esse, quia Deus a justis quandoque exposcit actus etiam excellentes virtutum, eosque, qui sub consilio cadunt (Lib. II. §. 181. n. 1.); „Deus enim fortis probator omnium devotorum“, ut Thomas Kempensis loquitur. [3]) Porro Doctor Angelicus tradit, haec dona invicem connecti in charitate, ita ut charitatem habens omnia dona Spiritus sancti habeat, quorum nullum sine charitate haberi potest, [4]) atque adjungit eadem in patria manere. [5])

* S. Gregorius M.: In Ezechiel. Lib. II. Homil. 7. n. 7. S. Bernardus: Serm. 14. de diversis. Serm. 3. in tempore Resurrectionis n. 6. S. Thomas: Summa Theolog. 1. 2. q. 68. tota. In Lib. II. Sent. Dist. XXXIV. q. 1. a. 4. S. Bonaventura: In Libr. III. Sent. Dist. XXXIV. Pars I. a. 1. q. 1. Breviloquium, Par. V. cap. 5. Opusc. de septem donis Spiritus Sancti Opusc., quod Diaeta salutis inscribitur, Tit. 6. S. Franciscus Salesius: Theotimus L. XI. cap. 15. — Suarez: Lib. VI. de essentia gratiae seu justitiae habitualis cap. 10. De singulis donis: Lib. II. de necessitate gratiae, cap. 17—21. Gregorius de Valentia: Comment. Theolog. in primam secundae d. Thomae Disp. V. quaest. 8. Card. Gotti: Theologia scholastico — dogmatica juxta mentem d. Thomae. Tract. de virtutibus et donis, quaest. IV. Bononiae 1729. (Op. Tom. 7.) Scheeben: Die Herrlichkeiten der göttlichen Gnade nach P. Euseb. Nieremberg S. J. frei bearbeitet III. B. 8. Hauptst.

re Suarez, qui scribit: „— non improbabiliter dici potest, sicut sapientia annectitur charitati, et intellectus fidei, ita scientiam annecti virtuti spei.“ Lib. II. de necessitate gratiae etc. cap. 20. n. 8.

[1]) S. Thomas: „Sapientia, quae est donum Spiritus Sancti, facit rectitudinem judicii circa res divinas, vel per regulas divinas de aliis ex quadam *connaturalitate* sive unione ad divina, quae quidem est per charitatem.“ 2. 2. q. 45. a. 4. c. Cf. l. c. a. 9. c. — Propter intimum nexum sapientiae cum charitate dicit s. Augustinus: „Sapientia est charitas Dei.“ Epist. 140. (alias 120.) cap. 18. n. 45.

[2]) 1. 2. q. 68. a. 2.

[3]) De imitatione Christi, Lib. III. cap. 3.

[4]) 1. 2. q. 68. a. 5. Hoc sensu s. Joa. Chrysostomus Homil. 32. 1. Cor. charitatem appellat *„fontem donorum, viam excellentem, quae ad omnia charismata ducit.“*

[5]) 1. 2. q. 68. a. 6.

Freiburg 1864. Mazzella S. J.: De virtutibus infusis, Disp. I. art. 13. Romae 1879.

6. — In sacra scriptura alia adhuc dona divina commemorantur, quae dici solent *gratiae gratis datae,* et quibusdam solum conferuntur, ut commodius spirituali aliorum saluti cooperari possint.[1]) Novem ejusmodi gratiae ab Apostolo ponuntur, nempe: sermo sapientiae, sermo scientiae, fides, gratia sanitatum, operatio virtutum, prophetia, discretio spirituum, genera linguarum, interpretatio sermonum. 1. Cor. 12.

* De his in communi vide s. Thom.: Summa Theolog. 1. 2. q. 111. a. 4. et 5. De singulis: 2. 2. q. 171—178.

§. 121.

De relatione virtutum et donorum ad beatitudines.

1. — *Beatitudines vocantur actus boni praestantes, qui vel a virtutibus, vel excellentiori modo a donis Spiritus sancti proficiscuntur, et peculiari ratione conducunt ad aeternam beatitudinem adipiscendam.* S. Ambrosius[2]) beatitudines attribuit virtutibus, s. Augustinus[3]) eas Spiritus sancti donis attribuit, etenim tum operationes virtutum, tum operationes donorum esse possunt.

2. — Dominus noster Jesus Christus in sermone, quem habuit in monte (Matth. 5, 3. et sq.) *octo* proposuit beatitudines. Disquirere igitur volumus, qua ratione illae et virtutibus congruant et donis.

Ad paupertatem spiritus disponit virtus temperantiae, per quam nempe homo rebus terrenis moderate utitur. Excellentiori modo ad eandem inducit *donum timoris,* ut videlicet homo ab honoribus et divitiis mundi se totaliter retrahat.

Ad mititatem disponit virtus justitiae, quatenus homo, qui Deo est voluntarie subjectus (quod fit per justitiam), animo satis placato et mansueto accipit mala per divinam providentiam sibi immissa.

[1]) Etiam gratia gratum faciens proprie est gratia gratis data, si quidem gratis nobis a Deo conceditur, sed gratia gratum faciens addit aliquid supra rationem gratiae gratis datae, quia scilicet hominem gratum facit Deo. Vide s. Thom. 1. 2. q. 111. a. 1. ad 3.

[2]) In Lucam, cap. 6. Lib. V. n. 49. et seq.

[3]) De Sermone Domini in monte secundum Mathaeum, Lib 1. cap. 4. n. 11. — Apposite Angelicus observat: „— dona sunt eminentiora virtutibus cardinalibus: et ideo Ambrosius exponens beatitudines turbis propositas, attribuit eas virtutibus cardinalibus; Augustinus autem exponens beatitudines discipulis propositas in monte, tamquam perfectioribus, attribuit eas donis Spiritus sancti.“ 1. 2. q. 69. a. 1. ad 1.

Excellentiori modo ad illam movet *donum pietatis,* per quod homo ex filiali erga Deum affectu totaliter tranquillus in acerbitatibus quibuscunque perseverat.

Ad luctum disponit virtus spei theologicae, quatenus ille, qui beatitatem aeternam adipisci desiderat, errata sua poenitentia delet ad illam secure adipiscendam. Altiori modo ad luctum movet donum *scientiae,* per quod homo gloriam vitae aeternae ac miseriam vitae temporalis lucide cognoscens, ad patriam suspirat gemendo et flendo in hac lacrymarum valle.[1])

Ad esuriem justitiae disponit virtus fortitudinis, per quam homo difficultatibus non obstantibus progressum in virtutibus facere desiderat. Altiori modo ad eandem inducit *donum fortitudinis,* per quod homo ferventi desiderio perfecta virtutum opera adimplet.

Ad misericordiam disponit virtus prudentiae, quae nimirum suadet, ut adjuvemus, in quo possimus, alios, sicuti nos, in quo non possumus, cupimus ab aliis adjuvari.[2]) Excellentiori modo ad illam inducit *donum consilii,* per quod ad divinam benevolentiam nobis conciliandam vel augendam egentibus beneficia liberaliter praestamus.

Ad munditiam cordis disponit virtus fidei theologicae; haec namque juxta s. Petrum (Act. 15, 9.) purificat corda, nempe ab impuritate affectionum inordinatarum, ad quas recte ordinandas fides inducit. Altiori modo munditiam facit *donum intellectus,* quod quidem purificat ab impuritate erroris, cum valde docibilem faciat hominem.[3])

Ad pacem disponit charitas, quae homines cum Deo et inter se unit. Excellentiori modo pacem illam facit *donum sapientiae,* per quod homo arctius adhuc et suavius Deo conjungitur, summo vero et bono, in quo est pax et tranquillitas hominum.

Octava beatitudo ad omnes praecedentes refertur, tamquam consummata perfectio earum;[4]) etenim propter persecutionem non

[1]) Sapienter docet d. Thomas, quod, cum in his, quae pertinent ad activam vitam, cognitio non quaeratur propter seipsam, sed propter operationem, convenienter donis pertinentibus ad vitam activam attribuuntur actus operativi, sicut scientiae lugere, et consilio misereri. 1. 2. q. 69. a. 3. ad 2.

[2]) S. Augustinus: De Sermone Domini in monte Lib. I. n. 11.

[3]) Cf. s. Thom. 2. 2. q. 8. a. 7. et q. 7. a. 2.

[4]) Cf. s. Thom.: 1. 2. q. 69. a. 3. ad 5., s. Augustinus op. c. Lib. 1. n. 10.

recedere a contemptu mundi seu paupertate spiritus, a mansuetudine, et aliis sequentibus, est perfectio et apex christianae virtutis; quare s. Ignatius rogantibus, *quaenam esset via ad perfectionem,* respondebat: *Si multa et magna pro Christo patiamini.* [1])

3. — Quod attinet *praemia,* actibus praedictis attributa, haec proprie *unum* sunt in re, nempe beatitudo hominis; quae ideo per diversa bona describitur, quia excedit intellectum humanum, ut sic per illam descriptionem nobis magis notificetur. Maxime convenientia autem praemia sunt actuum meritis, ut ex eorum comparatione ad invicem elucet. [2])

* S. Augustinus: Libri II. de Sermone Domini in monte secundum Matthaeum Lib. I. n. 3—15. Breviter in Sermone 347. (alias 17. de Sanctis). S. Joannes Chrysostomus: In Matthaeum, Homilia 15. S. Gregorius Nyssenus: De beatitudinibus Homiliae 8. S. Leo M.: Sermo 95. S. Petrus Damiani: Homilia 55. in festo omnium Sanctorum. S. Anselmus: Homilia 2. S. Bernardus: In festo omnium Sanctorum Sermo I., et Serm. 66. de diversis. S. Thomas: Summa Theologica 1. 2. q. 69. tota, et in tractatibus de singulis virtutibus et donis, ad quae spectant. S. Bonaventura: Breviloquium, Pars V. cap. 6. Diaeta salutis, Tit. 7. S. Franciscus Salesius: Theotimus Lib. XI. cap. 19.

§. 122.

Recollectio.

Quam pulchre anima hominis bonis supernaturalibus a Deo exornatur! Primum gratia justificationis veluti *byssino splendente et candido* induitur Apoc. 19, 8., ita ut verbis prophetae merito exultare possit: *Gaudens gaudebo in Domino, et exultabit anima mea in Deo meo: quia induit me vestimentis salutis, et indumento justitiae circumdedit me.*" Isai. 61, 10. Porro *deauratus* dicitur Psalm. 44, 11. vestitus ille, quo anima christiana per gratiam justificantem decoratur. Quid vero per aurum, nisi charitas designatur? De quo auro Christus sanctum Apostolum Joannem jussit angelo Laodiciae Ecclesiae scribere: „*Suadeo tibi emere a me aurum ignitum probatum.*" Apoc. 3, 18. Auro quippe comparatur charitas, quia pretiosissima et praestantissima virtutum omnium est. Amplius anima circumdatur undique veste variegata Psalm. 44, 11., per quam varietas aliarum virtutum indicatur; quaelibet enim virtus speciali honestate et nitore excellit. De hac variegata veste loqui videtur Apostolus monens:

[1]) Ribadeneira, in ejus vita Lib. I. c. 14.

[2]) S. Thom. 1. 2. q. 69. a. 4.

„*Induite vos ergo sicut electi Dei, sancti et dilecti, viscera misericordiae, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam.*" Coloss. 3, 12. Abundantius adhuc anima a Deo dilecta augetur septem donis Spiritus sancti, veluti *vernantibus atque coruscantibus gemmis pretiosis.* Tot tamque fulgidis bonis, quae omnem sensum exsuperant, anima christiana a Deo ornatur et transformatur de claritate in claritatem, instar sponsae, quae sponso regi aeterno, Christo Domino, copulatur, qui concupiscit decorem ejus. S. Maria Magdalena de Pazzis testatur: „Cognovi, quod si homo in statu gratiae constitutus charitatem et aestimationem, qua apud Deum fruitur, cognosceret, prae excessu amoris interire deberet.[1]) S. Catharina Senensis ineffabilem animarum in gratia existentium dignitatem Deo revelante cognoscens osculabatur vestigia concionatorum terrae impressa, eo quod illi salutem animarum curarent. [2]) — Si vero anima Christo desponsata tantae ac prorsus ineffabilis pulchritudinis splendore decoratur, quid demum, ubi asseretur ad nuptias in habitaculo aeterno, exspectandum sibi erit? [3]) Induetur *stola gloriae* et jucunditatis Eccli. 45, 9., admittetur revelata facie speculari gloriam Sponsi sui, et licet propriam substantiam retinens, admirabilem tamen et prope divinam formam induet,[4]) atque *coronam* accipiet immarcescibilem, quam ipsi Deus praeparavit in aeternum.

Ad illa sublimia Dei munera rite aestimanda porro considere mus dignitatem Dei illa donantis, qui est sanctissimus, magnus Dominus, Rex immensae majestatis, nostram inspiciamus vilitatem ac indignitatem, qui ex nobis nihil sumus, natura filii irae, captivi diaboli, nudi et sordidi, Dei benevolentia et favore indigni. — expendamus denique modum, quo illa dona superna nobis advenerunt, siquidem Dei filius homo factus pretio sanguinis sui ea nobis comparavit.

Quid igitur retribuamus Domino pro omnibus, quae tribuit nobis? Primum tanta gratiarum munera frequenter in memoriam revocemus et intenta consideratione recolamus, ut, quantum fas

[1]) Cepari: Leben der hl. Maria Magd. von Pazzis S. 48. Regensb. 1857.

[2]) Lancicius: Opusc. XIII. de officiis sacerdotis Lib. 3. n. 349.

[3]) S. Augustinus: „Nunc enim *desponsata* est Ecclesia et virgo est ad nuptias perducenda, i. e. cum se continet a corruptione saeculari: illo autem tempore *nubet,* cum universa mortalitate in ea pereunte, immortali conjunctione fruetur." De divers. quaest. 83. q. 59. n. 4. Quod plane valet de omni anima Deum diligente et a Deo dilecta.

[4]) Catech. Rom. P. I. c. 13. q. 6.

est, perspiciamus, quae donata sunt nobis. Si nos sacerdotes nedum fidei, verum et scientiae sacrae lumine illustrati talia considerare negligamus, quis ea consideret? Deinde splendidissima illa ac prorsus ineffabilia dona debite aestimemus, ita ut omnibus terrae bonis et innatis animae dotibus, omnibus pariter naturalis ordinis perfectionibus ac virtutibus longissime anteponamus, maxime caventes, ne mortaliter peccando illa amittamus, vel venialiter delinquendo eorum splendorem minuamus. — Accedat assidua gratiarum actio divinae misericordiae et liberalitati pro coelestibus illis thesauris sincere exhibenda. — Denique cum anima nostra tamquam sponsa ornatur Christo Domino conjuncta, nihil potius satagamus necesse est, quam ut casto et fideli amore eum amplectamur, nihilque in animam nostram admittamus, quod ei displicere vel charitatem ipsi debitam quocunque modo violare possit. Dei aemulatione aemulemur, ut Christus solus nos totos possideat, atque in nobis jugiter dominetur et vivat, nosque per servitium fidele ipsi maneamus uniti, Christum spiremus. Christum summis desiderii vocibus clamemus, amare alium nesciamus; erecto animo simul prospicientes, quod vinculis corporis solutis perducemur ad nuptias sponsi et agni, aeternisque amplexibus ejus excipiemur, stola gloriae induemur et coronam gloriae e manu Domini accipiemus, cum ipso regnaturi in aeternum.

CAPUT III.

De peccatis et vitiis in genere.

Sicut de bono morali duplici sub consideratione egimus, quatenus actus, et quatenus habitus est: ita etiam de malo morali convenienter agemus.

Sectio I.

De peccatis.

In considerationem veniunt: 1. natura et turpitudo peccati, 2. peccatorum divisio, 3. distinctio specifica, et 4. distinctio numerica peccatorum, 5. peccata interna, 6. peccatorum causae, denique 7. peccatorum effectus.

§. 123.

De natura et turpitudine peccati.

1. — Quemadmodum actus bonus dicitur actus humanus bene ordinatus seu conveniens legi aeternae; ita actus malus, nempe peccatum, est actus humanus inordinatus seu repugnans legi aeternae, quae ordinem servari jubet et perturbari vetat. Malum enim ex oppositione ad bonum cognoscitur coll. supra §. 22. n. 1. Hinc s. Ausgustinus peccatum rectissime definit: *dictum vel factum vel concupitum contra legem aeternam.* [1])

Peccatum appellatur *dictum vel factum vel concupitum*, quia est actus humanus. *Concupitum*, quatenus peccatum est actus voluntatis elicitus, *dictum* vel *factum*, quatenus est actus a voluntate imperatus.

[1]) Contra Faustum Lib. XXII. cap. 27. Nomine *dicti* et *facti* venit quoque omissio, quia affirmatio et negatio ad idem genus reducuntur. S. Thom. 1. 2. q. 71. a. 6. ad 1. Brevius idem s. Ecclesiae Doctor dicit: „*Peccatum est transgressio legis divinae.*“ De Cons. Evang. Lib. II. n. 13. Eodem modo s. Ambrosius peccatum definit dicens: „*Peccatum est praevaricatio legis divinae, et coelestium inobedientia praeceptorum.*“ De Paradiso cap. 8. n. 39.

Subditur: *contra legem aeternam,* ut indicetur, peccatum esse actum moraliter malum. Quodvis enim peccatum, sive naturali, sive positivae divinae, sive humanae legi repugnet, contra legem aeternam est, a qua nimirum omnes aliae leges derivantur, ut satis constat ex dictis §. 29. n. 4.

Congruit definitio proposita sacrae scripturae, in qua peccatum frequenter praevaricatio vocatur. Psalm. 118, 119. Isai. 24, 16. Jer. 5, 11. Ezech. 12, 24. Rom. 2, 23.; 4, 15. et alias.

Itaque peccatum est *inordinatio* et *praevaricatio.* Consequenter est *privatio boni,* quod debet haberi, et quod est conformitas actionis cum ordine morali seu lege aeterna: adeoque simul est *corruptio* naturae. Recole dicta §. 22. n. 2.

2. — Ex hac jam peccati conditione simul turpitudo ejus conspicitur. Sed accedunt aliae rationes, ex quibus ejusdem turpitudo magis adhuc elucescit. Etenim omne peccatum, imprimis mortale, est

1. *Offensa Dei,* 4. Mos. 27, 14. 5. Mos. 7, 25. Eccli. 34, 20. Philipp. 1, 10. Jac. 2, 10.; 3, 2. et alias. Etenim per omne peccatum lex divina, sicuti per mendacium veritas offenditur. Cumque lex divina a Deo ipso secerni nequeat, ideo per hominis peccatum Deus non potest non offendi.[1]) — Peccatum mortale quandam infinitam malitiam involvit ex infinitate divinae majestatis; tanto enim offensa est gravior, quanto major est ille, in quem delinquitur.[2])

2. *Inobedientia.* Hebr. 2, 2., per omne siquidem peccatum violatur praeceptum Dei.

3. *Contemptus Dei,* si non directus, saltem indirectus. 3. Mos. 26, 15. 4. Mos. 15, 31. Jerem. 3, 20. Ezech. 20, 27., et al. Peccans facto quasi dicit: *Non serviam.* Jerem. 2, 20. Divinam majestatem vili creaturae postponit. Porro Deo honorem ipsi debitum detrahit, sicque Deum *inhonorat.* Rom. 2, 23. Ezech. 13, 19.

---

[1]) Videatur Stapf: Th. m. Tom. I. §. 102.

[2]) S. Thomas: 3. q. 1. a. 2. ad 2. et alii communiter.

An etiam in peccato veniali est infinita malitia? Dicit Suarez, malitiam peccati venialis non posse proprie et simpliciter dici infinitam, quia non est in peccato veniali illud genus malitiae infinitae, quod est in peccato mortali, ut est aversio ab ultimo fine. Et subdit, veniale hoc ipso, quod malum culpae est, posse dici continere aliquo modo quandam infinitatem secundum quid, quatenus unum veniale peccatum majus malum est, quam omnis poena. Et hac etiam ratione veniale peccatum tantae est malitiae, ut quamdiu in anima habetur, conspectum Dei impediat. Tract. de vitiis et peccatis Disp. II. Sect. 5. n 16—18.

Injustitia, iniquitas. Psalm. 36, 2.; 37, 28. Ezech. 33, 15—17. 1. Joa. 3, 4. et al. Jus enim violat, quod Deus habet, ut ei subjectus sit homo, et facultatibus sibi ab eo concessis juxta Domini sui voluntatem utatur.[1]) Peccatum est vere *injuria,* quae Deo irrogatur.[2])

5. *Ingratitudo in Deum.* Isai. 5, 1. et sq. Jerem. 2, 4. Mich. 6, 3. et 4. Matth. 23, 37. Expende bona naturae a Deo nobis concessa, quae sunt vita, vires animae et corporis etc.; bona gratiae, ut sunt vocatio ad veram fidem, susceptio in numerum filiorum Dei, Sacramenta, Missae sacrificium, gratiae auxiliantes etc. Eo etiam momento, quo homo peccat, auxilio gratiae incitatur ad bonum, deterretur a malo, ut ruinam suam avertat. Et quid peccator? Non utitur, sed abutitur donis gratiae, abutitur pariter bonis naturae ad Deum offendendum; ergo dona ipsius benefactoris usurpat ad benefactorem, eumque benevolentissimum et liberalissimum, offendendum, et eo tempore, quo benefactor ipsi benefacit!

6. *Impietas in Deum.* Isai. 1, 2—3. Luc. 15, 11. et sq. Nam peccando homo dilectionem filialem Deo Patri suo amantissimo exhibere detrectat, Patrem proterve relinquit, Deo fit alienus, bona ab eo abundanter accepta dissipat, hosti ejus perfide se adjungit, Luc. 15, 13, filius Dei se facit mancipium diaboli, id. quod solum Deus in natura hominis amat, nempe imaginem divinitatis, foede maculat et deturpat.

7. *Temeritas,* Job. 15, 25. Homo quidem, dum peccat, Deum — in conspectu ipsius — offendere et inhonorare audet, Deum — vindicem malorum justissimum et omnipotentem, qui animam et corpus perdere potest in gehennam; Deum quasi imbecillem *irridet* Gal. 6, 7, *irritat* et provocat ad vindictam 5. Mos. 31, 29. 1. Reg. 14, 15. Psalm. 5, 11.; 10, 13.; 105, 7. Ezech. 8, 17. et al.

8. *Superbia.* Jer. 2, 20. Peccator namque Deo se subjicere, jugumque Domini portare recusat, voluntatem suam divinae voluntati, suum placitum Dei beneplacito anteponit. Deo tergum vertit Jer. 2, 27. 32. 33., et legem ejus projicit post tergum suum. 2. Esd. 9, 26. Filium Dei conculcat, sanguinem testamenti, in quo sanctificatus est, despicit atque Spiritui sancto, gratiae largitori, contumeliam facit Hebr. 10, 29. Fit rebellis, quia insurgit contra Dominum suum.

---

[1]) S. Augustinus: „Peccatum est voluntas admittendi vel retinendi, quod justitia vetat.“ Lib. I. op. imperf. n. 44.

[2]) S. Alphonsus: H. A. Tract. III. n. 23.

9. *Odium sui.* Psalm. 10, 6., Tob. 12, 10. Vere enim, qui peccat, sibi vult et operatur malum, quandoquidem gratiam sanctificantem et virtutes infusas amittit vel saltem minuit (prout peccatum est mortale vel veniale), animam suam commaculat, poena divina se dignum facit.

10. *Insipientia.* Psalm. 68, 6., 48, 11. Peccans enim spreto indeficiente et incommutabili bono inhaeret bono vili et instabili; ab ente infinito ad nihilum vergit. Filius Dei excelsi similis fit jumentis insipientibus Psalm. 13, 21.; qui dulces, imo dulcissimos capiebat cibos Psalm. 54, 5., amplexatur stercora, Thren. 4, 15.

11. *Imprudentia,* stultitia. Sap. 5, 6—15. Peccatum est unicum malum, quod homini vere nocet, eumque miserum reddit. Non vere nocent morbi, paupertas, tribulationes, miseriae et acerbitates quaecunque hujus vitae, imo vero prosunt homini, qui illis utitur ad exercendas virtutes. Sed peccando detrimentum animae suae facit Marc. 8, 36., perdere animam suam periclitatur, animam unicam, quâ perditâ sunt perdita omnia et in omnia saecula.

12. Peccatum est *contra naturam.* Id enim dicitur contra humanam naturam esse, quod est contra rationem, quia homo per naturam rationalem potissime est homo. Atqui peccatum adversatur naturae rationali, id est ordini rationis.[1])

13. Qui peccat, quantum de se est, Deum summe amabilem *contristat* Ephes. 4, 30., quia unici mali summopere ei displicentis causa est, ita ut, si tristitiae esset capax Deus, infinitam inde conciperet; quia quantum amat suam bonitatem, tantum abominatur peccatum.

Pro praxi tamen observa, singulos praedictos aliosve turpitudinis modos, qui praesertim mortali, et imperfecte etiam peccato veniali conveniunt, in Confessione non esse necessario explicandos, nisi directe sint intenti; quia cum in omni peccato saltem implicite comprehendantur, eo dicto satis intelliguntur.

[1]) S. Ambrosius: Nam si honestas secundum naturam: turpitudo utique contraria est." De off. Lib. III. c. 4. n. 28. S. Joan. Chrysost. ait: „Vitium est contra naturam." Com. in 1. Cor. Homil. XXII. S. Augustinus: „Nec ipse homo contra naturam quidquam facit, nisi cum peccat, qui tamen supplicio redigitur ad naturam" Contra Faustum Libr. 26. cap. 3. De morib. Manich. cap. 7. n. 11. Contra epist. Manich. cap. 36. n. 41. De vera relig. cap. 23. n. 44. S. Prosper: „Peccatum contra naturam est." Ad Capit. Obj. Vincent. cap. 5. Idem docet s. Thom.: 1. 2. q. 71. a. 2.

3. — **Conclusio.** Tanta est malitia peccati, praesertim mortalis, fidei lumine cognita, ut plene ratione comprehendi nequeat.[1]) Hinc *horrorem mirabilem, miraculum horribile* s. Anselmus perversam voluntatem appellat.[2]) S. Catharina Genuensis divino lumine mire illustrata de foeditate peccati, ejusque venialis haec enarrat: „Quando mihi concessum fuit intelligere, quam pavescenda sit umbra minimi actus, qui sit contra Deum, nescio, cur e vivis non excesserim. Si haec sola, sola inquam, obscura visio, quae nonnisi momentanea fuit, diutius durasset, licet habuissem corpus adamantinum, interiissem."[3]) Quodsi tanta sit foeditas peccati venialis, quanta erit turpitudo peccati mortalis! S. Juliana Falconeria extremo in Dei offensam exardescens odio, ad solum peccati nomen contremiscebat; quin imo quadam die, sceleris cujusdam narratione audita, tanto perculsa est dolore, ut prope exanimis corrueret.[4]) Frequenter petenda a Deo intima cognitio foeditatis et malitiae, quae peccatis inest, atque detestatio eorum.

§. 124.

De divisione peccatorum.

1. — Nonnullis placuit distinctio inter *peccatum philosophicum* et *theologicum,* in eo posita, quod peccatum philosophicum sit actus humanus naturae rationali et rectae rationi disconveniens, theologicum vero peccatum audiat transgressio divinae legis et offensa Dei. Sed distinctio haec damnata est ab Alexandro VIII. decreto 24. Aug. 1690.,[5]) et merito quidem. Omne enim peccatum, licet proxime legi rationis seu naturae rationali adversetur, per se est transgressio legis divinae et offensa Dei; et „qui advertit, opus suum esse naturae rationali adversum, advertit saltem in confuso injuriam, quae irrogatur naturae auctori, qui est ipse Deus", ut recte observat s. Alphonsus.[6])

[1]) Vid. doct. Scheeben: Die Mysterien des Christenthums, cap. 4. Freib. 1865.

[2]) Medit. 3. Ed. Maur. pag. 209.

[3]) Apud Gobat: Experim. Theol. Tract. VI. n. 227.

[4]) Clemens XII. in Bulla Canoniz. a. 1737. edita.

[5]) Propositio huc spectans sub n. 2. sic legitur: *Peccatum Philosophicum seu Morale est actus humanus disconveniens naturae rationali et rectae rationi: Theologicum vero et mortale est transgressio libera divinae legis. Philosophicum, quamvis grave, in illo, qui Deum vel ignorat, vel de Deo non cogitat, est grave peccatum, sed non est offensa Dei, neque mortale dissolvens amicitiam Dei, neque aeterna poena dignum.*

[6]) H. A. Tract. III. n. 46.

2. — Peccata communiter sic dividuntur:

1) Ratione ordinis laesi habentur peccata *contra Deum, contra seipsum,* et *contra proximum,* prouti vel ordini hominis ad Deum, vel ordini hominis ad seipsum, vel ordini hominis ad alios repugnant. [1])

2) Ratione legis violatae discernuntur peccata *commissionis* et *omissionis,* cum fiant vel contra praeceptum negativum, vel contra praeceptum affirmativum. [2])

3) Ratione objectorum, circa quae versantur, peccata dispescuntur in *carnalia,* quae inordinata delectatione carnis committuntur, qualia sunt gula et luxuria, et in *spiritualia,* quae inordinata delectatione mentis perpetrantur, ut sunt superbia, invidia. [3])

4) Ratione modi, quo fiunt, peccata *cordis, oris* et *operis* discernuntur. [4])

5) Ratione radicis, ex qua procedunt, peccata dividuntur in peccata ignorantiae, infirmitatis et malitiae. [5]) *Peccata ignorantiae* appellantur, quae ex ignorantia culpabili (non tamen affectata) proveniunt. [6]) *Peccata infirmitatis* vocantur, quae ex passione gravi antecedente proficiscuntur. [7]) *Peccata malitiae* nuncupantur, quae ex

[1]) Vid. d. Thom.: 1. 2. q. 72. n. 4. Adversus haec peccata David propheta a Deo petebat Spiritum sanctum, Spiritum rectum, Spiritum principalem, ut advertit Bellarminus: De amissione gratiae et statu peccati Lib. 1. c. 2.

[2]) Late Suarez: Tract. V. de vitiis et peccatis, Disp. III. Sect. I. — Commissio peccatum, omissio delictum proprie dici solet, ut s. Augustinus: q. 20. in Leviticum colligit ex cap. 7. Levit., ubi alia sacrificia instituuntur pro peccatis, alia pro delictis.

[3]) Distinctionem hanc jam indicat Apostolus dicens: *„Emundemus nos ab omni inquinamento carnis et spiritus."* 2. Cor. 7, 1. Vid. plura apud Angelicum 1. 2. q. 72. a. 2. Carnalia nos reddunt similes belluis, spiritualia daemonibus, ut recte Bellarminus l. c. observat.

[4]) Jam s. Hieronymus dicit: *„Tria sunt generalia delicta, quibus humanum subjacet genus: aut enim cogitatione, aut sermone, aut opere peccamus."* Super Ezech. cap 63. Eandem divisionem habet s. August.: Contra Faustum lib. XXII. cap. 27. S. Gregor. M. Lib. 5. Moral. c. 11. n. 17. Observat d. Thomas, tria haec differre secundum diversos gradus peccati, et primum quidem gradum esse in corde, secundum in ore, tertium in opere. 1. 2. q. 72. a. 7.

[5]) Non nova est haec distinctio, cum eam s. Augustinus jam commemorat, qui dicit: *„Alia sunt peccata infirmitatis, alia imperitiae, alia malitiae."* Lib. de diversis quaest. octoginta tribus, q. 26. nec non s. Gregorius M.: *„Sciendum quippe est, quod peccatum tribus modis committitur. Nam aut ignorantia, aut infirmitate, aut studio perpetratur."* Lib. 25. Moral. cap 11. n. 28.

[6]) Late de ignorantia, an sit causa peccati, Angelicus disserit 1. 2. q. 76.

[7]) Innuit hujusmodi peccata s. Paulus his verbis: *„Si praeoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans te ipsum, ne et tu tenteris."* Gal. 6, 1. Praeoccupatum in aliquo delicto vocat eum, qui cadit ex infirmitate, tentatus a gravi passione. Vide d. Thom. 1. 2. q. 77. a. 3.

perversa operantis voluntate ducunt originem, — ea nempe sunt, quae vel absque ignorantia et passione, vel ex ignorantia affectata, aut ex passione consequente (seu libere excitata) committuntur. [1])

6) Ratione gravitatis celeberrima est peccatorum distinctio in *mortalia* et *venialia,* de qua mox uberius disseremus.

3. — Peccatum objective et subjective considerari potest. *Objective* consideratum consistit in malitia objecti, circa quod actus versatur; *subjective* consideratum in advertentia mentis ad malitiam objecti et in consensu voluntatis ad illam situm est. Primum dicitur *peccatum materiale,* alterum *formale.*

Gravissimi ponderis res est, accurate cognoscere, quando peccatum formale committatur. Quam ob causam sequens bene tenendum practicum.

PRINCIPIUM.

Ad peccatum formale necessario requiritur a) *ex parte intellectus advertentia ad malitiam objectivam actus* [2]) *saltem indirecta, et* b) *ex parte voluntatis consensio ad eam, sive sit directa, sive indirecta.*

4. — Advertentia mentis ad malitiam dicitur *directa,* si haec in se cognoscitur, *indirecta,* si in sua causa apprehenditur. Item consensus voluntatis est *directus,* quando objectum malum est volitum in se et immediate, *indirectus,* quando objectum malum est volitum in alio, tamquam ejusdem causa; qui enim vult causam directe, indirecte etiam vult effectum. Jam vero ad peccatum formale requiritur: a) advertentia mentis ad malitiam actus, sive suspicio malitiae vel in se vel in sua causa, saltem aliquo modo seu in confuso, quia nihil est volitum, quod non fuerit aliqualiter saltem praecognitum, et b) consensus voluntatis vel indirectus,

[1]) Hujusmodi est peccatum illorum, qui *„laetantur, cum male fecerint, et exultant in rebus pessimis"* (Prov. 2, 14.), vel *„quasi de industria recesserunt ab eo* (Deo), *et omnes vias ejus intelligere noluerunt."* (Job. 34, 27.). Etiam peccata commissa ex prava consuetudine, quam quis emendare non studet, sunt peccata malitiae, quia procedunt ex concupiscentia consequente (cf. §. 93. n. 5.). Quod idem Angelicus docet, nam *manifestum est,* inquit, *quod quicunque peccat ex habitu, peccat ex certa malitia.* 1. 2. q. 78. a. 2. Egregie et copiose de peccatis malitiae tractat idem s. Doctor: 1. 2. q. 78. tota. Videri etiam potest Suarez: Tract. V. de vitiis et peccatis Disput. IV. Sectio unica.

[2]) Malitia objecti ad peccatum formale requisita potest esse vel vera, vel tantum putativa; nam non solum ex conscientia recta, sed etiam erronea formaliter peccari potest.

quia voluntate perficitur peccatum, ut ipse dicit divinus Salvator: „*De corde enim exeunt cogitationes malae, adulteria* etc.“ Matth. 15, 19.[1])

Hinc 1. Qui nullo modo advertit ~~vel suspicatur~~ malitiam suae actionis vel sentit obligationem, illam advertendi, non peccat. Et sic, qui ex *naturali* distractione vel oblivione praeceptum transgreditur, e. g. die jejunii carnem comedit, non cogitans vel dubitans de praecepti violatione, a peccato formali excusatur.[2]) Qui vero ex *culpabili* distractione, inadvertentia, vel in consideratione bonum omittit, malumve facit, peccat, quia tunc omissio vel commissio indirecte, seu in causa, scilicet in illa inadvertentia et inconsideratione est voluntaria. Porro *culpabilis* inadvertentia vel inconsideratio fit *ex negligentia,* quando quis nempe *advertit,* se debere diligentiam et considerationem adhibere, quam res agenda meretur, eamque tamen non adhibet.[3]) Sic e. g. qui destinatus ad curam aegrotorum gerendam, parum prospicit aegroto, qui propterea in mortis devenit periculum, vix ac ne vix quidem a peccato excusari poterit per inadvertentiam et oblivionem; advertere enim potuit et debuit, se aegrotis teneri sedulam attentamque dare operam.

2. Qui vitae liberiori et saeculi moribus serviens legem divinam vel ecclesiasticam violat, e. g. Sacramenta non suspicit, Missam non audit, quin cogitet de peccato, vix excusari poterit; quum ejusmodi transgressiones indirecte sint voluntariae, nempe effectus passionibus connexi et saltem in confuso praevisi.[4])

3. Qui ex prava consuetudine in actus malos v. c. in iram, blasphemias, detractiones, verba obscoena prorumpit, quin in actu malitiam advertat, certe tunc peccat, si non adhibet diligentiam moralem, exstirpandi consuetudinem malam, quia in tali casu mali actus in causa, nempe in adhaerendo voluntarie consuetudini pravae, voliti sunt.[5]) Quodsi tamen consuetudinarius habitum perversum exuere diligentia debita studet, et sine advertentia actuali quandoque in malos actus prorumpit, tunc peccare dici nequit, quia hujusmodi actus mali nec directe, neque indirecte voluntarii dici possunt.

---

[1]) Modus, quo peccatum perficitur, hic est: primo objectum repraesentatur sensibus, et sua delectabilitate physica commovet appetitum sensitivum. Deinde intellectus ad objectum et ad suam malitiam advertit. Demum voluntas in illud sic cognitum consentit. Ita s. Alphons. L. II. n. 3. I.

[2]) S. Alph. L. II. n. 4.

[3]) Idem l. c.

[4]) S. Alphons. L. II. n. 4.

[5]) Idem l. c. et H. A. Tr. III. n. 29.

Ceterum ad praxin bene observat s. Alphonsus[1]) cum Antoine, eis, qui ex passione vel ex prava consuetudine agunt, vix deesse omnem actualem cognitionem suorum criminum, sufficientem ad actus deliberatos et voluntarios reddendos; unde concludit confessarium non facile debere illis fidem praestare, dicentibus, quod non adverterint, se peccare.

* S. Alphonsus: Theologia moralis Lib. II. n. 3—5., ubi s. Ecclesiae Doctor sapientissime refutat rigidioris sententiae patronos, qui docuerunt, ad peccatum mortale sufficere *virtualem et interpretativam advertentiam* ad malitiam actus, quam reposuerunt in sola potentia et obligatione sciendi seu advertendi, quin cognitio ulla hujus obligationis, vel dubium quodpiam praecesserit. „*Deficiente omni advertentia expressa,* illis sapienter reponit, *non est potentia advertendi et ideo nec obligatio, cum nulla obligatio liget, nisi prius quodammodo agnoscatur.*“ Sufficit plane citata sancti hujus Doctoris dissertatio egregia ad rem penitus perspiciendam, quocirca aliorum Auctorum opera notare superisedemus.

§. 125.

De comparatione peccatorum ad invicem.

1. — Quaeritur, an omnia peccata sint aequalia? Cujus quaestionis solutioni duos praemittere debemus errores desuper notandos.

a) Unus error est commentum affirmans, omnia peccata *sine ullo discrimine* esse paria, et consequenter peccatores cunctos in peccatis et poenis esse aequales. Quem errorum tenuit *Jovinianus* (saec. IV.) Stoicos secutus.[2])

b) Alter error est sententia asserens, peccata cuncta esse naturâ suâ mortalia, et *tantum ex conditione personae* ea committentis venialia fieri. Et quidem *Wicleffus* dixit, omnia peccata reproborum esse mortalia, praedestinatorum autem omnia venialia.[3]) *Lutherus* tradidit, omnia peccata infidelium esse mortalia, renatorum autem omnia esse venialia praeter infidelitatem.[4]) *Calvinus* utrumque commentum praedictum, nempe Wicleffi et Lutheri commiscens asseruit, peccata omnia reproborum esse mortalia, cum sint infideles.[5]) *Bajus* docuit, nullum peccatum reperiri natura sua veniale, atque omnes actus sceleratorum esse peccata mortalia.[6])

Probabimus *primo,* non omnia peccata esse paria, et *secundo,* alia esse mortalia, alia venialia, et quidem ex sua natura.

---

[1]) L. 2. n. 4. *Tertio modo.*

[2]) Vide s. Hieronym.: Adversus Jovinianum Lib. II. n. 18. et sq.

[3]) Ut refert Waldensis: Tom. II. de Sacramentis cap. 154.

[4]) Vid. Bellarmin.: Controvers. de Justificat. Lib. II. cap. 1. Riffel: Christliche Kirchengeschichte, Erstes Buch 2. Cap.

[5]) Institut. Lib. II. cap. 8. §. 59. Lib. III. cap. 2. §. 11. cap. 4. §. 28.

[6]) Propos. Baji 35. *Omne, quod agit peccator vel servus peccati, peccatum est.* Et propositio 20. *Nullum est peccatum ex natura sua veniale, sed omne paccatum meretur poenam aeternam.* Ab hac doctrina veritati catholicae offensa vix discordat Hirscher, dum docet: „Wenn

PROPOSITIO I.

Non omnia peccata sunt paria, sed alia aliis graviora.

2. — Haec propositio de fide est, et probatur 1) ex s. scriptura. Dominus dixit ad Pilatum; „*Qui tradidit me tibi, majus peccatum habet.*“ Joan. 19, 11. Vide etiam Jerem. 7, 26. Matth. 5, 22., 7, 3., 23, 23. — 2) Ex ss. Patribus, inter quos s. Hieronymus ex professo scripsit pro hac tuenda catholica veritate,[1]) eique summopere hac de re gratulatus est s. Augustinus.[2]) — 3. Ex ratione. Etenim peccatum, ut ostendimus (§. 123. n. 1.), est inordinatio. Atqui inordinatio major minorve esse potest. Ergo.[3])

Diversa peccatorum gravitas repeti debet: a) ex diversa dignitate virtutum, et ex vi diversa praeceptorum, quibus actus mali repugnant, b) ex majori vel minori advertentia mentis ad malitiam actus, nec non ex diverso gradu consensus actui pravo praestiti; denique ex majori vel minori actus mali intensione.

3. — Unde ad divisionem peccatorum superius (§. 124. n. 2.) expositam respectu habito sequentia facile colligere licet:

1. Graviora sunt hominis peccata contra Deum, quam contra seipsum et proximum commissa.[4])

2. Graviora sunt peccata commissionis, quam omissionis.

3. Graviora sunt peccata spiritualia, quam carnalia.[5])

der Mensch durch die Neugeburt mit Gott wieder in Verbindung getreten ist, und in ihr bleibt, so ist alles, was er wirkt, weil es im hl. Geiste geschieht, Gott gefällig und heilig, so unbedeutend es auch in sich sein möchte; wer dagegen mit dem Vater und dem Sohne und dem hl. Geiste nicht verbunden ist, sondern in sündhafter Richtung des Willens lebt, der wirkt, wie glänzend und nützlich auch manche seiner Thaten dem Aeusseren nach seien, dem inneren Werthe nach *nur Böses* und Werthloses.“ — „*Was der Sünder wirkt, sind ihrer innersten Natur nach Werke des Todes. — Todsünden.*“ Scite eum refellit Kleutgen: Die Theologie der Vorzeit. II. B. 8. Abhandlung, S. 415. u. f. Aufl. 2.

[1]) Libri II. adversus Jovinianum.

[2]) Epist. 167. (alias 29.) ad Hieronymum. Apte idem s. Doctor in epistola 104. ad Nectarium c. 4. n. 13. scribit: „*Quid absurdius, quid insanius dici potest, quam ut ille, qui aliquando immoderatius riserit, et ille, qui patriam truculentius incenderit, peccasse judicentur aequaliter? At si propterea paria sunt, quia delicta; mures et elephantes pares sunt, quia utraque animalia?*“

[3]) S. Thomas: 1. 2. q. 73. a. 8. ad 2. coll. a. 2. et 3.

[4]) S. Thom.: 1. 2. q. 73. a. 3.

[5]) S. Basilius: „*Quanto corpus inferius est dignitate, quam anima, tanto minus est vitium, quod per corpus admittitur, quam quod per nudam perpetratur animam.*“ De vera virginitate. S. Thom.: 1. 2. q. 73. a. 5.

4. Graviora peccata oris et operis, quam cordis.

5. Graviora peccata malitiae peccatis infirmitatis, et haec graviora sunt peccatis ignorantiae.[1])

* S. Hieronymus: Libri II. Adversus Jovinianum Lib. II. praesertim n. 30. et 31. S. Augustinus: Epistola 104. (alias 254.) ad Nectarium (qui, ut Jovinianus, ex Stoicorum placito induxerat, omnia peccata esse paria). S. Bernardus: Lib. de praecepto et dispensatione cap. 11. (Op. Tom. II.) S. Thomas: Summa Theologica 1. 2. q. 73. a. 2. — 10. — La Croix: Theol. mor. Libr. V. n. 114—117. Suarez: Com. in primam secundae de Thomae Tract. V. Disp. I. Sect. 2. Billuart: Cursus Theologiae. Tract. de peccatis Dist. III. art. 2.

4. — Peccatum ratione gravitatis dividitur in *mortale et veniale.* Primum est *gravis transgressio legis divinae privans hominem gratia sanctificante eumque dignum reddens poena aeterna.* Alterum est *levis transgressio legis divinae, minuens charitatis fervorem et hominem dignum reddens poena temporali.*

Libere disputant Theologi in quaestione solvenda, *undenam principaliter petenda sit differentia inter peccatum mortale et peccatum veniale.*[2]) Dicendum videtur: peccatum mortale est aversio a Deo et conversio ad creaturam, tanquam ad ultimum finem; peccatum veniale est conversio ad creaturam, salva tamen remanente conjunctione aliqua cum Deo, fine ultimo. Seu lethale peccatum hominem plane avertit a Deo, veniale nonnihil impedit cursum ad Deum, non tamen ab eo avertit.[3]) Qui scilicet mortaliter peccat, totaliter recedit a Deo, cum in creatura finem suum constituat, quasi non in illo, sed in hac vera sit posita beatitudo; qui tantum venialiter peccat, creaturae quidem inordinate inhaeret, quin in ea tamen finem constituat, et a Deo recedat; habitu enim junctus manet cum Deo, licet actu non tendat in Deum.[4])

[1]) Idem l. c. Et jam s. Gregor. M. dicit: „*Et gravius quidem infirmitate, quam ignorantia: sed multo gravius studio, quam infirmitate peccatur.*“ Lib. 25. Moral. cap. 11. n. 28.

[2]) Vid. Suarez: Comm. in primam secundae d. Thomae Tract. V. Disp. II. Sect. I. La Croix: Theologia moralis Lib. V. n. 206—207.

[3]) Bellarmin: De amissione gratiae et statu peccati Lib. I. cap. 2.

[4]) Ita plane docet d. Thomas, cui toto pectore adstipulamur. Dicit: „*Quando anima deordinatur per peccatum usque ad aversionem ab ultimo fine scilicet Deo, cui unitur per charitatem, tunc est peccatum mortale; quando vero fit deordinatio citra aversionem a Deo, tunc est peccatum veniale.*“ 1. 2. q. 72. a. 5. c. Rursus tradit, *peccata mortalia* esse inordinationes *circa finem* ultimum per ejusdem *destitutionem, peccata* autem *venialia* habere inordinationem *circa ea, quae sunt ad finem, conservato ordine ad ultimum*

Simile est peccatum mortale vulneri lethali, quod subito vitam extinguit; veniale autem plagae levi, quae vitam non aufert, sed aegritudinem inducit. Mortale peccatum est defectus irreparabilis (ex ipsius natura, non secundum divinam potentiam), ideoque poenam interminabilem meretur; peccatum veniale est defectus reparabilis ac propterea interminabilem poenam non meretur.

His praemissis sit:

PROPOSITIO II.

Dantur peccata mortalia et venialia naturâ suâ ab invicem distincta.

5. — Haec de fide est. Probatur 1. ex s. literis. Discernuntur quippe *peccata ad mortem,* et *non ad mortem.* 1. Joan. 5, 16., itemque peccata, quae puniuntur poena aeterna 1. Cor. 6, 9. 10., et peccata, quae aeterna poena non puniuntur 1. Cor. 3, 13., et seq., demum peccata alia, quibus justi et praedestinati gratiam amittunt, cujus modi fuit illud protoparentum, itemque peccatum Davidis, peccatum Mariae Magdalenae; alio vero, quibus gratia non amittitur, dum dicitur: „*Septies cadet justus*", Prov. 24, 16. i. e. saepius occasione tribulationum (de quibus l. c. sermo) cadit in peccatum justus; hinc cum non desinat esse justus, peccatum veniale intelligi debet.[1]) Similiter „*Non est enim homo justus in terra, qui faciat bonum, et non peccet.*" Eccl. 7, 21. „*In multis offendimus omnes.*" Jac. 3, 2.

2. Ex ss. Patribus. Sufficiet unum adducere s. Augustinum, cum res jam dudum sit explorata.[2]) Distinguit s. Doctor „infanda crimina, qualia qui agunt, regnum Dei non possidebunt," et „quotidiana, brevia leviaque peccata, sine quibus haec vita non ducitur";[3]) simili modo frequenter loquitur.[4])

finem. 1. 2. q. 88. a. 1. c. Et subdit: „*veniale peccatum non excludit habitualem ordinationem actus humani in gloriam Dei, sed solum actualem: quia non excludit charitatem, quae habitualiter ordinat in Deum.*" l. c. ad 2. Praeterea formalis ratio peccati mortalis supra exposita fundatur in ipsa s. scriptura: Jerem. 2, 13. „*Duo mala fecit populus meus: Me dereliquerunt, fontem aquae vivae, et foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quae continere non valent aquas.*" De inimicis crucis Christi s. Paulus dicit: „*quorum Deus venter est.*" Philipp. 3, 19. avaritiam vocat „*idolorum servitutem*" Ephes. 5, 5.

[1]) S. Thom.: De malo q. 7. n. 2. ad 13.

[2]) SS. Patres videri possunt apud Bellarmin: De amissione gratiae Lib. I. I. cap. 5. et seq.

[3]) Enchiridion cap. 70. et 71.

[4]) De civitate Dei Lib. V. c. 9. De Trinitate Lib. XII. c. 12. Contra duas Epist. Pelag. Lib. I. c. 14. n. 28. De perfectione justitiae cap. 9. n. 20.

3. Ex Ecclesiae Decretis. Etenim Concilium Tridentinum docet, nos teneri confiteri omnia mortalia, quae memoriae occurrunt, non item vero venialia;[1]) quae sane doctrina stare non potest sine vera et reali peccatorum inter se differentia ratione gravitatis. Porro a s. Pio V. et Gregorio XIII. haec damnata est propositio Baji: *Nullum est peccatum ex natura sua veniale, sed omne peccatum meretur poenam aeternam.*

Ratio autem interna propositae doctrinae haec est: Peccatum, ut (§. 123.) habuimus, inordinatio est; jamvero qua talis aut usque ad privationem vitae spiritualis pertingit, aut eousque non pertingit. In priori casu est mortale, in posteriori veniale.

* S. Thomas: Summa Theologica 1. 2. q. 72. a. 5.; q. 88. a. 1. et 2. In Libr. II. Sent. Dist. XLII. q. 1. a. 3. De malo, q. 7. a. 1. — Bellarmin: Controversiae de amissione gratiae Lib. I. cap. 4. 5. et seq. Suarez: Tract. V. de vitiis et peccatis, Disp. II. Sectio I—IV. La Croix: Theologia moralis, Lib. V. n. 184—197. (cum perlucida adversariorum refutatione). Billuart: Cursus Theologiae, Tract. de peccatis Diss. VIII. art. 1. et 2. Kleutgen: Die Theologie der Vorzeit, I. Th. 8. Abhandl. I. Hauptst. S. 396. u. f. Münster 1854. (polemice contra Theol. Hirscher.)

§. 126.

De peccato mortali et veniali specialiter.

I. De peccato mortali.

PRINCIPIA.

1. — **Principium I.** Ad peccatum mortale requiritur: 1. *ex parte objecti* materia gravis sive in se, sive ex aliqua circumstantia, et 2. *ex parte subjecti* seu hominis committentis peccatum advertentia plena ad objectivam malitiam, atque perfectus voluntatis consensus in illam.[2]) Ratio ex notione peccati mortalis deducitur. Peccatum enim mortale est totalis aversio a Deo et conversio ad creaturam,

[1]) Sess. XIV. cap. 5. Idem Concilium haec habet: „*licet in hac mortali vita quantumvis sancti et justi in levia saltem et quotidiana, quae etiam venialia dicuntur peccata, quandoque cadant, non propterea desinunt esse justi.*" Sess. VI. cap. 11. Ulterius: „*Si quis dixerit, nullum esse mortale peccatum, nisi infidelitatis — — — anathema sit.*" Sess. VI. cap. 27. cf. cap. 15.

[2]) S. Thomas: 1. 2. q. 88. a. 2. cf. q. 74. a. 3. ad 3., a. 6. et a. 10. S. Bonaventura: In Lib. III. Sent. Dist. 39. a. 1. q. 3. S. Alphons.: Th. m. L. 2. n. 53. Alii quam plurimi videri possunt apud La Croix: Theol. mor. 1. 5. n. 216.

quae quidem fieri nequit absque conditionibus praedictis. — Praeterea, ob peccatum mortale excluditur homo a Dei fruitione et cruciatibus aeternis addicitur; alienum autem videtur a clementia et misericordia divina, tantis malis hominem subjicere propter transgressionem in materia undequaque levi, vel ob non plene perfecteque voluntarium, qualis est, si ad malitiam gravem non sit advertentia plena, perfectusque in illam consensus. — Advertentia autem et consensio *unico instanti* fieri potest, quin uberiori deliberatione ac discussione opus sit.

Porro advertentia plena et ad mortale peccatum sufficiens censetur, si cogitatio expressa, vel saltem dubitatio positiva de malitia gravi, vel cognitio periculi proximi, in mortale peccatum labendi, actum peccaminosum praecedat.

2. — Sane peccatum grave est, *sine justa causa* se exponere proximo periculo mortaliter peccandi, quia velle tale periculum, est velle ipsum peccatum, et aliunde constat, illicitum esse usum probabilitatis cum periculo damni spiritualis. Cf. §. 80, n. 1. et 2. — Dixi: *sine justa causa;* illud enim non dicendum de eo, qui ex necessitate hujusmodi periculum subit, quandoquidem tunc periculum ex proximo fit remotum, tum propter necessitatem, tum propter media praeservativa, quae in hujusmodi occasionibus debet adhibere: nam licet nemo excusetur, etiamsi velit eadem media adhibere, qui sine necessitate se exponit periculo; attamen bene excusabitur, qui illi ex justa causa se exponit, dum huic, non autem illi in occasione peccandi auxiliaturus est Deus, qui indigentibus, non temere agentibus opitulatur. Ita sapienter s. Alphonsus.[1])

3. — **Principium II.** Peccata mortalia sunt talia vel *ex genere suo*, vel *per accidens.*[2])

1. Mortalia *ex genere suo* dicuntur, quae ex suo objecto et per se sunt mortalia: a) vel *ex toto genere suo,* quando eorum objectum seu materia, semper gravem continet deordinationem, ut in luxuria, blasphemia, perjurio, haeresi, odio Dei;[3]) vel b) *ex genere suo non toto,* quando eorum materia plerumque gravis est, levis tamen etiam esse potest, ut e. g in furto, in detractione.

---

[1]) H. A. Tract. III. n. 69.

[2]) S. Alph.: Lib. II. n. 52.

[3]) Idem s. Ecclesiae Doctor observat: „*Regula sit: Non datur parvitas materiae, ubi ob parvitatem non excusatur ratio offensionis, ut accidit in infidelitate, odio Dei, simonia, perjurio, re venerea et blasphemia.*“ l. c. n. 56.

2. Mortalia *per accidens* vocantur, quae talia sunt non ex suo objecto, sed ex aliqua circumstantia, v. c. ex conscientia erronea, vel ratione scandali, contemptus formalis etc. Vide infra n. 8.

4. — **Principium III.** *Peccatum mortale ex genere suo potest fieri veniale,* 1. ex parvitate materiae, 2. ex imperfecta advertentia, 3. ex imperfecto consensu, et 4. ex conscientia invincibiliter erronea, qua quis judicat, aliquid esse veniale, quod de se est mortale.[1]) Ratio ex dictis n. 1. liquet.

Hinc omnia peccata *objective* seu ex genere suo mortalia *subjective* seu in homine peccante venialia esse possunt.[2])

II. De peccato veniali.

PRINCIPIA.

5. — **Principium I.** Ad peccatum veniale requiritur: 1. *ex parte objecti* materia levis: per hanc enim realiter differt a mortali; et 2. *ex parte subjecti* advertentia ad objectivam pravitatem nec non voluntatis consensus in illam, quia hisce sublatis nullum committitur formale peccatum (§. 124. n. 4.). Sufficit autem ad veniale peccatum advertentia et consensio *imperfecta,* siquidem tunc mali cognitio et volitio ad peccatum formale requisita jam aliqua ratione habetur; verumtamen *perfecta* etiam utraque esse potest, quin peccatum desinat esse veniale, quia, ubi materia levis est, ob perfectam mali cognitionem et volitionem mortale peccatum non perficitur (coll. n. 1.).

Amplius notandum, quod veniale peccatum stare potest, quantumvis gravis sit malitia objecti, si videlicet advertentia mentis sit imperfecta, et imperfectus voluntatis consensus (cf. n. 4.).

6. — Peccatum veniale bene discerni debet ab *imperfectione,* quae quidem duplici sensu accipi solet, scilicet: a) *imperfectio* dicitur actio vel omissio repugnans mero consilio, ad quod exsequendum quis specialiter incitatur sive per inspirationem gratiae, sive per dictamen rationis, sive per voluntatem superiorum.[3]) Quo sensu accepta imperfectio *per se* peccatum non est, ut patet; at vero

---

[1]) S. Alphons.: L. II n. 54. et sq. S. Thomas: 1. 2. q. 88. a. 1. 2. et 6.

[2]) S. Thom.: 1. 2. q. 88. a. 6.

[3]) Lancicius: Tom. I. opusc. 3. Gobat: Experientiae sacramentales T. VII. n. 509. et 510. Lugo: De Poenit. Dist. 16. n. 102. et 103. La Croix: Theol. mor. lib. V. n. 212. Reuter: Theol. m. P. I. t. 2. 1. n. 31.

saepe culpa non vacat propter vitiosum amorem, curiositatem, sensualitatem, acediam etc., ex quibus consilii neglectio provenire solet. b) *Imperfectio* dicitur violatio praecepti prorsus indeliberata et involuntaria, ut e. g. sunt distractiones involuntariae in orando, excessus involuntarius in risu, in tristitia, in indignatione, in jocando, in fabulando etc.; [1]) quo sensu imperfectio sumta omni plane culpa vacat.

7. — **Principium II.** Peccata venialia, ut ex praemissis facile eruitur, sunt duplicis classis: a) alia *ex genere suo* i. e. ex objecto, quod in se spectatum malitia levi inficitur, ut e. g. curiositas, superfluitas vestitus, nugae, otium, excessus in cibo, potu, somno, risu, timore, tristitia, excessus in appetitu pecuniae, laudis etc.; [2]) b) alia *per accidens*, scilicet ex imperfectione actus i. e. ex imperfecta advertentia imperfectoque voluntatis consensu, quamvis per se seu ex objecto suo judicentur mortalia, uti v. c. subiti et non plene deliberati motus luxuriae.

Non omnia peccata plena cum advertentia commissa sunt mortalia, sed aut mortalia, aut venialia, prouti circa materiam gravem vel levem versantur. Constat ex hactenus dictis. [3]) Verum tamen peccata venialia omnino deliberata et voluntaria sunt graviora venialibus illis, quae cum imperfecta advertentia patrantur. Vid. §. 125. n. 2.

8. — **Principium III.** *Veniale ex genere suo fieri potest mortale:* 1) ratione conscientiae erroneae, v. c. si quis arbitretur, se graviter peccare, dum leviter mentitur, vel etiam ratione conscientiae dubiae; 2) ratione scandali gravis; 3) ratione finis graviter mali, v. c. si quis per levem detractionem intendat gravissimas rixas, odia, suspiciones; 4) ratione pravi affectus, quo res leviter mala ipsi Deo anteponitur, v. g. quando quis mavult Deum graviter offendere, non audiendo sacrum die festo, quam abstinere a lusu, otioso colloquio etc.; 5) ratione formalis contemptus legis et legislatoris,

[1]) Sic e. g. Franciscus Sales. imperfectionem spectat. Dicit nempe: „La différence qu'il y a entre le péché veniel et l'imperfection, c'est que l'imperfection est une surprise et inadvertance, et au péché notre volonté y concourt."

[2]) Haec et similia ut peccata venialia jam recenset s. Augustinus: De natura et gratia cap. 38. n. 45.

[3]) Theologus Hirscher docuit, omnia peccata perfecte deliberata esse lethalia. Contra quem egregie scripsit Kleutgen: Die Theologie der Vorzeit II. B. S. 421. u. f. Aufl. 2. Münster 1872.

et 6) ratione periculi proximi lethaliter peccandi, ut si quis per lectionem ex curiositate susceptam vel familiare colloquium cum foemina periculo gravis peccati se exponit.

An vero plura venialia efficere possunt unum mortale? Peccata venialia, utcunque multiplicata, per se loquendo et *ratione multiplicationis* nunquam possunt constituere peccatum mortale, quia singula in inferiori specie manent. [1]) Quod confirmatur ex Concilio Tridentino docente, per venialia, in quae frequentius labimur, nos a gratia Dei non excludi. (Sess. XIV. cap. 5.). Attamen *ratione materiae coalescentis* venialia ad mortale devenire possunt, quando nimirum materiae parvae peccatorum inter se moraliter uniuntur seu coalescunt, ita ut efficiant unam materiam gravem, quod v. c. accidit in furtulis, in violatione jejunii, in parvis omissionibus Officii divini, in levibus laboribus die festo repetitis.

9. — **Principium IV.** *Venialia ad mortalia disponunt:* a) quia impediunt specialem Dei protectionem, qua tentationes et pericula peccandi removentur, et Dei liberalitatem, qua uberiores fortioresque gratiae conceduntur; b) quia minuunt fervorem charitatis, qua homo Deum suum offendere filialiter timet; c) quia propensionem progignunt ad transgressiones graviores, maxime si venialia frequenter in eadem materia fiunt. Hinc in s. scriptura dicitur: „*Qui spernit modica, paulatim decidet.*" Eccl. 19, 1. Et „*qui in modico iniquus est, et in majori iniquus est.*" Luc. 16, 10. Idem pariter unanimi Patrum suffragio firmatur. [2])

Hinc prona quaestio: *An graviter peccet, qui mortalia duntaxat peccata vitare velit, et de omittendis venialibus minime sit sollicitus?*

R. Per se et *in abstracto* loquendo non videtur esse mortale, nullum fugere velle veniale peccatum, ut communiter Theologi docent cum s. Alphonso, qui hanc sententiam probabiliorem esse dicit. [3]) Ratio est, quia cum venialia multiplicata per se non efficiant peccatum mortale, certe non esset mortale, omnia venialia com-

[1]) S. Thomas dicit: „*omnia peccata venialia de mundo non possunt habere tantum reatum, quantum unum mortale.*" 1. 2. q. 88. a. 4. c.

[2]) S. Augustinus: „*Minuta plura peccata, si negligantur, occidunt: minutae sunt guttae aquae, flumina implent; minuta sunt grana arenae, sed si multa arena imponatur, premit atque opprimit.*" In Joa. Evang. Tract. XII. n. 14. S. Joan. Chrysost.: „— *cito ex parvis maxima* (peccata) *fiunt negligentia nostra.*" In Matth. Homil. 86. n. 3. S. Gregorius M.: „*Ex vanitate ad iniquitatem ducimur.*" Lib. X. Moral. cap. 11. n. 21.

[3]) Th. m. Lib. V. n. 12.

mittere, ergo nec mortale dicendum, illa omnia velle committere.[1]) Ast in praxi homo ita comparatus ut supponitur, vix diu erit sine mortali, quia venialia ad mortalia disponunt.

10. — Ad dignoscendum, utrum quoddam peccatum ratione *materiae* sit mortale, an veniale,[2]) necesse est recurrere 1. ad divinas scripturas,[3]) 2. ad definitiones SS. Pontificum et ad decreta Conciliorum generalium, atque 3. ad communem ss. Patrum et Theologorum sensum. Quodsi haec nondum sufficiant, considerare juvabit, an peccatum, de quo agitur, gravem vel levem deordinationem contineat. Non raro admodum difficile in praxi est definire, quae sint peccata mortalia, quae non.[4]) Tunc vero pensandum, quod Gerson rectissime animadvertit: „*Doctores non debent esse faciles ad asserendum, aliqua peccata esse mortalia, ubi non sunt certissimi de re. Nam per hujusmodi assertiones rigidas in rebus universis nequaquam eriguntur homines a luto peccatorum, sed in illud profundius, quia desperatius, demerguntur.*[5])

* De utroque peccato, mortali et veniali: S. Thomas: Summa Theologica 1. 2. q. 88. et 89. S. Alphonsus: Theologia moralis Lib. II. n. 51—64. — Bellarmin: De amiss. gratiae Lib. I. c. 9—14. Laymann: Theologia moralis Lib. I. Tract. III. cap. 5. La Croix: Theologia moralis Lib. V. n. 198—297. Collet (Continuator Honorati Tournely): De universa Theologia morali Tom. III. Tract. de peccatis. Par. II. cap. 2. (Parisiis 1750.) Reuter: Theol. moral. Pars I. Tract. V. cap. 2. n. 369—881. Voit: Theologia moralis n. 277—285. Stapf: Theol. mor. Tom. I. Sect. IV. §. 106—110. (p. 230—239. Ed. 7. Oeniponti 1855). Frid. Teipel: De peccati natura ejusque in mortiferum et non mortiferum dividendi ratione. Coesfeldiae 1847. Scavini: Theologia moralis universa Tom. I. Tract. IV. Disp. I. cap. 2. n. 723—731. Ed. 12. Martin: Lehrbuch der katholischen Moral S. 225—245. 4. Aufl. Mainz 1859. Palásthy: Theologia morum catholica Pars II. §§. 6. et 7. p. 41—47. Ratisbonae 1861. Simar: Lehrbuch der kath. Moraltheologie 2. Aufl. §§. 69—71. Freiburg 1877.

---

[1]) Ita perbene argumentatur La Croix: Th. m. lib. V. n. 288.

[2]) Apposite Stapf observat: „Theologos antiquiores haec inquisitio plurimum exercuit: ex recentioribus vero plurimi eam tanquam inutilem subtilitatem praetermittunt. Ast quis illud meram subtilitatem dicat, cujus usus praesertim in confessionali toties occurrit, quodque revera summi momenti existit?“ Theol. mor. Tom. I. §. 106.

[3]) S. Augustinus: „Quae sunt levia, et quae gravia, non humano, sed divino sunt pensanda judicio.“ Enchiridion cap. 17.

[4]) Ipse magnus s. Augustinus ingenuose fatetur: „Ego certe usque ad hoc tempus, cum inde satagerem, ad eorum indagationem pervenire non potui.“ De Civit. Dei Lib. XXI. cap. 27. n. 5.

[5]) De vita spirit. Lect. 4.

Casus.

11. — *Gregorius semel comedit carnes die prohibita absque ulla rationabili causa, quin deliberationem quampiam instituerit de obedientia Ecclesiae exhibenda, de praecepti motivis vel de aliis similibus.*

Invitatus ad comoediam, ubi turpia repraesentabantur, absque cunctatione ibi comparuit, quamquam praeviderit tentationes turpissimas cum manifesto eis consentiendi periculo esse orituras.

Quaeritur: An Gregorius in praedictis lethaliter deliquerit?

Resp. ad I. *Aff.*, si prohibitionem Ecclesiae graviter obligantem sciverit, vel saltem de ea practice dubitaverit; quia coll. n. 1. advertentiam et voluntatis consensionem ad mortale peccatum requisitam habuit, siquidem longiori quadam deliberatione de ponendo vel non ponendo actu ad peccatum mortale constituendum nequaquam opus sit.

Resp. ad II. *Aff.*, quia proximo mortaliter labendi periculo absque necessitate sese committere non licet cf. n. 2.

12. — *Veronica confessionem sacramentalem peragens se accusat: 1. tentationibus turpibus non statim, et non serio restiti; 2. sciens et volens saepius sum mentita; 3. verbis otiosis tempus frequenter trivi; 4. ob mortem matris meae continuo tristis fui; 5. divinis inspirationibus restiti. Quaeritur: An vel quomodo in his omnibus Veronica peccaverit?*

Resp. ad 1. Quamdiu tentationes non advertit, certe non peccavit, quia advertentia est conditio quaedam essentialis peccati formalis. Ubi vero tentationes advertit, eisque non serio restitit, peccavit, ut patet; at vero *per se* tantum venialiter ob imperfectum voluntatis consensum. Dico: *per se*, etenim graviter peccasset, si negligentia in resistendo conjuncta fuisset cum probabili consensus perfecti periculo.

R. ad 2. Cum mendacium ex genere suo non sit nisi veniale, Veronica tantum venialiter peccavit, non obstante advertentia plena coll. n. 7., nisi mentiendo grave damnum alicui intulisset etc. coll. n. 8.

R. ad 3. Verbis otiosis venialiter peccavit, supposito, quod non neglexerit officia gravia vel scandalum grave aliis non praebuerit. Nec ideo, quod frequenter confabulationes otiosas habuit, graviter deliquit, quia peccata venialia ratione multiplicationis non efficiunt culpam mortalem. — Secus dicendum foret, si defectus leves successive de aliquo revelasset, ita ut demum ejusdem fama notabiliter laesa fuisset, quia peccata venialia uniuntur et tandem ad peccatum mortale pertingunt ratione materiae coalescentis, ut potissime accidit in peccatis contra justitiam. Cf. n. 8

R. ad 4. Dolere de morte alicujus dilecti, est naturale, adeoque nullum peccatum, nisi modus excedatur. Recole dicta de pass. §. 93. n. 6. *Omnes passiones animae*, Angelicus dicit, *regulari debent secundum regulam rationis, quae est radix boni honesti, quam transcendit immoderata tristitia.*[1])

R. ad 5. Quod attinet inspirationes divinas, quibus Veronica restitit (dummodo revera motus divinae gratiae fuerint), distinguendum est: *Vel* tendebant ad opus praecepti; et tunc eas non sequendo certe peccavit, uti peccatum est, non implere praeceptum; sed talis transgressio inspirationis non est distinctum peccatum ab ipsa transgressione praecepti. *Vel* tendebant ad opus consilii; quo in casu admisit imperfectionem, quae quidem per se peccatum non est, attamen per accidens

---

[1]) 1. 2. q. 39. a. 2. ad 1.

culpam communiter involvit, puta sensualitatis, curiositatis, impatientiae, acediae vel negligentiae, maxime in suppositione sententiae communis, quod non dantur actus humani indifferentes in individuo. Vid. n. 6. Unde Card. Lugo merito infert, non reprehendendos esse Confessarios, quod poenitentes in hujusmodi rebus dicendis non impediant, — quia plura ex eis, quae videntur merae imperfectiones, non fiunt sine aliqua culpa veniali.[1])

§. 127.

De specifica peccatorum distinctione.

1. — Sub *specifica* distinctione peccatorum intelligitur eorumdem distinctio secundum specialem malitiam seu deformitatem, qua quippe unum ab alio essentialiter differt.

Concilium Tridentinum Sess. XIV. c. 5. docet, *eas etiam circumstantias in confessione explicandas esse, quae speciem peccati mutant, eo scilicet, quod sine illis peccata ipsa neque a poenitentibus integre exponantur, nec judicibus innotescant.* Hinc quaestio pulsat, undenam possimus colligere, quod uni vel pluribus actibus inhaereant malitiae specie distinctae et specialiter explicandae in confessione.

Qua de re pensari oportet, peccata tum praeceptis tum virtutibus repugnare, cum sint inordinationes seu recessus a legibus, quae ordinem rectum servari jubent, nec non privationes boni honesti et virtuosi, quod debent actus habere (cf. §. 22. n. 2.); unde porro sponte sua fluit, specificam peccatorum distinctionem ex oppositione diversa ad praecepta et ad virtutes merito desumi. Sed accurate haec evolvi debent, quocirca sint sequentia

PRINCIPIA.

2. — **Principium I.** *Distinctio specifica peccatorum desumitur ex violatione praeceptorum formaliter seu specifice diversorum.* Ratio est, quia peccatum est transgressio legis sive praecepti; ergo ubi praecepta specie inter se differunt, etiam peccata, quae iis sunt opposita, specie differre debent.

Dicuntur autem praecepta *formaliter* seu *specifice* diversa, quae vel objectum notabiliter diversum, vel si idem objectum, diversum tamen motivum seu finem habent. Hinc e. g. praeceptum jejunandi, praeceptum audiendi Missam, praeceptum ab operibus servilibus

[1]) De Sacr. Poenit. Disp. XVI. n. 102. et 103. Vid. etiam La Croix: Lib. V. n. 211. et 212.

abstinendi ob diversa objecta, praeceptum jejunii ab Ecclesia datum et obligatio jejunandi a Confessario per modum poenitentiae imposita, ob diversa motiva formaliter inter se differunt.

Principium II. *Distinctio specifica peccatorum desumitur etiam ex oppositione ad diversas virtutes, nec non ex oppositione diversa ad eandem virtutem.* Dico 1) *ex oppositione ad diversas virtutes,* quia virtutes singulae habent suam bonitatem distinctam, quapropter etiam peccata eis opposita specialem malitiam induere debent. Dico 2) *ex oppositione diversa ad eandem virtutem,* quae quidem oppositio tunc contingit, quando unum peccatum vel plura peccata variis actibus unius ejusdemque virtutis sunt contraria. Solet enim una virtus plures moraliter diversos actus habere, unde consequenter peccata ipsis opposita turpitudinem quoque moraliter diversam contrahere debent.

Exempla:

3. — 1. Detractio, furtum, fornicatio sunt peccata specifice diversa, siquidem praeceptis formaliter diversis repugnant. Item, omittere Sacrum et opera servilia peragere die dominica, specie differunt, quia duo praecepta formaliter distincta violantur.

2. Violatio jejunii per esum carnis et violatio jejunii per repetitam refectionem diversae sunt speciei, quia illa praecepto qualitatem cibi praescribenti, haec praecepto quantitatem cibi temperanti adversatur.

3. Tria peccata committit specie diversa, qui abstinentiam a carnibus non observat, quando ex praecepto Ecclesiae, ex voto et ex poenitentia sacramentali ad eam obstringitur, quia tres obligationes ob diversa motiva formaliter diversas negligit.

4. Specie differunt haeresis, desperatio et odium Dei, quia tribus virtutibus specifice diversis repugnant. Specie quoque distinguuntur violatio voti et perjurium, quia diversis modis uni virtuti, nempe religioni adversantur, quatenus opponuntur duobus diversis actibus religionis, qui sunt: vota fideliter implere, et in veritate jurare. Similiter detractio, et contumelia specie differunt, quia modo notabiliter diverso laedunt justitiam, ad quam videlicet pertinet, neminem violare neque in fama, neque in honore.

5. Prodigalitas et avaritia, sicut omnia peccata, quae per excessum et defectum patrantur, specie inter se differunt, quia uni

eidemque virtuti contrariantur secundum duo sibi invicem opposita, quae aeque virtus refugit et declinat.

6. Specie differunt haeresis et omissio actus fidei praecepti, desperatio et omissio actus spei debiti, odium Dei et omissio actus charitatis, qui fieri debet, sicut pleraque commissionis et omissionis peccata, quorum unum praecepto affirmativo, alterum negativo repugnat. [1])

7. Sacerdos beneficiatus omittens Officium divinum, unum committit peccatum, quia ex eodem motivo religionis Ecclesia praecipit recitationem Horarum ei, qui est sacerdos et beneficiatus. [2])

4. — Theologi in solutione quaestionis, undenam colligatur malitia peccatorum specie morali distincta, in diversas vias abeunt. Nam alii cum d. Thoma (1. 2. q. 72. a. 1. 3. 4. et al.) ex objectis, finibus et circumstantiis moraliter diversis, alii cum Scoto ex virtutibus diversis, quibus peccata opponuntur, alii demum cum Vasquez ex diversitate legum seu praeceptorum, quae per peccata violantur, species peccatorum sumendas esse docent. Hae tamen sententiae quoad rem plane in idem coincidunt, facileque conjungi atque junctae ita forsitan exprimi possunt: Specifica peccatorum distinctio desumitur *ab objectis, motivis et circumstantiis moraliter diversis*, i. e. quae praeceptis formaliter diversis seu, quod idem est, quae diversis virtutibus aut diversis ejusdem virtutis actibus repugnant. Propius vero *ex praeceptis et virtutibus* distinctio haec fluere videtur, cum peccata formaliter opponantur praeceptis et virtutibus, et objecta non habeant aliquam malitiam, nisi ex relatione ad leges et virtutes, quibus nempe repugnant. Porro adhuc propinquius et principalius eadem distinctio repetenda esse videtur *ex praeceptis*, quam ex virtutibus, quia peccatum ex conceptu suo *essentiali* est transgressio legis, et quia privatio virtutis peccatum non esset, si virtus haberi non *deberet* (§. 123. n. 1.), ergo si non esset a lege praescripta. Attamen mox ex consideratione praeceptorum, mox ex consideratione virtutum facilius determinantur species peccatorum: quocirca expedit, duo ponere principia.

§. 128.

De numerica peccatorum distinctione.

1. — Omnia peccata, quae specie differunt, a fortiori numero differunt, siquidem unum est diversum ab alio; non omnia autem peccata, quae numero differunt, etiam specie differunt, quia peccata intra eandem quoque speciem numero multiplicantur.

[1]) Alii cum d. Thom. 1. 2. q. 72. a. 6. negant, specie differre omissionem et commissionem, si *eidem praecepto* adversentur et *ex eodem* motivo. Attamen adhuc in hac sententia sunt seorsim confitenda, quia semper se habent ut partes integrales, ex quibus constituitur adaequate una species moralis. Scavini.

[2]) S. Alphonsus: L. 2. n. 33.

Constat ex Concilio Tridentino Sess. 14. can. 7., in confessione non modo species peccatorum mortalium esse explicandas, sed etiam numerum eorum exprimendum. [1]) Hinc videndum, ex quibus radicibus desumatur numerica distinctio peccatorum, equidem ejusdem speciei; nam de multiplicitate peccatorum quantum ad eorum species in antecedentibus sermo habitus est.

Jam vero tribus principiis rem hanc difficilem absolvere nitimur, sic quidem sonantibus: 1. Tot sunt peccata, quot sunt circa diversa objecta actus voluntatis completi. 2. Tot sunt peccata, quot sunt circa idem objectum actus voluntatis moraliter interrupti et completi. 3. Tot sunt peccata, quot sunt quoad eundem actum objecta totalia seu completa. Singula nunc accurate declaranda sunt atque explananda

PRINCIPIA.

2. — **Principium I.** *Tot sunt peccata, quot sunt circa diversa objecta actus voluntatis completi.* Ratio hujus assertionis evidens est, siquidem singuli actus, utpote in se completi, distinctam malitiam habent, quapropter, quot numero actus sunt, tot numero peccata habentur. Sic e. g. plura peccata committit, qui diversis actibus a diversis furatur; qui pluribus actibus plures occidit, vel pluribus conviciatur; qui cum pluribus foeminis fornicatur; qui detrahit Paulo, postquam detraxit Petro etc. etc.

3. — **Principium II.** *Tot sunt peccata, quot sunt circa idem objectum actus moraliter interrupti.* Etenim ubi actus voluntatis moraliter interrumpuntur, fiunt numero completi, adeoque iteratione multiplicantur.

In specie 1) Actus *mere interni* (ut sunt ira, odium, delectationes turpes, haeresis) toties multiplicantur, quoties consensus voluntatis innovatur. Sic e. g. qui voluntarie sibi complacet in delectatione mala, postea tamen mentem ad studia applicat, et dein ad illam voluntarie redit, duo peccata committit. — Hinc poenitens in confessione explicare debet, quot vicibus consenserit tentationibus; si vero non possit, dicat *circiter*, vel saltem an valde frequenter certo tempore consensum dederit.

[1]) Sic enim docet: „*Si quis dixerit, in Sacramento poenitentiae necessarium non esse, jure divino, confiteri omnia et singula peccata mortalia, anathema sit.*"

2) Actus *interni juncti cum intentione eos externe exequendi* (ut e. g. propositum furandi, fornicandi) toties multiplicantur, quoties propositum pravum formaliter innovatur. Qui e. g. modo vult proximi domum incendere, et mox sui propositi poenitens retractat, ac subinde illud resumit, bis peccat. — Potest tamen, ut docet s. Alphonsus,[1]) propositum ex impetu passionis procedens tanquam unicus actus protrahi (ordinarie loquendo) per *duos* vel *tres* dies ad summum. Hinc in praxi, si ultra biduum vel triduum perduraverit propositum, de temporis duratione confessarius inquirere debebit, ut numerum actuum hujusmodi, quantum fieri potest, cognoscere valeat.

Si vero actus voluntatis saepius interruptus et repetitus in aliquo *opere externo* per eum intento et causato tandem *consummatur:* tunc unum tantum est peccatum, quia omnes illi actus interni in externa actione complentur et uniuntur.[2]) Hinc e. g. qui vult occidere hominem, eumque post multos dies revera occidit, unum committit peccatum, quamvis interim voluntatem occidendi pluries renovaverit.[3])

3) Actus *externi* seu *externe consummati* toties multiplicantur, quoties iterantur, dummodo sint completi seu in se terminati. Hinc e. g. qui pluries percutit inimicum, pluries aliquem in eadem materia conviciatur, pluries peccat.

E converso *non multiplicantur* actus externi, a) si ordinentur ad unum actum principalem complendum, quia tunc in hoc actu principaliter intento uniuntur; et b) si ab uno eodemque impetu passionis procedunt, quia in eo fiunt quid unum.[4]) Hinc e. g. qui furtum patrare statuit, et per plures dies de eo cogitat, propositum pravum pluries repetit, tempus opportunum quaerit, instrumenta sumit, viam carpit, rem surripit et aufert, unicum peccatum committit. Et similiter, si quis eodem iracundiae tempore pluries blasphemat, vel aliquem pluries percutit, unum peccatum committit.[5])

---

[1]) Th. m. L. II. n. 39.

[2]) S. Thomas: In II. Libr. Dist. 42. q. 1. a. 1.

[3]) S. Alph.: L. II. n. 35. 2. n. 40.

[4]) Idem n. 41.

[5]) Alia exempla quoad principia exposita: 1. Qui centum florenos centenis vicibus moraliter interruptis surripit, quin totam summam auferre ab initio statuerit, centum peccata committit, quia singuli actus distincti induunt distinctam in se et consummatam malitiam. Sed unicum patrat peccatum, qui habens animum centum furandi centenis vicibus, ne detegatur, furatur, quia singuli actus tendunt ad complendum furtum intentum. H. A. Tr. III. n. 63.

2. Unum exstat peccatum, si quis proponit, non restituere rem alienam, et in eadem voluntate (licet per annum et amplius) perseverat, quia unicus est voluntatis actus. Si vero malam intentionem retractaverit, et tamen data opportunitate non restituat, novum peccatum committit, quia in eo casu actum voluntatis innovasse censetur. S. Alph.: Lib. II. n. 40.

3. Unicum patrat peccatum, qui inimicum occidere volens, arma emit et aptat, inimicum quaerit, millies voluntatem perversam renovat, deinceps eum percutit, vulneribus multis afficit atque postremo occidit. Si autem primum intendisset, eum vulnerare, et postea mutata voluntate occidisset, duo forent peccata singillatim in confessione manifestanda.

4. Sacerdos, qui in statu peccati mortalis successive plures absolvit, tot sacrilegia committit, quot absolutiones impertit, quia singulae absolutiones sunt singula Sacramenta. Ita s. Alphonsus. (Lib. V. n. 50.). Sacerdos in mortali pluribus simul Eucharistiam ministrans, juxta s. Alphonsum probabilius nonnisi unum peccatum committit, cum una sit administratio et unum convivium.

4. — **Principium III.** *Tot sunt peccata, quot sunt quoad eundem actum objecta totalia seu distincta.* Ita s. Alphonsus[1]) et alii Theologi *communius.*[2]) Ratio est, quia malitia peccati sumitur ex relatione ad objectum, ut est difforme legi seu ordini recto; ergo ubi sunt plura objecta totalia, actus ad eadem tendens etiam plures contrahit malitias. Hinc e. g. diversa numero peccata committit, qui uno ictu plures homines occidit, uno actu malum pluribus desiderat, pluribus unica vice scandalum praebet, unico sermone pluribus detrahit. Item pluries peccat, qui unico proposito jejunium per plures dies omittere vult. Plura pariter peccata sacerdos committit, qui per plures dies negligere statuit Horas canonicas. Plura patrat peccata, qui unica actione a pluribus furatur, nisi bona ejusdem communitatis v. c. civitatis, monasterii, capituli surripiat, tunc enim non competit jus individuis in particulari, sed toti communitati, unde unum jus laeditur.

5. — Ex omnibus de numerica peccatorum distinctione modo dictis, facile est videre, tum multa peccata multis actibus, tum unum peccatum multis actibus, tum multa peccata unico actu patrari posse.

* S. Alphonsus: Theol. mor. lib. 2. n. 35—50. — Voit: Theol. mor. n. 289—293. Kenrick: Theologia moralis Vol. I. Tract. VII. cap. 2. n. 12—20. Lehmkuhl: Theol. mor. Vol. I. n. 241. et seq.

---

[1]) L. c. n. 45.

[2]) Peccata multiplicari ex diversitate objectorum totalium, negant Suarez: in 3. q. Dist. XXII. Sect. V. n. 34. Lugo: De Poenitent. Dist. XVI. n. 135. Laymann: Theol. mor. Lib. I. tr. 3. c. 3. n. 2. Viva: De Poenit. q. 5. a. 6. n. 9., et alii, quorum rationes una cum refutatione videri possunt apud s. Alphons.: Th. m. Lib. II. n. 45.

§. 129.

De peccatis internis.

1. — Peccata interna sunt triplicis classis, scilicet: delectatio morosa, gaudium et desiderium.

1. *Delectatio* est complacentia libera de opere malo per imaginationem exhibito ut praesente. Dicitur *morosa,* non a temporis mora, siquidem uno temporis momento perfici potest, sed eo, quod voluntas advertenter in ea sistit seu moratur.

2. *Gaudium* est complacentia libera de opere malo ut praeterito, seu de opere malo patrato. Huc revocatur displicentia de malo opere data occasione non exercito, sicuti etiam tristitia de bono patrato, atque jactantia de peccato commisso.

3. *Desiderium* est libera complacentia de malo opere ut futuro, scilicet de opere malo patrando. Dicitur *efficax,* quando quis media suscipit ad opus perficiendum, secus *inefficax* nuncupatur.

A. De delectatione morosa et gaudio.

PRINCIPIA.

2. — **Principium I.** *Delectatio morosa est peccatum, ejusdem quidem speciei et gravitatis, ac opus malum, ad quod refertur.* Communissima doctrina.[1]) Dico 1. *est peccatum.* Etenim actus humanus desumit bonitatem vel malitiam per se et primo a suo objecto; atqui delectatio morosa est verus actus humanus, cujus objectum est malum, nempe actio externa mala, de qua cogitata quis delectatur. Ergo. Confirmatur ex s. scriptura: „*Abominationes Domini cogitationes malae.*" Prov. 15, 26. — Dico 2. est peccatum *ejusdem speciei ac gravitatis ac opus malum cogitatum.* Quippe delectatio morosa, ut dictum est, accipit malitiam ex opere malo cogitato, tamquam suo objecto; quocirca in eadem specie et in eodem gradu mala erit, ac opus externum cogitatum.[2]) Hinc si opus malum, de quo aliquis

[1]) S Thom.: 1. 2. q. 74. a. 8. Sanchez: Lib. I. Moral. c. 2. Lessius, Holzmann etc., s. Alph.: Lib. II. n. 15. et 16.

[2]) Nonnulli docent, delectationem morosam speciem sumere ab objecto, ut in mente repraesentato: atque ideo eum, qui e. g. delectatur de copula cum conjugata, sed non qua conjugata, sed qua pulchra, non committere adulterium, sed simplicem fornicationem, quum tunc circumstantia adulterii non intret in delectationem. Sed distinctio haec subtilis, licet fundamento non careat, vix tamen practica esse videtur. Vid. s. Alph.: Th. m. L. II. n. 15.

delectatur, quoad suam speciem est furtum, homicidium, sacrilegium, fornicatio: delectatio erit peccatum furti, homicidii, sacrilegii, fornicationis. Si opus malum quoad gradum gravitatis est peccatum mortale, delectatio pariter erit peccatum mortale. — Et plane idem valet de *gaudio.* Hinc qui laetatur de furto vel homicidio a se aliquando patrato, rursum furtum vel homicidium corde committit et mortaliter peccat. — Denique observandum, peccatum esse delectationem et gaudium de opere malo, licet fuerit sine omni culpa effectum, ut e. g. de blasphemia sine omni advertentia prolata, de inculpabili Missae omissione die festo, de carnis comestione die jejunii ex oblivione naturali peracta. Ratio evidens est, si quidem ejusmodi actiones vel omissiones sunt objective malae.[1])

Ex dictis sequitur, quod qui gaudet vel delectatur de opere graviter malo, in confessione aperire debet circumstantiam specialem objecti, ut e. g. in materia luxuriae an de muliere conjugata, consanguinea etc. delectatio vel gaudium fuerit. Idem notandum, si quis se jactaverit de peccato patrato; quia ut plurimum jactantiae adjunctum est gaudium de peccato commisso.[2])

3. — **Principium II.** *Illicitum est, delectari vel gaudere de re mala ob effectum bonum exinde secutum; licitum tamen est, per se loquendo, gaudere vel delectari de solo effectu bono ex re mala secuto.*

Ratio primi est, quia in eo casu delectatio et gaudium feruntur in objectum malum; ergo mala sunt. Confirmatur ex propos. 13. et 15. ab Innocentio XI. damnatis.[3])

Ratio secundi est, quia tunc delectatio et gaudium non feruntur in objectum malum, ergo non sunt mala. Confirmatur: Apostolus Paulus scripsit Corinthiis: „*Nunc gaudeo, non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad poenitentiam,*" 2. Cor. 7, 9. quasi dixerit: non gaudeo de tristitia vestra ut tali, sed de effectu seu fructu tristitiae, qui est poenitentia, et correctio vestra. Ecclesia gaudet de redemptione secuta ex Adami peccato, sic exclamans: *O felix culpa, quae talem ac tantum meruit habere Redemptorem!*[4]) Et in festo

[1]) S. Alph.: Lib. II. n. 24. et 27.

[2]) Idem n. 26.

[3]) Propos. 13. ita sonat: *Si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali de vita alicujus tristari, et de illius morte naturali gaudere, illam in efficaci affectu petere et desiderare; non quidem ex displicentia personae, sed ob aliquod temporale emolumentum.* Propos. 15. *Licitum est filio, gaudere de parricidio parentis a se in ebrietate perpetrato, propter ingentes divitias inde ex haereditate consecuturas.*

[4]) Sabbato Sancto in Benedict. Cerei.

s. Marcelli Papae et Mart. (die 16. Jan.) ita precatur: „*Preces populi tui, quaesumus Domine, clementer exaudi, ut beati Marcelli Martyris tui atque Pontificis meritis adjuvemur, cujus passione laetamur.*“ Ergo licitum est, de effectu bono ex re mala secuto gaudere. — Sed dixi: *per se loquendo;* etenim in praxi facile peccari potest propter periculum consentiendi in ipsam causam malam.

Hinc a) non licet gaudere de homicidio propter acquisitionem haereditatis ex eo secutam; per se tamen peccatum non est, gaudere de ipsa haereditate, improbata causa peccaminosa praedicta. [1])

b) Pari distinctione servata gaudere licet de morte persecutoris propter prosperitatem s. Ecclesiae, de supplicio malefactoris ob aliorum exemplum, de damno temporali ob bonum temporale commune. [2])

4. — **Principium III.** *Per se culpa vacat, delectari vel gaudere de modo non malo operationis malae.* Ratio est, quia dum modus in se malus non est, delectatio non est de objecto malo, ergo non mala. [3]) Dictum est: *per se culpa vacat,* nam talis complacentia tunc foret peccaminosa, quando periculum proximum consentiendi in objectum malum interveniret. Hinc per se peccatum non est, gaudere de modo artificioso, quo quis furtum perficit, de modo inopinato, quo latro insidias evasit, de modo ridiculo, quo mulieres rixantes se impetunt etc. Etiam hoc sensu *laudavit Dominus villicum iniquitatis, quia prudenter fecisset.* Luc. 16, 8.

B. De desiderio.

PRINCIPIA.

5. — **Principium I.** *Desiderium absolutum rei vel actionis malae, licet inefficax, semper est peccatum, ejusdem quidem speciei et malitiae, cujus est actus externus, in quem fertur.* Dico 1: *Est peccatum.* Constat ex praecepto: *Non concupisces.* Porro ex ratione, quia actus humanus desumit moralitatem ab objecto, quod hic est malum, nempe actio mala, quae quippe desideratur seu proponitur. Dico 2: *Est ejusdem speciei ac malitiae, cujus est opus externum.* Constat ex verbis Christi: „*qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam moeckatus est eam in corde suo.*“ Matth. 5, 28. i. e. adulterii reus

[1]) S. Alph. n. 20.

[2]) Idem n. 21. Vid. etiam d. Thomas in Lib. III. Sent. Dist. 30. q. 1. a. 1. ad 4.

[3]) Vide s. Alph. n. 18. Suarez: De pecc. Disp. V. Sect. 7. n. 7. Sanchez: In Decal. L. 1. cap. 2. n. 4.

est, qui adulterium desiderat committere. Porro idipsum naturalis ratio dictat, siquidem actus internus tendit in actum externum tamquam suum objectum, adeoque omnem speciem et malitiam actus externi induit. Hinc e. g. desiderium, in Ecclesia furandi, erit sacrilegium; desiderium hominem occidendi, peccatum homicidii. Proinde in Confessione desideria graviter peccaminosa sunt distincte exprimenda. [1])

6. — **Principium II.** *Desiderare malum sub conditione: si liceret, malitiam auferente, per se peccatum non est, sub eadem conditione malitiam non tollente, peccatum est.* Ratio 1mi est, quia cum conditio apposita malitiam removet ab objecto, desiderium non tendit in objectum malum, ergo non est malum, non est peccatum; — saltem per se loquendo, etenim hujusmodi desideria sunt satis periculosa, aut saltem otiosa, quo respectu raro poterunt a peccato veniali excusari. — Ratio 2di est, quia cum conditio apposita objectum non exuat malitia sua, desiderium reapse tendit in objectum malum, ergo malum seu peccatum est, — sed probabiliter tantum veniale, quia, cum quis cupit malum sub conditione, si non esset malum nunquam concupiscit malum revera, sed ostendit tantum inclinationem ad illud; quod ad mortale non pertingit. Aliud autem esset, firmiter optare, ne esset prohibitum, quod est absolute malum; id enim perinde foret, ac desiderare, ut lex et ordo naturae immutaretur, quod a peccato mortali nullatenus excusari posset. [2])

Ideo 1. in omnibus *extrinsece malis* per se illicitum non est desiderium cum conditione: *si liceret* enunciatum, e. g. ederem hodie carnem, laborarem serviliter, si non esset ab Ecclesia prohibitum; quia conditio ab omni malitia denudat objectum.

2. Idem valet de omnibus *intrinsece malis conditionate,* quae nimirum in aliquo casu vel statu possunt licita esse, v. g. occiderem Petrum, si ad justam meam defensionem esset necessarium, vel si Deus mandaret; suspenderem istum homicidam, si essem judex; auferrem hanc rem, si Deus permitteret. Ceterum, ut supra dictum est, hujusmodi desideria aeque ac prius adducta caute vitanda et meliora formanda, cum satis periculosa aut certe otiosa sint.

3. In omnibus *intrinsece et absolute malis* desiderium cum conditione praedicta est prorsus illicitum, ut e. g. vellem furari,

[1]) S. Alph. n. 28.

[2]) Vid. s. Alph. n. 13. H. A. Tr. II. n. 50.

moechari, mentiri, ulcisci, blasphemare, pejerare, si non esset peccatum, quia ab his nequit malitia unquam sejungi.[1])

* S. Thomas: Summa Theol. 1. 2. q. 74. a. 6. 7. et 8. (de delectatione morosa). S. Alphonsus: Theol. moral. L. II. n. 12.—28. — Laymann: Theol. mor. Lib. I. Tr. III. cap. 6. Sporer: Theol. mor. P. I. cap. 6. Reuter: Theol. mor. Par. I. n. 383—386. Stapf: Theol. mor. Tom. I. §. 111. et 112. Scavini: Theolog. moral. universa Tom. I. Tr. IV. Disp. I. cap. II. n. 738—749. Ed. 12. Kenrick: Theolog. moral. Vol. I. Tr. VII. cap. 5. n. 110—20. (Ed. 2. Mechlinae 1860.) Lemkuhl: Theol. mor. Vol. I. n. 244. et seq. Marc C. S. R. Institutiones morales, Tom. I. n. 345—358. Romae 1885.

I. De causis peccatorum.

Causa peccati duplex est: 1. efficiens, et 2. excitans, quae partim interna est, et tentatio dicitur, partim externa, nempe occasio peccati.

Loquemur tantum de causa efficiente peccati, et de tentatione, cum de occasione peccati opportunius in Tractatu de Sacramento Poenitentiae agatur.

§. 130.

I. De causa efficiente peccati.

1. — Praenotandum venit impiissimum commentum quorundam haereticorum, qui Deum esse causam peccati finxerunt. Videlicet 1. *Simon Magus* Deum ea ratione peccatorum nostrorum causam esse dixit, quod eam naturam nobis dederit, quae non possit non peccare. 2. *Cerdon, Marcion, Manichaei, Priscillianistae et Albigenses,* duo prima principia ac veluti Deos, unum bonum, alterum malum introducentes, primariam peccati causam Deum malum esse voluerunt.[2]) 3. Pejus istis *Lutherus, Calvinus* et *Zwinglius* errarunt, qui Deum verum et bonum „auctorem, impulsorem et motorem esse peccati" asseruerunt.[3]) Imo *Beza* docere non timuit, aliquos homines ideo a Deo esse creatos, ut tamquam instrumenta Deo servirent ad facienda peccata.[4])

[1]) De his, quae audiunt intrinsece et extrinsece mala, recolantur dicta §. 23.

[2]) De his omnibus Bellarmin.: De amiss. gratiae et statu peccati Lib. II. cap. 1.

[3]) Vide Bellarm. l. c. cap. 3. Möhler: Symbolik S. 43. u. f. 6. Aufl. 1843. Ad tantam blasphemiam aliquo nomine praetexendam Zwinglius asseruit: *a)* Deum non esse sub lege, cum lex non sit posita justo, et *b)* Deum in operando „alienum esse ab omni affectu noxio, igitur et absque peccato." (Ergo: finis sanctificat media!) Möhler: op. c. S. 47. 48.

[4]) Bellarmin.: l. c. cap. 3. Möhler: l. c. S. 46.

Pantheistae de veri nominis peccato cogitare nequeunt, cum Dei veri existentiam inficientur. Dum autem de peccatis sermocinantur, non possunt non numen supremum, quod Deum esse fingunt, auctorum peccati dicere, ut rem consideranti facile patet. Hegel (Philosophie der Relig. II. S. 260 u. f.) Vatke (Die menschliche Freiheit S. 69. 75. 79. n. f.), Sigwart (Problem des Bösen S. 151), Rothe: (Theolog. Ethik II. S. 204.) asseruerunt, peccatum esse necessarium, ut homo per peccatum virtutem cognoscat illudque vincendo hanc sibi acquirat. Affirmatio negatio negationis, est axioma Hegelianorum. Verum absurditas hujus commenti evidens est. Contrarium plane constat. Malum enim non est nisi privatio et corruptio boni, adeoque bonum praesupponit, et sine bono nec exsistere neque cognosci potest. *Malum non est per se cognoscibile — neque definiri, neque cognosci potest, nisi per bonum.* S. Thom. 1. q. 14. a. 10. c. et ad 4. Cf. §. 22.

2. — Supervacaneum foret, obsoletum eorum deliramentum, qui ex principio malo ortum peccati derivarunt, multis refellere. Nulla datur essentia mala, ut probatum est §. 22., eoque minus ens supremum malum, tanquam omnium malorum, adeoque et peccatorum fons atque principium.

Porro malum non est nisi in bono, nec ortum trahit nisi a bono, ut pariter explicatum est §. 22. n. 3. Et peccatum quidem proxime inhaeret actui humano, qui est bonum physicum, remote reperitur in voluntate, quae in se est bonum, quia opus Dei est.[1]) Sed veritas haec modo adversus illos haereticos, qui Deum bonum et verum peccati auctorem faciunt, firmiter probari debet. Hinc sit

PROPOSITIO.

Abusus voluntatis creatae, nequaquam autem Deus, est causa efficiens peccati.

3. — Quae doctrina de fide est, a Concilio Tridentino Sess. VI. can. 6. his verbis definita: „*Si quis dixerit, non esse in potestate hominis, vias suas malas facere, sed mala opera ita ut bona Deum operari non permissive solum, sed etiam proprie et per se, adeo, ut sit proprium ejus opus non minus proditio Judae, quam vocatio Pauli, anathema sit.*" Haec dogmatica veritas tum ex innumeris prope s. scripturae locis, tum ex perpetua Ecclesiae Traditione evincitur.[2]) Porro ex ipsa ratione evidenter cognoscitur. Peccare enim non minus Deo repugnat, quam non esse Deum. Nam peccare est deficere: Deus autem, si posset deficere, non esset summum et infinitum esse, proinde nec esset Deus. Peccare est averti ab ultimo fine et summo bono, quod non est, nisi Deus: igitur sicut repugnat, Deum a se averti, ita repugnat, Deum peccare.[3]) E contra

[1]) S. Anselm.: De casu diaboli cap. 19., s. Bonaventura: Breviloq. P. III. cap. 1.

[2]) Multa s. scripturae et ss. Patrum effata collegit Bellarmin. op. c. cap. 8. et 9.

[3]) Haec et alia penes Bellarmin.: De amissione gratiae Lib. II. cap. 10.

vero unusquisque non potest non sibi persuadere, quod omnino libere ut ad Deum accedere, ita ab eo recedere et deficere valet; quocirca s. Augustinus ait: „*Peccatum sine voluntate esse non posse, omnis mens apud se divinitus conscriptum legit.*“ [1])

4. — Ergo voluntas seu potius *voluntatis abusus* est causa efficiens, vel ut praeclare s. Augustinus dicere consuevit, [2]) causa *deficiens* peccati; deficit enim homo, dum peccat, a Deo ad nihil. Cur autem homo ad nihil deficere potest? Respondet idem magnus Ecclesiae Doctor: quia de nihilo factus est. [3])

5. — Objiciunt: 1. *In s. scriptura, ut Isai. 6, 10. Rom. 1, 28.; 9, 18. et al. legitur, Deum obcoecare et indurare peccatores; quod perinde est, ac Deum inducere homines ad peccandum.* 2. *Quidquid est causa causae, est causa effectus. Sed Deus est causa liberi arbitrii, quod est causa peccati. Ergo Deus est causa peccati.*

Resp. *ad 1.* Perbene s. Augustinus observat, Deum excoecare et obdurare homines „non malitiam impertiendo, sed non impertiendo gratiam,“ [4]) scilicet specialem et efficacem; qua subtracta intellectus excoecatur, et voluntas obduratur; duplicem namque effectum gratia habet, videlicet intellectum illustrat et voluntatem movet. Porro Deus justissime gratiam subtrahit, nempe in punitionem praecedentium peccatorum. Atque ideo Deus peccatum tantum permittit, nulla autem ratione peccatum vult vel operatur. Ita s. Thomas [5]) et catholici omnes docent. [6])

Resp. *ad 2.* Non ipsum liberum arbitrium est causa peccati, quatenus est facultas eligendi, volendi nempe aut non volendi, sed quatenus abusus fit hujus facultatis contra Dei ordinationem. Vel ut s. Thomas loquitur: „*Effectus causae mediae procedens ab ea, secundum quod subditur causae primae, reducitur etiam in causam primam; sed si procedat a causa media, secundum quod exit ordinem causae primae, non reducitur in causam primam; sicut si minister faciat aliquid contra mandatum domini, hoc non reducitur in dominum, sicut in causam; et similiter peccatum, quod liberum arbitrium committit contra praeceptum Dei, non reducitur in Deum, sicut in causam.*“ [7])

* S. Basilius: Homil. IX. quod Deus non est auctor malorum. S. Thomas: Summa Theolog. 1. 2. q. 74. a. 1. et sq.; q. 75. a. 1. et 2.; q. 79. tota. — Bellarmin.: De amissione gratiae et statu peccati Lib. II. integ. per 18 capita. Suarez: De pecc. Disput. XI. Sect. unica. Lud. Abelly: Medulla Theologica Pars II. Tract. II. cap. 2. Sect. 6. (pag. 317 et sq. Ed. nov. Ratisb. 1859.) Collet: Tract. de universa Theol. mor. De peccatis P. I. cap. II. Sect. 3. Martin: Lehrbuch der kathol. Moral §. 103—104. (S. 247—250. 4. Aufl. 1859.) Palásthy: Theol. morum catholica Par. II. §. 3. pag. 31—35. Ratisbonae 1861.

---

[1]) Lib. de duabus animabus contra Man. cap. 11. n. 15.

[2]) De civitate Dei Lib. XII. cap. 7. et al.

[3]) Opus imperf. contra Julian. n. 38. 39. et al.

[4]) Epist. 194. (al. 105.) n. 14.

[5]) 1. 2. q. 79. a. 3. et 4.

[6]) Vid. Bellarm. op. c. cap. 14. Suarez: De vitiis et peccatis Disp. VI. Sect. unic. a. 13. — 18. Lessius: De perfect. moribusque divinis Lib. XIII. cap. 14.

[7]) 1. 2. q. 79. a. 1. ad 3.

§. 131.

II. De tentatione.

1. — *Tentatio est incitamentum ad peccandum.* Provenit a triplici causa, videlicet a nostra natura corrupta, a mundo et diabolo. [1])

Praecipua tentationum causa est *natura nostra corrupta,* seu *concupiscentia,* quae quippe ex peccato est et ad peccatum inclinat, ut Concilium Tridentinum docet, adeoque *fomes peccati* ab eodem Concilio convenienter appellatur. „*Unusquisque* ait s. Jacobus, *tentatur a concupiscentia abstractus et illectus.*“

Praeterquam quod in nobis ipsis infensissimum salutis adversarium circumferamus, dantur etiam hostes externi, nempe mundus et diabolus, qui nos identidem impugnant. [2])

Sub *mundo* tum res terrenas, tum praesertim homines terrena sapientes comprehendimus. Sane res sensibiles concupiscentiam excitant ad ipsas inordinate appetendas, sunt *in tentationem animabus hominum et in muscipulam pedibus insipientium.* Sap. 14, 11.

Homines autem, qui de mundo sunt, nihil non moliuntur, ut sive pravis exemplis, sive sermonibus nefariis, sive scriptis pestiferis pios probosque ad partes suas protrahant, quapropter Apostolus monet: „*nolite conformari huic saeculo, sed reformamini in novitate sensus vestri.*“ Rom. 12, 2. Vide 2. Petr. 1, 4.

Etiam *diabolus* virtuti hominis insidiatur, ut ex utriusque Testamenti paginis aeque ac ex constanti Ecclesiae Traditione constat. Satis erit, s. Petri verba notasse: „*Sobrii estote et vigilate, quia adversarius vester diabolus tamquam leo rugiens circuit, quaerens, quem devoret.*“ 1. Petr. 5, 8. Hinc Ecclesiae preces: „*Da, quaesumus*

---

[1]) Hinc s. Augustinus: „Hic propositus nobis agon, haec lucta cum *carne,* haec lucta cum *diabolo,* haec lucta cum *saeculo.*“ Serm. 344. (alias 31.) n. 1. Conc. Trid. Sess. VI. cap. 13. loquitur „de pugna, quae superest cum carne, cum mundo, cum diabolo.“

[2]) Diversum modum, quo res mundanae, homo et diabolus nos incitant ad peccandum egregie d. Thomas sic exprimit: „*Ex parte objecti* potest intelligi, quod aliquid moveat voluntatem *tripliciter: uno modo* ipsum objectum propositum; sicut dicimus, quod cibus excitat desiderium hominis ad comedendum; *alio modo* ille, qui persuadet objectum propositum habere rationem boni: — — *primo* igitur modo res sensibiles exterius apparentes movent voluntatem hominis ad peccandum; *secundo* autem, et *tertio* modo vel diabolus, vel etiam homo potest incitare ad peccandum, vel offerendo aliquid appetibile sensui, vel persuadendo rationi.“ 1. 2. q. 80. a. 1. c.

Domine, populo tuo diabolica vitare contagia: et te solum Deum pura mente sectari." Domin. XVII. post Pent.

Adversarius iste potissimum interiori, quandoque autem exteriori etiam operatione homines seducere conatur. *Interior* operatio diaboli, Angelicus inquit, tota esse videtur circa phantasiam et appetitum sensitivum, quorum utrumque commovendo potest inducere ad peccatum.[1]) *Exterior* ejusdem operatio consistit in apparitione visibili,[2]) in falsa specie miraculorum[3]) etc., ad homines in errorem et peccatum illiciendos.[4])

PRINCIPIA.

2. — **Principium I.** *Consentire tentationi, non autem sentire tentationem, peccatum est.* Haec assertio est de fide, ut patet ex Concilio Trident. Sess. 5. can. 5., nec non ex damnatione propositionis Bajanae 50, 51, 75 et 76. Ratio est, quia peccatum nonnisi consensu voluntatis perficitur; unde s. Augustinus: „*Illa concupiscentiae inobedientia, quanto magis absque culpa est in corpore non consentientis, si absque culpa est in corpore dormientis.*"[5]) Saepe angustiis piae animae premuntur ex eo, quod sensum delectationis carnalis, quem involuntarie patiuntur, ipsum peccatum esse arbitrantur. In quam rem eximie dicit s. Bernardus: „*Ecce inflammat inimicus desiderium cibi, vanitatis aut impatientiae cogitationes ingerit, aut excitat libidinis motum, solummodo ne consenseris, et quoties restiteris, toties coronaberis.*"

[1]) 1. 2. q. 80. a. 2. c.

[2]) Gen. 3. Matth. 4, 1. et sq. 2. Cor. 11, 14. — Exempla non pauca reperiuntur in biographiis Sanctorum, ut s. Antonii Eremitae, s. Ubaldi, s. Catharinae Senensis, s. Stanislai Kostka, B. Margaritae Mariae Alacoque etc.

[3]) Cf. 2. Mos. 7. et sq. Matth. 24, 24. 2 Thess. 2, 9. Apoc. 13, 12. S. Augustinus Lib. 83. quaest. q. 2.

[4]) De visionibus et apparitionibus diabolicis sapientissime agit Benedictus XIV. in op. De Servorum Dei Beatif. et Beator. Canoniz. Lib. III. cap. 51. n. 3. et sq., ubi inter alia animadvertit, daemones aliquando se transfigurare in Angelos lucis, et Christi Domini, B. V. Mariae et Sanctorum speciem, Deo permittente, assumere. Et postea haec memoratu digna verba subjungit: *Idque tanta calliditate et versutia facere, ut viros etiam probatae virtutis non semel in errorem induxerint: quodque notatu dignum est, aliquando in suis visionibus et apparitionibus bonum persuaserunt, ut majus bonum impedirent, et ad aliquem actum virtutis hortati sunt, ut facilius incautos deciperent, et successu temporis ad horribiles lapsus sensim inducerent; a quibus ut caveatur, tum orationis praesidium, tum virorum prudentum et in discretione spirituum versatorum consilium est necessarium.*

[5]) De civitate Dei, Lib. I. cap. 25. Vide etiam: Contra Faustum Lib. XXII. cap. 28. et 29.

3. — **Principium II.** *Tentationem temere provocare non licet:* *a)* propter periculum consensus, nefas enim est, se temere ingerere periculo peccandi; *b)* etiam secluso periculo consensus, quia, ut s. Augustinus monet: „— *ad hoc se debet omnis imitator* (Christi, qui nullam habuit carnis concupiscentiam spiritui resistentem) *extendere, ut concupiscentias carnis, quas vetat Apostolus perfici, nitatur atque optet penitus non habere.*[1]) Et s. Thomas dicit, quod infectionem concupiscentiae, quae est in corpore nostro, diligere non debemus, sed potius *ad ejus remotionem anhelare* desiderio charitatis.[2])

Hinc prona quaestio est, *an liceat actionem ponere, ex qua quis praevidet malas cogitationes, aut pravos concupiscentiae motus se esse passurum?* Sic dicendum: 1. Si actio illa est *necessaria, utilis et honesta,* tunc non peccat, qui eam ponit, *secluso periculo consensus,* quia utitur jure suo, et tentationes inde exsurgentes, utpote non intentae, non censentur voluntariae. Hinc non peccant Confessarii, chirurgi et similis conditionis homines, qui in sui muneris exercitio pravas patiuntur cogitationes vel motus, modo ab eorum consensu caveant. 2. Si actio illa *non est necessaria* aut *utilis,* sed ex quadam levitate fit, tunc est *mortale* peccatum, illam ponere, si proximam continet dispositionem ad turpes motus, vel pravas cogitationes, indeque *proximum iis consentiendi periculum;* nam qui vult causam, vult etiam effectum. Qui autem actionem illam ponendo nec tales pravos motus intendit, nec adest in eo consensus periculum, secundum plurium sententiam, cui s. Alphonsus accedit, venialiter tantum peccat.[3])

4. — Ex dictis colligitur: 1. Qui infestatur aliqua cogitatione graviter mala, sed eam statim ac cognovit malitiam ejus, detestatur, certe non peccat. Si autem in confuso illam adverterit et paulisper consenserit illi, tunc immunis quidem a gravi peccato, non tamen a veniali dici potest.

2. Si homo probatae pietatis anxius sit, an consenserit delectationi turpi, moraliter certus esse debet, se non consensisse, quia fieri nequit, ut voluntas tam firma in bono proposito mutetur,

[1]) Opus imperfectum contra Julianum Lib. IV. cap. 57. Vide etiam Serm. 30. n. 4. et sq. De continentia cap. 13.

[2]) 2. 2. q. 25. n. 5. et ad 1.

[3]) Scavini: Theolog. moral. univ. Tom. I. n. 739.

quin dilucide advertatur. Sed oppositum est censendum de eo, qui assuetus est facile in peccata mortalia prolabi, hic quippe in dubio praesumitur consensisse: si enim obstitisset, utique recordaretur conatus illius, quem sibi intulisset ad tentationem repellendam. [1])

3. Qui ex curiositate libros turpes legit, vel picturas obscoenas aspicit, vel comedias lascivas spectat, venialiter peccat, si delectatio turpis et ejus periculum absit; mortaliter autem, si ob delectationem veneream, vel cum ejus periculo talia fiant. [2])

5. — **Observatio.** Contra tentationes graves (si sint leves, contemnantur) vigilantiam adhibere, atque humilitate et fiducia in Deum animati, instantibus precibus veluti armis uti debemus. S. Philippus Nerius quotidie Deum contestari solitus est his fere verbis: *A me tibi caveas, Domine; te enim hodie traditurus sum, et omnia perpetraturus mundi peccata, nisi tua me gratia benigne protexeris.* [3]) Viriliter contra hostes salutis certemus, nobis nolentibus nocere animae nostrae non possunt. S. Catharina Senensis devictis impurissimis daemonis suggestionibus dixit ad Christum sibi apparentem: *Ubi fuisti, mi Domine, cum esset cor meum tot spurcitiis divexatum?* Et ille: *In corde tuo.* Rursus virgo: *Et qui fieri potuit bone Jesu, ut tu in illo meo esses corde, quod tot obrutum erat impurissimis cogitationibus?* Respondit Dominus: *Cogitationes illae quid in tuo efficiebant animo? gaudiumne, an moerorem? — Imo vero,* inquit illa, *non nisi summum dolorem.* Christus ait: *Hoc igitur ego mea praesentia efficiebam, qua si tu destituta fuisses, illis spurcitiis delectata esses. Tu autem, filia mea, quando non tua, sed mea virtute certasti viriliter, majorem a me gratiam consequeris, et deinceps crebrius atque familiarius meipsum tibi exhibebo.* His dictis visio disparuit, relicta in animo virginis suavitate incredibili, maxime quod eam Christum *Filiam* suam vocasset. [4]) Pulchre Ecclesia orat: „*Subveniat nobis, Domine, misericordia tua: ut ab imminentibus peccatorum nostrorum periculis te mereamur protegente eripi, te liberante salvari.*“ [5])

---

[1]) S. Alphonsus: Lib. VI. n. 476.

[2]) Idem: Lib. IV. n. 424. 426. II. n. 427.

[3]) Bulla Canoniz. a. 1623. §. 13.

[4]) Apud Surium die festo 30. April. §. 26. S. Franc. Sal. Philoth. P. IV. cap. 4.

[5]) Feria II. infra Hebd. 3. Quadrag.

§. 132.

De effectibus peccati.

1. — Effectus peccati sunt duplicis classis. Peccatum enim *inordinatio* est (§. 123.), laesio vel perversio ordinis, *privatio boni* et *corruptio naturae;* quapropter ex una parte vim destructivam habet, [1]) et ex altera parte necessitatem, ordinem turbatum reparandi inducit. Ideo alii peccati effectus ex destructiva ejusdem vi dimanant, alii ex necessitate ordinem destructum vel violatum restituendi consequuntur.

Hinc effectus peccati tam mortalis, quam venialis duplici sub hoc respectu recensendi veniunt.

A. Effectus peccati mortalis.

2. — a) Ex vi destructiva hujus peccati oriuntur:

1. *Jactura gratiae sanctificantis,* etenim „*asserendum est,* Tridentinum ait, *non modo infidelitate, per quam et ipsa fides amittitur, sed etiam quocunque alio mortali peccato, quamvis non amittatur fides, acceptam justificationis gratiam amitti.*“ Sess. VI. cap. 15.

2. *Privatio charitatis et ceterarum omnium virtutum infusarum nec non donorum Spiritus sancti* (§. 119.).

3. *Amissio meritorum omnium,* quae in statu gratiae anima sibi comparaverat, siquidem „*omnes justitiae ejus, quas fecerat, non recordabuntur.*“ Ezech. 18, 24.; quae tamen opera bona per peccatum mortale mortificata, demum recuperata gratia sanctificante reviviscunt. [2]) Itemque inhabilitas, statu peccati durante, nova merita acquirendi relate ad gloriam aeternam, quia, ut s. Augustinus ait, *ubi deest charitas, nihil est, quod prosit ad gloriam.*

4. *Foedissima animae macula,* ut patet ex s. scriptura, ubi de Salomone dicitur: „*dedisti maculam in gloria tua.*“ Eccli. 47, 22., de Jerusalem peccatrice: „*maculata es in iniquitate tua*“ Jer. 2, 22., et ubi peccatores appellantur *immundi, sordidi,* et similiter Osee 5, 11. Apoc. 1, 5.; 22, 11.; dum e contra justificatio impii dicitur *mundatio,*

---

[1]) S. Augustinus ait: „Ordinatio esse cogit, inordinatio non esse, quae perversio etiam nominatur atque corruptio.“ De moribus Manich. Lib. II. c. 6. n. 8.

[2]) S. Thomas: 3. q. 89. a. 5.

ablutio. Quod ipsum etiam docent ss. Patres [1]) et Theologi omnes, porro Concilium Tridentinum innuit dicens, hominem fieri *inquinatum per inobedientiae peccatum.* [2])

Consistit autem animae macula a peccato mortali causata in privatione nitoris, qui in anima ex ipsius conjunctione cum Deo per gratiam et legis observantiam refulget. Quemadmodum enim res quaelibet ex commixtione cum meliore fit melior, ex immixtione pejoris autem sordescit: ita similiter anima humana per conjunctionem ad Deum, summam pulchritudinem, decoratur nitidaque evadit, e contrario autem per adhaesionem ad res temporales iniquinatur et foeda redditur secundum illud Prophetae: „*Facti sunt abominabiles sicut ea, quae dilexerunt*" Osee 9, 10. [3]) Ac proinde, cum anima per mortale peccatum a Deo totaliter recedit et rei creatae affectu penitus inhaeret, exinde non potest non foedissime maculari. [4])

5. *Diminutio inclinationis naturalis ad virtutem.* Ex hoc enim, dicit Angelicus, quod aliquid inclinatur ad unum, diminuitur inclinatio ejus ad alterum contrarium illi; unde cum peccatum sit contrarium virtuti, ex hoc ipso, quod homo peccat, diminuitur inclinatio ad virtutem. [5]) Penitus tamen auferri inclinatio haec per peccatum

[1]) E. g. s. Ambrosius ad verba Cant. 1. „*Fusca sum et decora*"" notat: „*Fusca* per culpam, *decora* per gratiam, *fusca* pulvere saeculari, quem certando collegi, *decora* oleo spirituali, quo mundi hujus pulverem squaloremque detersi. *Fusca* per vitium, *decora* jam per lavacrum etc." In Psalm. 118. Serm. II. n. 8.

[2]) S. V. can. 2.

[3]) Hinc Ecclesia in festo S. Henrici Imperatoris rat, ut Deus nos faciat *mundi hujus blandimenta vitare, et ad ipsum puris mentibus pervenire.* (Die 15. Julii.) Et s. *Maria Magdalena* in Officio festi pulchre dicitur *gemma, quae deterso luto, nitore vincit sidera.* (Die 22. Julii.)

[4]) Quidam dixerunt, praedictam maculam esse quandum *qualitatem pravam,* quae ex peccato actuali remanet et ita contraria est rationali naturae, ut eam reddat Deo invisam et exosam. Sed haec sententia videtur esse prorsus improbabilis, quia nec intelligi, nec explicari potest, quae aut cujusmodi sit ea qualitas, neque a quo fiat. S. Thomas autem 1. 2. q. 86. et q. 86. a. 1,, porro in II. Lib. Dist. 30. q. 1. a. 1., et fere omnes antiquiores Theologi in 4. Dist. 18. affirmant, maculam esse privationem nitoris et pulchritudinis animae. Videri potest, si placet, Suarez: De vitiis et peccatis Disp. VIII. Sectio unica.

[5]) 2. 2. q. 85. a. 1. S. Bonaventura: „peccatum habitum justitiae tollit et habilitatem ad eam diminuit; cum homo per peccatum minus et minus redditur ad rectitudinem justitiae habilis." In Lib. II. Sent. Dist. 35. a. 1. q. 2. Jam s. Ambrosius: „Anima (per peccatum) aureis vinculis soluta virtutum, prona fertur praecipitio, et labitur ad inferiora." Lib de Isaac et anima c. 6. n. 61. S. Chrysostomus: „Sicut enim vires corporis moriuntur et omnem sensum amittunt: ita et anima, cum multis detinetur passionibus, virtuti moritur, et si quid ipsi proposueris, non sentit; sive supplicium, sive quodcunque aliud minaberis, nullo sensu movetur." Hom. 55. in Evang. Joan.

nequit, quia naturae increata est, ut idem Doctor Angelicus observat. [1])

Exponere praetermittimus, peccatum non raro in eo exerere vim destructivam, quod animae facultates hebetat, vires corporis debilitat, destruit sanitatem, immaturam adducit mortem. *Vita carnium sanitas cordis; putredo ossium invidia.* [2]) Luxuria *ignis est usque ad perditionem devorans et omnia eradicans genimina.* [3]) Cupidus *non satiabitur, donec consumat arefaciens animam suam.* [4])

Describere pariter supersedemus externas vastationes ac perturbationes, quas ad perniciem non modo singulorum, sed totius etiam societatis producere solent peccata, ut e. g. scandalum, haeresis, seditio. „*Justitia elevat gentem, miseros autem facit populos peccatum.*" Prov. 14, 34.

Ecce, quanta sit, et quam late protendatur vis destructiva peccati mortalis!

3. — **b)** Ex necessitate ordinem turbatum restaurandi sequitur *reatus poenae,* i. e. debitum poenae seu obligatio ad poenam subeundam. [5])

Poena inservit ad reordinationem seu ad restituendum ordinem, quem culpa inique destruxerat. [6])

Et quidem per poenam ordo turbatus eatenus restauratur seu restituitur, quatenus per poenam quaedam compensatio et satisfactio divinae justitiae pro culpa commissa praestatur; ita quidem, ut qui

[1]) l. c. a. 2., ubi ad 3. subjungit: „etiam in damnatis manet naturae inclinatio ad virtutem; alioquin non esset in eis remorsus conscientiae; sed quod non reducatur ad actum, contingit, quia deest gratia secundum divinam justitiam."

[2]) Prov. 14, 30.

[3]) Job. 31, 12.

[4]) Eccl. 14, 9. — — Omnes peccati effectus modo expositi in parabola de filio prodigo comprehenduntur his verbis: „— *dissipavit substantiam suam vivendo luxuriose — et coepit egere.*" Luc. 15, 13. 14.

[5]) S. Thomas: „*Peccatum ex hoc inducit reatum poenae, quod pervertit ordinem.*" 1. 2. q. 47. a. 3. c. Quidquid contra aliquem ordinem insurgit, dignum est, ut ab eo ordine vel ordinis principe deprimatur et detrimentum patiatur. Atqui quicunque peccat, contra aliquem ordinem agit. Ergo dignus est, ut ab eodem ordine vel ordinis principe deprimatur; quae depressio est poena. 1. 2. q. 87. a. 1. c.

[6]) Ita Suarez: De vitiis et peccatis Disp. VII. Sect. II. n. 7. Lessius: De perfectionibus moribusque divinis Lib. XIII. c. 3. n. 17. („d umpoena infligitur, violatus ordo instauratur,") et alii communiter cum d. Thoma 1. 2. q. 78. a. 6. Imo jam s. Augustinus scripsit: „*Ad naturalem justitiae ordinem pertinet, ut aut peccata non fiant, aut impunita esse non valeant: Quodlibet horum sit, naturalis ordo servatur, si non ab anima, certe a Deo.*" Contra Faustum Lib. 26. c. 3.

Deo injuriam irrogavit peccando, ei satisfaciat patiendo; et qui se contra Deum extulit, a Deo infra se deprimatur; et qui voluntati et affectui nimium indulsit, ea, quae voluntati et affectui sunt contraria, sustinere cogatur![1]) (Cf. §. 29. n. 7.) Unde illud Apoc. 18, 7. „*Quantum glorificavit se et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum.*"

Unde liquet, quod poena proprie characterem vindictae habet. Ast poena inferri etiam potest, et solet his in terris, ut delinquentes corrigantur seu ad ordinem in vita sua moribusque suis servandum reducantur; sicque naturam medicinae habet. Merito igitur poena duplex, *vindicativa* et *medicinalis* distingui solet.

Peccatum mortale inducit poenam aeternam, quae duplex est, *poena damni* propter aversionem impii a Deo, et *poena sensus* propter ejus conversionem ad creaturas, quare Christus in judicio extremo reprobos allocuturus est: „*Discedite a me* (poena damni) *maledicti in ignem aeternum* (poena sensus)." Matth. 25, 41.[2])

Sed jam in hac vita punitur peccator pro delicto mortali cruciatibus cordis, etenim „*cor impii quasi mare fervens, quod quiescere non potest.*" Isai. 57, 20.[3]) Punitur substractione singularis gratiae et protectionis, quae sita est in compressione daemonis, in aversione variarum peccati occasionum et tentationum, in auxilio exhibito ad eas, cum inciderint, vincendas; indignus enim redditur homo per mortale peccatum, quo fit servus diaboli, cura peculiari, qua Deus solet filios suos dilectos prosequi.[4]) Praeterea punitur frequenter afflictionibus corporis et aerumnis diversis.

4. — *An peccata possunt poenae esse praecedentium peccatorum?* Sane, nam clare constat ex s. scriptura Isai. 19, 4.; 63, 17. Rom.

[1]) Vide Lessium: De perfectionibus moribusque divinis Lib. XIII. c. 3. n. 17. et 18.

[2]) In inferno esse ignem verum, materialem et corporeum, est docrina certa, ita ut in dubium absque temeritate trahi nequeat. Perrone: Praelect. theol. Tom. V. p. 253. Ratisb. 1854.

[3]) Pulchre s. Augustinus: De lib. arb. 1. 3. c. 15. n. 44.: „*Nullo temporis intervallo ista dividuntur, ut quasi alio tempore non faciat, quod debet, et alio patiatur, quod debet; ne vel puncto temporis universalis pulchritudo turpetur, ut sit in eo peccati dedecus sine decore vindictae. — Sicut enim, qui non vigilat, dormit: sic quisquis non facit, quod debet, sine intervallo patitur, quod debet: quoniam tanta est beatitudo justitiae, ut nemo ab eo, nisi ad miseriam possit abscedere.*"

[4]) Late desuper disserit Lessius: De perfectionibus moribusque divinis, Lib. XIII. cap. 12. et 13. dein cap. 28. n. 201.

1, 24. et sq. 11, 7. et sq. Idem pariter docent ss. Patres[1]) et Theologi omnes.[2]) Hoc tamen non ita intelligendum, quasi Deus in vindictam peccatorum praecedentium velit, hominem incidere in peccata, aut praecipitet hominem in peccata, ut Calvinus[3]) docuit, sed quatenus Deus in punitionem peccatorum subtrahit gratiam, quam alias contulisset; unde hominis culpa sequitur ipsius lapsus in aliud peccatum.

* S. Petrus Damiani: Opusc. 36. de divina omnipotentia cap. 4. et 8. (Homo dum peccat, nihil fit, quia non ad esse, sed ad nihilum tendit, et ab eo, qui vere et summe est, recedit). S. Thomas: Summa Theolog. 1. 2. q. 85. a. 1. et 2.; q. 86. a. 1. et 2.; q. 87. tota. — Lessius: De perfectionibus moribusque divinis Lib. XIII. cap. 28—31. Lud. Abelly: Medulla Theologica Pars II. Tract. II. cap. 2. Sect. 8. et Digressio (p. 323—328. Edit. novissima Ratisb. 1859.) Stapf: Theol. mor. Tom. I. §. 104. et §. 146. (Edit. 7.) Scavini: Theol. moralis universa Tom. I. Tract. IV. n. 750—752. (Ed. 12. Mediolani 1874.)

B. Effectus peccati venialis.

5. — a) Ex vi destructiva hujus peccati dimanant effectus sequentes:

1. *Levis animae macula,* propter inordinatam affectus inclinationem ad aliquid temporale et levem quasi contactum cum illo. Colligi potest ex s. scriptura,[4]) ex dictis ss. Patrum,[5]) nec non ex eo, quod Ecclesia in Missa pro aliquo defuncto orat, „*ut si*

[1]) S. Augustinus: „*Crimina criminibus vindicantur; et supplicia peccantium non tantum sunt tormenta, sed et vitiorum incrementa.*" Contra Julian. Lib. V. cap. 5. De natura et gratia cap. 22. n. 24. In Psalm. 57. n. 18. S. Gregor. M.: Lib. I. in Ezech. Hom. 11. n. 24. et 25., Lib. 25. Moral. c. 9. n. 22—24. S. Isidor: Lib. II. de summo bono cap. 39.

[2]) S. Thomas: Summa Theol. 1. 2. q. 87. a. 2. S. Bonaventura: In Lib. II. Sent. Dist. XXXVI. q. 1. et 3. — Scotus: In II. Dist. 77. q. 3. Suarez: De vitiis et peccatis Disp. VII. Sect. 2. Lessius: De perfectionibus moribusque divinis, Lib. XIII. c. 14. n. 82.

[3]) Institut. Lib. I. cap. 18.

[4]) Eccli. 31, 8.: „*Beatus dives, qui inventus est sine macula.*" Apoc. 14, 5. „*Sine macula enim sunt ante thronum Dei.*" In quibus locis sane non tantum macula peccati mortalis, sed etiam macula peccati venialis intelligi debet, quia nemo potest ad beatitudinem coelestem pervenire et ante thronum Dei stare, qui quidem caret peccato mortali, sed non immunis est a peccatis venialibus.

[5]) Sic s. Augustinus dicit: „*Ingredi sine macula non absurde etiam ille dicitur, non qui jam perfectus est* (in vita aeterna), *sed qui ad ipsam perfectionem irreprehensibiliter currit carens criminibus damnabilibus, atque ipsa peccata venialia non negligens mundare eleemosynis.*" De perfectione justitiae hominis, c. 70. n. 20., ubi supponit peccata venialia hominem maculare. S. Leo: „*Omnia, quae animi puritatem et speculum mentis obnubilant, abstergenda sedulo et quadam eliminatione radenda sunt.*" Serm. 40. (In Quadr. III.)

quae ei maculae de terrenis contagiis adhaeserunt, remissionis (divinae) *misericordia deleantur,*" [1]) ubi profecto maculae peccatorum venialium intelliguntur, siquidem hujusmodi tantum maculae in purgatorio delentur.

Macula peccati venialis ab illa peccati mortalis in eo differt, quod non exterminat, sed tantum impedit splendorem gratiae. Est enim veniale peccatum veluti nebula, quae impedit lucem, vel instar pulveris, qui speculum obfuscat. [2])

2. *Diminutio charitatis aliarumque virtutum quoad earum fervorem,* nam peccatum veniale retardat actus virtutum, in quantum homo nimis inhaeret bono creato. [3]) (Sed *directe* peccatum veniale non minuit charitatem ceterasque virtutes infusas, coll. §. 119. n. 3.)

3. *Propensio ad mortale,* praesertim si ex habitu committatur in eadem materia. „*A minimis incipiunt, qui in maxima proruunt,*" dicit s. Gregorius M.

6. — **b)** Ex necessitate redintegrandi ordinem laesum sequitur *reatus poenae temporalis.*

Ecquidem poenae peccatorum venialium sunt in hac vita 1. Denegatio, diminutio vel subtractio specialis gratiae et protectionis divinae. Qui enim negligenter Deo servit, meretur, ut Deus non tantam ejus curam gerat, quantam fervidi gerit, non tanta illi beneficia praestat, quantis gratos cumulat. „*Qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis,*" dicit Dominus Matth. 7, 2. Vere s. Ambrosius: „(Christus) *dormit tepidis, perfectis vigilat*". [4]) Rursum: „*Non dormientibus divina beneficia, sed observantibus deferuntur.*" [5]) Ecclesia donorum augmenta impetratura sic precatur:

c. 1. S. Gregor. M.: Lib. XXI. Moral. c. 12. n. 19. S. Bernardus: „*Pedes, qui sunt animae affectiones, dum in hoc pulvere gradimur, ex toto mundi esse non possunt.*" Serm. in coena Domini n. 4.

[1]) Postcommunio in die 3. 7. et 30. depositionis defuncti.

[2]) Dicit d. Thomas, „*peccatum veniale causare maculam in anima secundum quid, in quantum impedit nitorem, qui est ex actibus virtutum.*" 1. 2. q. 89. a. 1. c. Cf. 3. q. 87. a. 2. ad 3. S. Thomas itaque non simpliciter negat, veniale peccatum relinquere maculam, quod potius Scotus in 4. Dist. 21. q. 1. Gabriel: 4. Dist. 16. q. 5. et alii in 2. Dist. 24. negarunt, dicentes, post veniale peccatum nihil manere, nisi obligationem ad poenam. Vid. Suarez: De vitiis et peccatis. Disp. VIII. Sectio unica n. 18.

[3]) S. Thomas: „Peccatum veniale non contrariatur habituali gratiae vel charitati: sed retardat actum ejus, in quantum nimis inhaeret homo bono creato." 3. q. 87. a. 2. c.

[4]) Lib. IV. in Luc. cap. 5. n. 68.

[5]) Lib. IV. in Luc. cap. 4. n. 49.

„*Proficiat, quaesumus Domine, plebs tibi dicata piae devotionis affectu: ut sacris actionibus erudita, quanto majestati tuae fit gratior, tanto donis potioribus augeatur.*" [1]) Dei protectionem efflagitans ita orat: „*Da, quaesumus Domine, populo tuo salutem mentis et corporis: ut bonis operibus inhaerendo, tuae semper virtutis mereamur protectione defendi.*" [2])

2. Aliae poenae peccatorum venialium in hac vita sunt mala temporalia, et quandoque ipsa mors. Sic e. g. uxor Loth contra Angeli vetitum respiciens retro conversa est in statuam salis Gen. 19, 26., cum tamen hoc factum tantum veniale peccatum fuisse, viri doctissimi censent. Obrutus lapidibus est Dei jussu quidam Judaeus, qui visus est colligens ligna die Sabbati Num. 15, 32., quod tamen factum fuit tantum leve. Reducente David arcam a domo Abinadab, Oza a Domino occisus est, quia arcam tenuit, quam boves calcitrantes declinaverant. 2. Reg. 6, 6.—7. Propheta quidam, ut narratur 3. Reg. 13., missus a Deo de Juda in Bethel, expedita Dei legatione contra Dei mandatum sumpsit fatigatus cibum in domo alterius prophetae, in cujus inobedientiae venialis vindictam occisus est a Deo in via. Ananias cum Saphira morte subitanea exstincti sunt ob mendacium, quod tantum veniale fuisse peccatum aliqui docti tradunt, [3]) et hoc exemplo utuntur ad ingerendam detestationem peccatorum etiam venialium. [4])

In altera vita poena pro veniali in purgatorio luenda est, nisi hic sit peccatum plene expiatum. Docet autem s. Thomas cum aliis, *poenam minimam purgatorii excedere maximam poenam hujus vitae.* [5])

7. — **Conclusio.** Quanta igitur cura et diligentia cavenda sunt peccata venialia, a quibus tanta mala impendent! Aliena damna vel pericula te cautum reddant. S. Alphonsus sub id tempus, quo adhuc advocati munere fungebatur, aliquantisper tepescebat in pristino pietatis studio; ludi, licet honesti, quibus sensim indulgebat, theatra, quae subinde jussu patris frequentabat, praeclara con-

[1]) Sab. infra Hebd. Passionis.

[2]) Feria VI. infra Hebd. secundam Quadrag.

[3]) Ipse etiam Doctor Ecclesiae s. Petrus Damiani scribens: „— qui in ipso fidei tyrocinio quodammodo simpliciter peccaverunt, districto quidem sed pio judicio sola, ut credimus, sunt corporum morte mulctati." Opusc. XII. Apolog. de contemptu saeculi, cap. 3.

[4]) Vid. Lancicius: Opusc. XVI. c. 8. 9. et 10.

[5]) In IV. Lib. Dist. XXI. q. 1. a. 1

jugia, quae ipsi proponebantur, blanda ac laudis plenissima verba, quibus undique cumulabatur, non poterant non ejus mentem afficere, eoque paulatim res adducta est, ut ipse vel ob leviores causas consueta pietatis exercitia praetermitteret. *Quodsi diutius in illo tepeditatis statu mansissem,* ita postea fatebatur, *futurum utique fuisset, ut in perniciem corruerem maximam.* Sed ejus vitae innocentia, quam teste Breviario Romano numquam peccatum mortale foedavit, tanto periculo mox erepta est. Celebratis de more spiritualibus exercitiis ita spiritu mentis renovatus est, ut non solum pristinum fervorem reciperet, sed et incrementa admirabilia pietati suae adderet. [1])

* Vener. Nicolaus Lancicius S. J. in opusculo spirit. XIV. duobus libris comprehenso, de fuga peccatorum venialium, et de adjumentis ad ea fugienda et vitanda conducentibus. (Op. spir. Tom. II. Ingolstadii 1724). In hujus opusculi praefatione haec memoratu digna verba profert: *„Per hos 47 annos mei Sacerdotii, perpetuo voluntate Superiorum meorum, in variis Provinciis et Regnis fui director in Spiritu bonarum animarum tam saecularium quam religiosarum ex variis Ordinibus Regularibus ad me, partim sponte, partim suorum Superiorum jussu, consilii et auxilii causa accedentium. In hac occupatione agnovi, magna Dei concessa illis bonis animabus, in plerisque tamen adverti, pauciora eis esse concessa, quam quae divina liberalitas in eas effudisset, si peculiari studio attendissent ad vitanda frequentia venialia peccata, praesertim cum plena deliberatione seu de industria commissa. Ideo commiseratione motus scripsi hoc opusculum, ut persuaderem fugam omnium peccatorum venialium, tamquam impedimentorum ad multa Dei dona acquirenda.“*

Sectio II.

De vitiis.

In considerationem veniunt: 1. notio peccati habitualis et vitii, 2. distinctio et connexio vitiorum.

§. 133.

De notione peccati habitualis et vitii.

1. — *Peccatum habituale dicitur status peccati nondum deleti,* seu *macula in anima remanens ex actu peccati praeterito et nondum retractato.* Macula haec tamdiu in anima remanet post actum peccati, quamdiu per poenitentiam et gratiam non deletur, ut com-

[1]) Penes Surium die Festo 2. Aug. §. 5. Ed. nova Augustae Taur. 1877.

muniter tradunt Doctores catholici cum Catechismo Romano, [1]) et Sedes Apostolica docet in condemnatione propositionis Bajanae sequentis: *In peccato duo sunt, actus et reatus; transeunte autem actu nihil remanet, nisi reatus sive obligatio ad poenam.*

2. — Si peccatum habituale simul est facilitas peccandi per repetitos actus malos producta, tunc habitus vitiosus seu vitium dicitur.

Itaque *vitium* definiri potest *habitus inclinans ad peccandum per actus repetitos in anima generatus.* [2]) Sic e. g. frequenter injuste, intemperanter agendo, habitus seu vitia injustitiae et intemperantiae producuntur.

Vitium contrariatur virtuti: quemadmodum enim virtus est habitus bonus, ita vitium est habitus malus; [3]) et sicut virtus ad actus bonos, ita vitium ad actus malos inclinat.

Peccatum pejus est, quam vitium, quia male agere pejus est quam solum esse dispositum ad male agendum. [4])

Prava inclinatio, quam vitium includit, in anima perdurat, etiamsi peccati macula per gratiam jam sit deleta et non nisi per contrarios et saepe repetitos virtutis actus tollitur. Unde bene explicatur, quare multi poenitentes, gratia et virtutibus infusis in Sacramento Poenitentiae donati, nihilominus difficultatem experiantur in exercendis virtutibus; provenit nimirum haec difficultas ex dispositione mala, quam praecedentia peccata produxerant. (Cf. §. 116. n. 2.) Quapropter optime monet Thomas Kempensis: *„Certa viriliter: consuetudo consuetudine vincitur.“* [5])

Si quaeras, *quandonam censeatur habitus malus contractus?* docet s. Alphonsus, quod quinque vices in mense possunt pravum habitum

[1]) Catechismus ad Parochos: *„— etsi transierit actio peccati, tamen peccatum macula et reatu permanet, cui semper imminens ira Dei illud insequitur, tanquam umbra corpus.“* P. IV. c. 14. q. 8. *„Est autem gratia — veluti splendor quidam et lux, quae animarum nostrarum maculas omnes delet, ipsasque animas pulchriores et splendidiores reddit.“* P. II. c. 2 q. 49.

[2]) S. Thomas dicit: „Vitium uniuscujusque rei esse videtur, quod non sit disposita, secundum quod convenit suae naturae: unde Augustinus dicit in 3. de libero arbitrio (cap. 14.), quod perfectioni naturae deesse perspexeris, id voca vitium.“ 1. 2. q. 71. a. 1. c. „A vitio nomen vituperationis detractum creditur, ut Augustinus dicit in 3. de libero arbitrio (cap. 14.), quia unaquaeque res ex eo vituperatur, quod est disposita contra id, quod convenit suae naturae.“ 1. 2. q. 71. a. 2. c.

[3]) S. Augustinus: „Vitium est qualitas, secundum quam malus est animus, etiam quando nihil agit.“ De perfectione justitiae, cap. 2. n. 4.

[4]) S. Thomas: 1. 2. q. 71. a. 3.

[5]) De imitatione Christi, Lib. I. cap. 21.

constituere in aliquo vitio peccati externi, modo inter ipsas aliquod intervallum intercedat; et in materia luxuriae multo minor numerus habitum constituere potest: qui e. g. semel in mense fornicaretur per annum, habituatus dici posset.[1])

Optime Bouvier monet: „*Discant juvenes libidines suas coërcere; experientia enim constat, eas in teneris annis non aegre refrenari: tunc facilis et jucunda est perseverantia. Qui vero liberius eis indulget, graves sibi imponit catenas, quas postea difficile solvet.*"

§. 134.

De distinctione et connexione vitiorum.

PROPOSITIO I.

Vitiorum unum est initium, triplex fomentum, septiforme caput.[2])

1. — *Vitiorum unum est initium,* videlicet inordinatus suimet ipsius amor. Nullus namque facit malum morale, nisi ex hoc, quod sibi vult inordinate bonum temporale. (Cf. §. 88. n. 2.) Atqui alicui bonum velle, dicitur diligere; ideoque bonum inordinate velle, est inordinate diligere. Ergo omne peccatum, et consequenter omne vitium, quod quippe ex peccatis repetitis progignitur, ex inordinato sui amore originem trahit.[3])

2. — *Vitiorum est triplex fomentum,* scilicet concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum et superbia vitae, in quas inordinatus sui amor dispescitur, quaeque totidem sunt causae peccatorum et vitiorum.[4]) Hinc s. Joannes Apostolus dicit: „omne, quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitae." 1. Joa. 2, 16.

3. — *Vitiorum est septiforme caput,* nimirum superbia, invidia, ira, acedia, avaritia, gula et luxuria.[5]) Quorum quinque praecedentia, sunt peccata seu vitia spiritualia, duo vero ultima sunt carnalia.[1]) Appellantur vitia capitalia, quia ex eis, etsi non omnia, quam plurima tamen alia manant.[2])

[1]) Praxis confessar. n. 70.

[2]) Ita s. Bonaventura: Breviloquium Pars III. cap 9.

[3]) Vide s. Thom.: 1. 2. q. 77. a. 4. Hoc magnus s. Augustinus elegantissime exprimit verbis, *hominem peccando intendere fruitionem sui ipsius tamquam boni cujusdam privati et proprii, posthabito publico atque communi bono, quod Deus est.* De Trinitate, Lib. XII. c. 12. n. 17. Cf. etiam ibidem c. 9. 10. et 11. n. 14—16.

[4]) S. Thomas l. c. a. 5.

[5]) Haec jam enumerat s. Gregor. M. Lib. 31. Moral. cap. 31., imo etiam prius s. Cyprianus, unico excepto, dum scribit (De mort. p. 270. ed. Antr.): „*Si avaritia* prostrata est, exurgit *libido*, si libido compressa est, *ira* exasperat, inflat *superbia*, *vinolentia* invitat, *invidia* concordiam rumpit, amicitiam *zelus* abscindit." Loco acediae zelum nominat.

Convenienter autem *septem* numerantur vitia capitalia; etenim voluntas a recto ordine discedens aut appetit, quod non est appetendum, aut refugit, quod non est refugiendum.

Si voluntas appetit, quod non est appetendum, tunc bonum istud (apparens seu commutabile) aut est intra nos, privata nimirum excellentia, quam amat *superbia;* aut extra nos, nempe opes, quas amat *avaritia;* aut infra nos, et quidem vel delectabile ad conservationem individui, nempe alimentum, quod appetitur a *gula,* vel delectabile ad conservationem speciei, quod est coitus, qui appetitur a *luxuria.*

Si autem voluntas refugit, quod non est refugiendum, id triplici modo fieri potest, videlicet: vel animum acerbat bonum alterius, et tunc obtinet *invidia,* vel eum irritat renisus alterius, et sic enascitur *ira,* vel eum deterret labor, unde *acedia* exoritur.[3])

* S. Gregorius M.: Lib. 31. Moral. cap. 17. S. Bonaventura: Breviloquium Pars III. cap. 9. S. Thomas: Summa Theolog. 1. 2. q. 84. tota. In Lib. II. Sent. Dist. 42. q. 2. a. 3. De malo q. 8. a. 1.

PROPOSITIO II.

Peccatorum nonnulla sunt peccata in Spiritum Sanctum, quae neque in hoc saeculo, neque in futuro remittuntur.

4. — Haec omnium Ecclesiae doctorum sententia est ex verbis Christi petita: „*Quicunque dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei, qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei neque in hoc saeculo, neque in futuro.*" Matth. 12, 32.

Peccatum in Spiritum Sanctum dicitur peccatum malitiae quod Spiritui Sancto aditum praecludit, dum ipsius gratia directe per contemptum vel abjicitur vel impugnatur.[4]) Appellatur idem peccatum a divino Salvatore „*blasphemia Spiritus Sancti*" (Matth. 12, 31.), quia per hoc Spiritui Sancto, bonitati infinitae, specialis injuria infertur.

[1]) S. Thom.: 1. 2. q. 72. a. 2.

[2]) Gregorius M. ea nuncupat *exercitum diaboli, cui superbia dominatur tanquam regina.* Lib. 31. Moral. cap. 17.

[3]) Vide s. Bonavent.: Breviloquium Pars III. cap. 9., s. Thom.: 1. 2. q. 84. a. 4.

[4]) Vide s. Thom.: 2. 2. q. 14. a. 1. c. S. Bonaventura: Breviloq. Par. III. c. 11. Richard: De statu interioris hominis Tract. II. c. 2. et 3.

Sex species hujus peccati communiter assignantur, scilicet: *praesumptio, desperatio, impugnatio agnitae veritatis, invidentia fraternae gratiae, obstinatio et impoenitentia.* [1])

Peccata ista *non remitti* dicuntur, quia quantum *de se* est, aditum gratiae praecludunt, sine qua non fit remissio peccatorum. „Per hoc tamen, ut Angelicus addit, non praecluditur via remittendi et sanandi omnipotentiae et misericordiae Dei, per quam aliquando tales *quasi miraculose* spiritualiter sanantur.“ [2])

* S. Augustinus: Sermo 71 de verbis Evangelii Matth. 12. (alias 11. de verbis Domini). S. Thomas: Summa Theologica 2. 2. q. 14. tota. S. Bonaventura: Breviloquium, Pars III. cap. 11.

PROPOSITIO III.

Vitia omnia nequaquam, prouti virtutes, inter se sunt connexa.

5. — Haec communis ss. Patrum [3]) et Theologorum vox est atque sententia, quae sufficienter exinde probatur, quod vitia dantur per excessum et per defectum, ut e. g. prodigalitas et avaritia, quorum unum alterum excludit. Quamvis omnia unam radicem habeant, scilicet inordinatum sui amorem coll. n. 1., diversos tamen fines intendunt non raro inter se pugnantes; non sicut virtutes, quae ad eundum finem ultimum natura sua contendunt. [4])

Nonnulla tamen vitia maxime inter se cohaerent, saepe enim unum ex alio nascitur.

* S. Thomas: Summa Theologica 1. 2. q. 73. a. 1. — Suarez: De vitiis Disp. IV. Sent. 2. n. 9. Billuart: Cursus Theologiae etc. Tract. de peccatis, Disp. III. cap. I.

---

[1]) Haec commemorantur jam a s. Augustino in diversis locis (v. d. Thom. 2. 2. q. 14. a. 2. *Sed contra)*, a Petro Lombardo autem (Lib. II. Dist. 43.) collecta sunt et in ordinem redacta.

Convenienter assignari sex species peccati in Sp. S., sapienter ostendunt d. Thomas: 2. 2. q. 14. a. 2. et s. Bonaventura: Breviloq. P. III. cap. 11.

[2]) 2. 2. q. 14. a. 3. Vid. etiam s. Bonav. in II. D. 43. a. 2. q. 2. s. Antonin. P. 2. tit. 8. §. 3.

[3]) S. Ambrosius: „— quod bonum et faciendum, consonans et adhaerens: quod vero turpe, hoc dissonans, incompositum, atque discretum est.“ Libr. de Paradiso cap. 5. n. 26. S. Augustinus: epist. 167. ad Hieronymum (alias 29.) S. Hieronymus: Dialog. 3. contra Pelagian.

[4]) Neque obstat s. Jacobus dicens: „*Quicunque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus.*“ Jac. 2, 10. Nam dicitur omnium reus, quatenus auctor totius legis singularum legum violatione contemnitur.

§. 135.

Recollectio.

Ex sancti Petri Damiani Serm. LXXIV. de spirituali certamine. [1])

„Discat igitur miles Christi manus conserere: discat, emergentibus quibusque vitiis, prout res dictaverit, obviare. Huc, illucque circumductis vivacis experientiae oculis providus se vertat; et singulis quibusque jaculis, quae mittuntur, defensionis tegmen opponat, ut superbiam humilitate dejiciat, gulam sobrietate restringat, mansuetudine iracundiam calcet, avaritiam largitate refrenet, ardorem libidinis terrore perpetui ignis extinguat, odii trabem flamma suavissimae charitatis exurat. Delectatur certe Deus isto certamine, qui subtiliter ac profunde considerat totum quidquid illud est, quod versatur in mente. Gratulantur Angeli ad tale spectaculum, videntes quod humana natura in eo quod contra semetipsam pugnat, ad eorum se consortium, unde fuerat ejecta, reformat et secum rixando, ad veram proculdubio pacem tendit, quam olim sibimet male consentiendo, quia non repugnavit, amisit.

Nec conqueramur, fratres mei, si ad votum mox cuncta non vincimus, si in hujus conflictatione certaminis, aerumnas, labores, angustias, et gravissimum saepe fluctuantis animae taedium sustinemus. In hoc enim divina nobis dispensatione prospicitur, ne de repentina victoria in arrogantiam noster animus extollatur, et de altitudine sua profundius corruat, si non Auctori Deo, sed sibi victoriae suae vires adscribat. Hinc est etiam, quod saepe mens, quae multa in se, et fortia superat, unum quid fortasse minimum, quamvis solerter invigilet, non expugnat. Quod divina nimirum dispensatione agitur, ne humana conditio undique virtutibus splendens, in elatione sublevetur; ut in eo quod se superasse fortia quaeque considerat, dum parvum non potest diu conando subigere, non sibi, sed illi victoriam tribuat, cujus munere potuit quae subacta sunt superare. Unde illic (Jud. 1.) dicitur: *Hae sunt gentes, quas Dominus dereliquit, ut erudiret in eis Israelem.* Israel namque reservatis gentibus eruditur, dum mens nostra in parvis sibi resistentibus discit, quia nequaquam ex se majora subjecit.

Excutiamus ergo, fratres charissimi, degenerem marcidae dissolutionis inertiam, qui per fortitudinem strenue dimicandi per-

---

[1]) Op. edit. a Const. Cajetani, Bassani 1783. Tom. II.

venire volumus ad coronam. Parati simus semper irruentes vitiorum cuneos, ac frementes bestias de agro nostri cordis ejicere, nullumque eis in ea, quae nostri juris sunt, permittamus locum perversae damnationis habere. Non videant nos inimici nostri, quod absit, enerviter cedere; ne mox sibimet applaudentes, de nostris valeant recessibus exultare. Invictum namque militiae nostrae ducem habemus, cui fiducialiter dicimus: *Judica, Domine, nocentes me, expugna impugnantes me, apprehende arma, et scutum, et exurge in adjutorium mihi.* (Psalm. 8.) Felix spiritualis ille bellator, qui talem sequitur in proelio ducem, qui talem meretur habere suae congressionis auctorem, qui et praesumenti praebet audaciam, et pugnanti victoriam, et vincentem provehit ad coronam: quin potius ipse est militantibus donativum, emeritis municipium, triumphantibus praemium sempiternum, Jesus Christus, heri, et hodie, ipse Deus benedictus in saecula. Amen."

INDEX ALPHABETICUS.

Numerus paginam libri designat.

A.

Abrogatio consuetudinis 264., legis 267.

Acceptio legis, quid sit 226., ad vim legis non requiritur 226., Episcopus leges Pontificias acceptare et in praxim deducere debet 227. Quid si ipsi visum sit, promulgationi legis Pontificiae graves obstare difficultates 227. Quid populo facere liceat, si legem civilem nimis duram esse existimet ibid. Lex non acceptata subinde desinit obligare 227—228.

Actus. Lex vetus non tantum exteriores, sed etiam interiores actus praescripsit 163. Quos actus lex humana praecipere possit 213—214.

In dubio standum est pro valore actus 285—286.

Actus humanus et actus hominis 343. Quomodo actus humani enascantur, ibid. Actus eliciti et imperati 344. An dentur actus indifferentes 373. An actus externus addat bonitatem vel malitiam actui interno 380. An licet actum ponere, ex quo praeter effectum bonum malus sequitur 384—385., ex quo (in specie) pravae cogitationes aut turpes motus praevidentur 489.

Imputatio actus, vid. *imputatio, ignorantia, passio, concupiscentia, vis* seu *violentia.*

Moralitas actus, vid. *moralitas, bonitas, malitia.*

Adoptio filiorum Dei 94. et seq., est vere supernaturalis 96—98.

Adulti, qui vocentur 220.

Advertentia ad peccatum formale requisita 461.

Aequiprobabilismus quid doceat 293., a sancto Alphonso traditus et propugnatus 303., defenditur 322—326.

Affectus, vid. *passiones.*

S. Alphonsus Maria de Liguori, ejus auctoritas 21. et seq., quomodo versatus sit in concinnando opere morali 57., divulgatio ipsius operum 59. Merita ejus de Probabilismi systemate, 302—303. Specialis ejusdem observatio de usu opinionum probabilium 327.

Amentes, delirantes, an teneantur lege naturali 218., legibus humanis 219. 220.

Amor. In cognitione et amore Dei consistit formalis beatitudo hominis 72. In amore Dei ut auctoris naturae principaliter consistit beatitudo naturalis 78. Differentia veteris et novi Testamenti est timor et amor. 194. Naturalis amor Dei et creaturae honestum operandi motivum 386. Amor radix omnium affectuum seu passionum 359. Amor inordinatus suimetipsius est initium et radix omnium vitiorum. 501 Vid. *charitas.*

Anima pulchre a Deo exornatur 452.

Apostatae legibus eccl. tenentur 219.

Appositio causarum dirimentium et impedientium 249. et seq.

Ars, quid et quotuplex 401., non est veri nominis virtus, attamen quaedam perfectio 402—403.

Associatio internationalis 35.

Atheismus, error nostrae aetatis 27., athea respublica 33.
Aureola, quid et quotuplex 380—381.
Autonomia rationis refellitur 147—152.

B.

Beati omnes esse volunt 268. 337.
Beatitudo, hominis finis 69., secundarius 70. Beatitudo objectiva et formalis 71—74., cum Dei gloria cohaeret 74. Beatitudo hominis naturalis et supernaturalis definitur 77. De naturali hominis beatitudine 78. et seq.; de supernaturali beatitudine 81. et seq. Deus meliorem beatitudinem homini dare nequit, quam est possessio et fruitio ejus 85.
Beatitudines quid sint, quomodo virtutibus congruant et donis Spiritus sancti 450—452.
Bonum generatim quid sit, et qua ratione differat a vero et pulchro 104—105. Bonum substantiale et accidentale 106. Bonum morale 107. Bonum tanto praestantius, quanto propinquius fini 107. Doctrina ss. Patrum et Theologorum de boni natura 108—110. Intrinsece et extrinsece bonum 113—115. Differentia inter bonum et malum intrinsece tale est necessaria et immutabilis 115. et seq.
Bonum causatur ex integra causa 383.
Bonitas moralis, in quo consistat 372. Bonitas actus 383. Actus naturaliter et supernaturaliter boni 384. Bonorum actuum objectum et circumstantiae 384., finis 374. An bonitas duplex in uno actu 377. An actus externus addat bonitatem actui interno 380. Vid. *objectum, finis, motivum.*

C.

Casuistica 25, contra obtrectatores vindicatur 25—27. Ejus historia 51., 54—59. 63
Casus reservati Sedi Apostolicae, an obligent in dioecesi, in qua ab episcopo non sunt promulgati 224.
Casus conscientiae de variis materiis in hoc libro occurrentes: De subjecto legis 221. 222., de promulgatione legis 225., de acceptatione legis 228., de obligatione legum generatim 232., de obligatione legis mixtae 237., de obligatione legis, quae in praesumptione fundatur 239., de obligatione legis irritantis 241., de modo satisfaciendi legis obligationi 245., de dispensatione 261—262, de consuetudine 265., de conscientia erronea 278—279., de conscientia dubia 283. 286—287., de conscientia probabili, (exempla) 312. 313. 317. 318. 320. 324., de imputatione actionis, omissionis et effectus 352—353., de ignorantia 357—358., de passione et concupiscentia 364—365., de metu 368., de moralitate actuum humanorum 381—382., de peccato mortali et veniali 473., de specifica distinctione peccatorum 475. (exempla).
Catechismi, documenta Traditionis 13. Catechismus Romanus ibid.
Causa prima bonitatis moralis Deus, secunda homo 63. Causae obligationem legis solventes 247—249. Appositio causarum dirimentium et impedientium 249. et seq. Causa dispensationis 259. Causae peccatorum 484.
Censura theologica, quid et quotuplex, quid de docentibus propositiones damnatas, et negantibus qualitatem censurae, qua propositio est damnata 11—13.
Certitudo moralis, requiritur et sufficit ad honeste operandum 280. Vid. *Conscientia.*
Cessatio dispensationis 260., privilegii 267., legis 267., veteris legis 168.
Charitas, in ea principalius quam in fide et spe beatitudo supernaturalis vitae consistit 82. Nova lex est lex amoris seu charitatis 174. 194. Charitas nobilissimum motivum operationum humanarum 388. Non tenemur omnia ex motivo charitatis agere, illud autem excludere nefas est 394. Non requiritur motivum charitatis ad implendum aliquod praeceptum 244. Omnes obligationes, quibus filii Dei adstringuntur, ad praecepta charitatis a Christo Domino tradita reducuntur 95.
Charitas, virtus theologica 431., sine fide et spe esse nequit 436. Per eam omnes virtutes infusae connexae sunt ibid. Charitas est maxima virtutum 437., forma, mater et regina virtutum, finis pariter virtutum, praeceptorum et consiliorum, finis s. scripturae et divinae providentiae 437—440. In charitate essentialiter perfectio vitae christianae consistit 440—442. Manet in patria 443., augeri potest 443., minui indirecte 445. et uno actu peccati mortalis amittitur 445. Ad eam spectat donum sapientiae 448. et pax 452. S. Augustinus de laudibus charitatis 442—443.
Christus per magisterium semper vivens Ecclesiae loquitur 2—3. Est exemplar praestantissimum sanctitatis 9. In ipsius honorem data est lex vetus 158. Ipsius et Dei gloria est finis primarius novae legis 176. Christus verus legislator 172. Vid. *Lex nova, ordo supernaturalis.*
Circumstantiae actus, quid et quot sint 378—379. Aliae speciem moralitatis mutant, aliae bonitatem vel malitiam augent intra eandem speciem 379. Circumstantiae bonorum actuum 384.
Communistae 35 et seq.
Concilia oecumenica et particularia quoad sacram morum doctrinam 11.
Concupiscentia, lex membrorum, quo sensu 122., in se peccatum non est 362. Concupiscentiae motus primo-primi, secundo-primi, an imputabiles 363., quomodo eis resisti debeat ibid.
Congregationes Pontificiae, quibus subjectio debetur 5. 11., quomodo obligent 215.
Connexio virtutum intellectualium 402., moralium 420., theologicarum et moralium 436.
Conscientia, ejus natura, obligatio et divisio 270—274. Observatio de conscientia tenera 274.
De conscientia recta et erronea 275—279. De conscientia certa et dubia 279—288. Vide *Dubium*. De conscientia perplexa et scrupulosa 288. De conscientia probabili 289. et seq. *Opinio, Probabilismus.*
Consensus voluntatis ad peccatum formale requisitus 461., ad peccatum mortale 467., ad peccatum veniale 469. Quid in dubio, an consensus tentationibus praestitus sit 489.
Consilia evangelica 180., et seq. Consilia Dei vel Ecclesiae contemnere est peccatum mortale 231.
Constitutiones et Decreta Romanorum Pontificum quoad scientiam moralem 11.
Consuetudo 262., vim legis obtinere potest 262—264. Quae consuetudines evelli, quae reformari et foveri debeant 264.
Contemptus formalis legis vel legislatoris est peccatum mortale in re etiam minima, non item contemptus materialis 231.
Cor Dei discitur in verbis Dei 440.
Corpus humanum sua natura est instrumentum animae 89., per gratiam divinam membrum Christi et templum Spiritus sancti 94.
Curia coelestis 133. Not. 2.

D.

Debitum, legis effectus 127., debitum honestatis et debitum legale 127. Not. 1.
Decalogus est summa omnium praeceptorum V. F. 160., pertinet quoque ad christianos 178.
Delectatio, sensualis non constituit hominis finem 75. An licet propter delectationem, vel cum delectatione agere 390—391.
Delectatio morosa quid sit, quale peccatum 480. An liceat delectari de re mala ob bonum effectum 481., de modo non malo operationis malae 482.
Delegatus, an possit subdelegare 257
Derogatio, legis 267.

Desiderium, effectus amoris 360. Desiderium mali, efficax vel inefficax, quale peccatum 482. An licet desiderare malum sub conditione, si liceret 483.

Deus, causa prima bonitatis moralis 64., voluntate ab omni necessitate libera creavit mundum 67. Not. 3., ex amore suae bonitatis 67. ad externam sui gloriam et hominis beatitudinem 68. et seq. Est beatitudo hominis objectiva 71. Ordinem naturalem constituit 89., necessario 91., supernaturalem abundante benevolentia addidit 94. et seq. Non est causa peccati 485.

Difficultas, vid. *impossibilitas.*

Dilectio, vid. *amor, charitas.*

Dispensatio legis, notio et divisio 253. Materia dispensationis 254., potestas dispensandi 255—257., dispensatio ad cautelam 256., validitas et liceitas dispensationis 257. et seq., causae dispensationis 259., cessatio dispensationis 260. et seq.

Distinctio virtutum generalis 399., virtutum intellectualium 400., virtutum moralium 409. 412., infusarum 428. Distinctio peccatorum 460. specifica 474., numerica 476.

Dona Sp. sancti 446. convenienter sunt septem 448., necessaria ad salutem. et permanent in patria 449.

Dubium quid sit 280. Dubium juris et facti, speculativum et practicum 281. Numquam licet operari cum dubio practico 281. Permissum est operari cum speculativo, semper ac per principia reflexa dubium practicum deponitur 282. Quid facere debeat dubius de existentia et obligatione legis 283. et seq. Vid. *Principia reflexa.*

Duratio virtutum intellectualium 405., virtutum moralium acquis. 424., infusarum 443—444.

E.

Ecclesia. Infallibile Ecclesiae magisterium est principium formale Theologiae moralis. 2. Non tantum in doctrinis dogmatice definitis, sed in omnibus aliis religionis rebus cum Ecclesia sentire debemus 5—6. Ecclesia divinitus instructa est potestate legislativa 199. et seq. Haec potestas a Christo non universitati fidelium, et per hanc pastoribus veluti ipsorum ministris collata est 202. Quinam potestatem legislativam in Ecclesia teneant 203.

Ecclesia sic dicta Joannis, Spiritus sancti 189.

Effectus legis 126., effectus actionis vel omissionis imputabiles 351., effectus peccati duplicis classis 491., effectus peccati mortalis 491., et seq. peccati venialis 495.

Elementa moralitatis 374.

Epikia legis 252., 253.

Episcopus debet leges Pontificias in usum deducere 226., habet potestatem legislativam 203., potestatem dispensandi 256. Romano Pontifici et episcopis in unione et consensione cum ipso proprium est authenticum et infallibile Ecclesiae magisterium 3. Episcopi nequaquam fidelium ministri 202.

Epistolae, Pontificiae habent vim obligandi 215.

Errores praecipui nostrae aetatis 27. et seq., ex principiis Protestantismi dimanant 43. et seq.

Ethica in genere, ethica catholica 1. praestantior catholica quam philosophica 38., et protestantica 41.

Exempla in s. scripturis contenta egregie inserviunt sacrae morum doctrinae 9., Christus Dominus exemplar praestantissimum sanctitatis 9. B. V. Maria Christo proxima et simillima 10. Exempla Sanctorum 10. S. Ambrosius ab illis potissimum virtutes officiaque deducit 10. Not. 5. S. Greg. M. omnes virtutes a Sanctis utriusque Testamenti disci posse ostendit, *ibid.*

Sancti, qui exempli instar adducuntur: S. Caecilia 195., s. Augustinus 274., s. Franc. Salesius 347., 416., s. Lucia 369., s. Gregor. M. 378., 380. Not. 1., s. Aloisius 415., s. Ignatius

416., 445., 452., Abel, Henoch, Noe, Abraham, Isaac, Jacob, Joseph, Moyses, Josue, Job 425. Not. 5. s. Petrus 356., plures Sancti antiqui et novi Testamenti 442—443., s. Maria Magd. de Pazzis 415., 453, s. Catharina Senensis 453., 490., s. Catharina Genuensis 459., s. Juliana Falconeria 459., s. Philippus Nerius 490., s. Alphonsus 497.

Extensio legis 253.

F.

Factum non praesumitur, nisi probetur 285. In dubio omne factum praesumitur recte factum 286.

Familia Dei 95.

Fides est virtus theologica 431., haberi potest sine spe et charitate, fides informis et formata 436., quomodo amittatur 446., ad eam spectat donum intellectus 448., et munditia cordis 451. In fide, spe et charitate beatitudo supernaturalis hujus vitae essentialiter consistit 82. Fides non manet in statu gloriae, in quo substantia et species fidei, quae est obscuritas, destruitur 443. et Not. 2.

Filii Dei adoptivi sumus in ordine supernaturali per gratiam 94. et seq.

Finis operantis (motivum) Dei, et finis operis (mundi) in mundi creatione 66. et seq. Vid. *beatitudo, gloria Dei.*

Finis legis 122., naturalis et supernaturalis 157., veteris 158., novae 175.

Finis actus, quid et quotuplex 375. Ab eo actus humanus moralitatem desumit 376. et seq. Quid, si actus duplicem finem habet, unum bonum, alterum malum 377. De fine actuum bonorum 385. Vid. *Motiva.* An omnis actus humanus fieri debeat ob finem honestum 390. et seq. et ad Deum referri 392. et seq.

Finis virtutum ordinis naturalis 399., ordinis supernaturalis 427., moralium acquisitarum et infusarum 434.

Fontes revelationis divinae 6.

Fratres sunt homines in ordine supernaturali 95.

Fundamentum bonitatis moralis 66.

G.

Gaudium consequitur ex cognitione et dilectione Dei 73. An in gaudio principaliter consistat beatitudo coelestis 82.

Gaudium effectus amoris 360. Gaudium de opere malo patrato 480., cur et quale peccatum 481. An liceat gaudere de re mala ob bonum effectum 481., de modo non malo operis mali 482.

Gloria Dei externa est finis hominis 68., primarius 70., cum beatitudine hominis cohaeret 74.

Gratia habitualis seu sanctificans, per quam accipimus adoptionem filiorum Dei 94. Cum gratia virtutes infunduntur 429., amittuntur qua infusae 445. An virtutes infusae distinguantur a gratia sanctificante 430.

Gratiae gratis datae 450.

Gravitas diversa peccatorum 463. et seq. Quid inserviat ad dignoscendum, utrum peccatum sit mortale, an veniale 472.

H.

Habitus, qualis sit virtus 398.

Haeretici, schismatici et apostatae legibus Ecclesiae tenentur 219.

Historia Theologiae moralis 46—63.

Homo, imago divinitatis, creaturae irrationales vestigia divinitatis 68., natura sua est servus Dei 89., per gratiam filius Dei adoptivus 94.

Honestas virtutis et motivum bonum operationum 386. 387. Honestas virtutum moralium, acquisitarum et infusarum 434.

I.

Ignorantia quid, quotuplex 354., quoad imputationem 355. et seq.

Ignorantia in lege naturae 143. et seq.

Ignorantia, an excuset a poena 236., ab irritatione actus 241., ab obligatione legis 247. In quibusdam non datur ignorantia invicibilis 247. Peccata ignorantiae 460.

Impotentia seu impossibilitas physica et moralis, an excuset a lege 248. An ille, qui impotens est, totam legem implere, tenetur ad partem 249.
Imputatio moralis, quid 349., actus imputabiles 350. Imputatio actionis, omissionis et effectus 350. et seq. Vid. *ignorantia, passio, concupiscentia, metus, vis.*
Inadvertentia, an excuset a peccato 355. 462.
Infallibilitas magisterii Ecclesiae 3., praeprimis Romani Pontificis 4—5.
Infantes, quoad legum obligationes 218. 219
Infideles, an teneantur Ecclesiae legibus 219.
Infirmitas. Peccata infirmitatis 460.
Intellectus 410., ejus relatio ad scientiam et sapientiam 402. 403. Donum intellectus 448., quod efficit munditiam cordis 451.
Intentio, oculus mentis 376. Vid. *finis, motivum.*
Internationalis associatio 35.
Interpretatio legis; definitio et divisio 252. Regulae interpretationis 252—253.
Involuntarium, notio et partitio 348—349.
Jus gentium 198.

L.

Laudandus Deus in omnibus nostris operibus 394—396.
Laxi, nimisque benigni Probabilistae 298—299.
Laxismus, ejus commenta et origo 293. 297. refutatur 310. et seq. 317.
Legalitas 373.
Legislator, superior, potest secum dispensare 257.
Lex definitur 120., differt a consilio ibid., a praecepto 121. Legum divisio 121. Lex membrorum 122.
Finis legis 122., actus legis 123., potestas ferendi leges 124., materia et forma legis 125., principalis legis effectus 126.
Lex aeterna 130. Existit lex aeterna, a qua omnes aliae derivantur 131., cui omnes creaturae subjiciuntur 133. Lex aeterna dispari quidem eventu, pari tamen necessitate omnibus imperat 134. Innotescit nobis per leges temporales 134. Praecedit libertatem prioritate temporis, non prioritate obligationis 325.
Lex naturalis definitur 137., existit 138., est indita homini 139., quatenus habitus est 140. Materia legis naturalis 142. Ejus cognitio 143—147. Ejus obligatio a Deo legislatore 148—151., non tamen ex sola revelatione 152. Ejus proprietates 154. S. Chrysostomus de lege naturali 155—157.
Lex positiva divina, quid et quotuplex 157.
Lex vetus, ejus notio 157., finis 158., materia 159 et seq., obligatio 167., cessatio 168—170. S. Augustinus de lege vetere 170.
Lex nova, definitio 171., est primarie lex supernaturaliter indita menti et cordi Christifidelium, secundarie lex externe tradita 172. et seq. Quo sensu indita menti et cordi 173. Lex Christi duplici quasi parte coalescit 175. Ejus finis 175., materia 176. et seq. Consilia evangelica 180.. et seq. Legis christianae duratio 188—190., relatio ad naturalem et veterem legem 190—194. Recollectio 195.
Lex humana, definitio, proprietates 196. 197., divisio 198. Ejusdem auctor 198. et seq. Materia legis humanae 213. Leges ecclesiasticae ubi contineantur 215. S. Bernardus de obedientia divinis et humanis praeceptis exhibenda 215.
Subjectum legis 217. et seq., promulgatio 222. et seq., acceptatio 226. et seq. Obligatio legum generatim 229. et seq., legis mere poenalis 233., legis mixtae 235. et seq., legis, quae in praesumptione fundatur 238., legis irritantis 239. Modus satisfaciendi legis obligationi 242. et seq. Modus agendi in concursu plurium praeceptorum 245.
De causis solventibus legis obligationem 247. De appositione causarum dirimentium et impedientium 249. et seq. Vid. *interpretatio, dispensatio, privilegium, consuetudo, cessatio legis.*
Epilogus ex s. Augustino 268—269.
Liberalismus, ejus principia 32 et seq., protestantismo affinis 43.
Liberalis methodus tractandi scientiam theologicam 28.
Libertas, quotuplici modo intelligatur 329. Quid libertas arbitrii, et quotuplex 330. Non tantum in immunitate a coactione, sed etiam in immunitate a necessitate consistit 331—332. Libertas contrarietatis non est de essentia libertatis 333. De libero hominis arbitrio 334. et seq. An omnes res sint objectum liberi arbitrii 337. Epilogus ex s. Anselmo 340.
Liturgia sacra, fons Theologiae moralis 14.

M.

Macula animae, effectus peccati mortalis 491., peccati venialis 495., per gratiam deletur 498.
Magisterium infallibile Ecclesiae est principium formale Theologiae moralis 2., cui competat 3. et seq.
Malitia actus 373., duplex in uno actu 377. Malitia peccati ratione plene comprehendi nequit 459. Peccata malitiae 460.
Malum quid sit 110., non est nisi in bono 111. Malum morale intrinsecum, absolutum et conditionatum, malum extrinsecum 114. Alia prohibita, quia mala; alia mala, quia prohibita 115. Differentia boni et mali intrinseci est necessaria et immutabilis 115. et seq. Nemo vult malum, quia malum est 342. Malum ex quovis defectu 383. Doctrina ss. Patrum et Doctorum de mali natura 111—113.
Maria B. V. Nihil sublimius, perfectius et sanctius nihil post Christum ipsius matre invenitur 10. Meliorem matrem, quam est Dei mater, Deus facere non potest 85. Omnibus Sanctorum aureolis est decorata in coelis 381.
Materia legis, v. *Lex.*
Materialismus, error nostrae aetatis 26., ejus placita 30., ad eum protestantismus ducit 43.
Medium. An in medio consistat virtus moralis 418., virtus theologica 432.
Mensura, actuum dicitur lex 120. 397.
Methodus diversa tractandi Theologiam 24., Scholastica non despicienda 16—17., 25. Methodus scientiae sic dictae germanicae 28.
Metus, quid et quotuplex 366., quoad imputationem 366., an reddat actus invalidos 367., an excuset a praeceptis 348., impediat irritationem actus 241. Vid. *timor.*
Modus satisfaciendi obligationi legis 242. et seq. Vid. *lex.* Modus agendi in concursu plurium praeceptorum 245. Vid. *conscientia.*
Monarchia naturalis in homine 345.
Moralitas, essentia et partitio 372. et seq. Moralitatis elementa 374. et seq.
Motivum Dei in hominis et mundi creatione 67. Motiva naturaliter bona 386., supernaturaliter bona 387. et seq. Vid. *finis.*
Motus, v. *concupiscentia.*
Multiplicatio peccatorum venialium, an efficiat peccatum mortale 471. Multiplicatio peccatorum internorum et externorum 477—479.
Mundus nos tentat ad peccatum 487.
Mystica, quid sit 24., ejus historia 52—53. 59—61.
Mysticismus penes sectas protestanticas 45.

N.

Necessitas moralis et physica 126. necessitas legis naturalis 137., revelatae 157. Necessitas, causa dispensationis 259. Necessitas virtutum infusarum 427—428.
Negligentia, quid 357., ex ea fit culpabilis ignorantia, oblivio, inadvertentia 462.
Nexus, connexio virtutum et vitiorum. Vid. *virtus, vitium.*
Numerus peccatorum, unde repetendus 476. et seq. Deus omnia in mensura et numero et pondere disposuit 396., in operatione nostra imitandus 396—397.

O.

Obdurare homines, quo sensu Deus dicitur 486.

Obedientia, qualis requiritur ad legis impletionem 243., exhibenda potestati civili 208. S. Bernardus de obedientia praeceptis divinis et humanis praestanda 215—216.

Objectum actus quid 375., ab eo actus humanus primarie desumit moralitatem ibid. Objectum ad bonitatem actus requisitum 384.

Obligatio, principalis effectus legis 125. Lex quaelibet obligat in conscientia 229., aliter praeceptum affirmativum, aliter negativum sub gravi vel sub levi 229. An lex in materia gravi sub levi potest obligare, et vice versa 230.

Obligatio legis mere poenalis 233. et seq., legis mixtae 235. et seq., legis, quae in praesumptione fundatur 238., legis irritantis 239. et seq. Obligatio conscientiae 272. Quid valet, si obligatio certa, ejus impletio dubia vel probabilis 285. 286. 314.

Oblivio, quando excusat a peccato 355. 462.

Oculus simplex et duplex 376. 377. Nota.

Odium praesupponit amorem 360.

Officium quid 127. Existentia et divisio officiorum 127—130.

Omissio, quando imputabilis 350. 351. Peccata omissionis 460. 464.

Opera naturaliter et supernaturaliter bona 384., mortificata per peccatum mortale 491. Vid. *actus*.

Opinio, quid sit, et quomodo differat a dubio, fide divina et scientia 259. Intrinsece et extrinsece probabilis etc. 290—291., minus communis, communior, communissima, minus tuta, tutior 292. Systemata circa probabilitatem opinionum 292. Vid. *Probabilismus, Probabiliorismus, Laxismus, Tutiorismus.*

Ordo perducit ad Deum 87., notio et divisio 87. De ordine naturali 88—93. de ordine supernaturali 93—100., de comparatione ordinis supernaturalis ad naturalem 100—102. SS. Patres de ordine naturali 92., de ordine supernaturali 98. S. Bernardus de bonis naturalis et supernaturalis ordinis 103. Lex omnis ordinem respicit 125. Quisquis ordinem non tenet, ordine tenetur 134.

P.

Pantheismus, quid fabuletur 30., ad eum protestantismus deducit 43.

Parochus, an possit dispensare 256.

Parvuli, an teneantur legibus 218. 219.

Passio, notio et divisio 359. Amor radix omnium affectuum et passionum 359—360. Utrum passio antecedens, an passio consequens minuat vel augeat moralitatem 360—361. Motus sensitivi in se non mali, quodammodo necessarii 361.

Patres ss., eorum scripta uberrimum quemdam Theologiae moralis fontem constituunt 14., semper magna tantis Ecclesiae luminibus reverentia exhibenda 15. Qua methodo doctrinam morum tradiderunt 47. et seq., philosophiam in subsidium sacrae doctrinae adhibuerunt 49. An tradiderunt casuisticam 51., mysticam 52.

Pax, secundum s. Augustinum 125.

Peccatum, natura et turpitudo ejus 454—459., divisio 459. et seq., peccatum et delictum 460. Not. 2., peccatum formale 461. Non omnia peccata paria 464., peccatum mortale et veniale 465. et seq. Distinctio peccatorum specifica 474. et seq., numerica 476. et seq.

Peccata interna (delectatio morosa, desiderium, gaudium) 480. et seq.

Causa efficiens peccati 484., excitans v. *Tentatio*. Effectus peccati mortalis 491., venialis 495.

Peccatum habituale 498. Peccata in Spiritum sanctum 501.

Peregrini, qui sint et quibus legibus obstringantur 220.

Perfectio vitae christianae essentialiter in charitate consistit 441.

Periculum proximum graviter peccandi 468. 471. 489.

Permissum id est, quod non constat esse prohibitum 326.

Perplexus, quid facere debeat 288.

Philosophia theologiae ancilla 23. Ad philosophiam moralem Theologia moralis comparatur 38. et seq.

Poena ferendae et latae sententiae 235. An subeunda poena ignorata 236. Poena inservit ad restituendum ordinem, quem culpa inique violaverat 493., vindicativa et medicinalis 494., poena peccati mortalis 494., peccati venialis 496. An peccata esse possint poena peccatorum 494.

Pondus cujusque rei 396., actus humani 397.

Pontifex Romanus, ejus suprema magisterii potestas et infallibilitas 3—5., potestas leges ferendi 203., dispensandi 255. Jurisdictionis primatus immediate et directe beato Petro, non vero Ecclesiae, et per hanc illi ut ipsius Ecclesiae ministro a Christo delatus est 202. Vid. *Constitutiones, Epistolae.*

Positivismus, ejus commenta pessima 31—32.

Possessio, quando sit pro lege, quando pro libertate 284—285.

Potestas legislativa Ecclesiae 191. et seq., principis civilis 204. et seq.

Praeceptum, quomodo differat a lege 121. a consilio 181. Praecepta moralia V. T. verum et immediatum fontem Theologiae moralis constituunt 7—8. Praeceptis concurrentibus quid agendum 245. Vid. *Lex.*

Praesumptio, quid et quotuplex 238. Efficit plerumque certitudinem moralem 285. Factum non praesumitur, nisi probetur. In dubio omne factum praesumitur recte factum 285. Quilibet praesumendus bonus, nisi probetur malus 286. Datur dispensatio tacita, non praesumpta 258.

Princeps civilis a Deo habet potestatem 204. et seq., immediate 206—207, debet esse sanctae fidei et Ecclesiae protector 205. Principem imperio pellere non licet 208., adversum ipsum seditionem movere nefas est 210. Vid. *Tyrannus.*

Principium generatim, formale et materiale Theologiae moralis 2. et seq. — Principium liberi examinis protestanticum 28. 43. Principium de absoluta populi auctoritate 33. 44. — Principia primaria et secundaria legis naturalis 142. Principia reflexa, generalia et specialia 284. et seq.

Privilegium, notio et divisio 265., de privilegio observanda 266.

Probabile, quid sit usu loquendi consueto 290., quid fuit Academicis 294. ss. Patribus 295. — An, qui probabiliter agit, prudenter agit 309.

Probabiliorismus, quid doceat 292., quid ipsi causam dederit 299., refutatur 325. et seq.

Probabilismus, systemata eum spectantia 292., ejus historia 293. et seq. Probabilismus absolutus refutatur 319—322. Probabilismus moderatus (Aequiprobabilismus) vindicatur 322. et seq.

Probabilioristae praecipui 300. et seq.

Probabilistae insigniores 304. et seq.

Progressus continuus, indefinitus a Rationalistis et Pantheistis proclamatus 27. 30. 75. refellitur 76.

Promulgatio, forma legis 125., necessaria 222. Modus promulgationis 223. An leges Pontificiae Romae tantum promulgatae ubique obligent 224.

Propositiones ab Apostolica Sede damnatae, quomodo intelligendae 11.

Prudentia, quid 401., virtus cardinalis 412., forma virtutum moralium 421.

Pulchrum, quid et quomodo differat a vero et bono 104—105.

R.

Ratio humana proprius et adaequatus fons Theologiae moralis non est 23. In rebus religionis non dominari, sed ancillari debet, ejus functiones in Theologia morali 23—24.

Ratio in homine est veluti princeps vel judex in civitate 90., habet characterem dirigentis in homine 345., ipsam sequi debent passiones 361. Non est ipsa lex naturalis, sed ejus praeco 137. Autonomia rationis refellitur 147—152.

Rationalismus, ejus placita 27., ipsi protestantismus originem dedit 43. 45.

Regulae morum 272. 372.

Relatio naturalis hominis ad Deum etc. 89., supernaturalis 94. Relatio actuum nostrorum ad Deum 362. et seq.

Revolutio absolute illicita 208.

Rigorismus, v. *Tutiorismus.*

S.

Sacerdotibus an liceat se immiscere rebus politicis 212—213.

Sacramenta, in eis conferendis et suscipiendis tutius eligendum 311.

Sancti alii aliis virtutibus maxime excellunt 425. Not. 4. et 5. v. *Exempla.*

Sapientia, virtus intellectualis, 400., sub se continet intellectum et scientiam 402., omnibus virtutibus intellectualibus antecellit 403. Bona vita facit hominem sapientem secundum Deum 405. — Donum sapientiae 449., quod ad pacem disponit 452.

Scholastica Theologia, ejus nomen 48., indoles 24., quam qui traducunt, contra se pugnant 25., laus eius in Ecclesia 16—17. Scholasticae parens 50.

Scholastici Theologi, num tradiderint casuisticam 52., 54., mysticam 53. 60.

Scientia. Ad quid obligentur, qui scientiae theologicae incumbunt 5. Verus ejus progressus unde omnino pendeat 6. Scientia sic dicta germanica 28—29.

Scientia virtus intellectualis 400., quomodo cohaereat intellectui et sapientiae 402.

Scripturae ss., earum auctor Deus 7., earum usus in Theologia morali faciendus 7. et seq., finis charitas 440.

Scrupulus, quid sit, et ejus remedium praecipuum 289.

Semina scientiarum 404., virtutum 407.

Semirationalismus 28. et sq.

Sententia judicis, quae in praesumptione fundatur, an obliget 238.

Sentire in omnibus rebus religionis cum Ecclesia 5—6.

Socialismus democraticus, foetus Liberalismi 32. et seq. 43.

Socialistae et Communistae praecipui 35—37.

Species peccatorum, unde sumatur 474. et seq.

Spes, virtus theologica 431., non potest esse sine fide, attamen sine charitate 436., charitati servit 439, amittitur 446. In fide, spe et charitate beatitudo supernaturalis viae essentialiter consistit 82.

Spes bonorum temporalium motivum operandi in V. T. 163., etiam spes bonorum spiritualium et aeternorum 164. Utraque motivum honestum 386. 387.

Subjectum legis 217. et seq.

Superior potest secum dispensare 257. Superiori obtemperandum in dubio, an lex sit justa 287., et dum probabiliter censetur, illam esse injustam 315. An superiores monasteriorum possint leges condere 203.

Synteresis 272.

Systemata circa Probabilismum notanda 292.

T.

Tempus, quo caeremonalia praecepta V. T. cessarunt 168. Tempus, quo obligationi praecepti satisfieri debet 243., requisitum ad abolendam vim legis non acceptatae 228., ad consuetudinem 263.

Tentatio, quid et unde sit 487—488. Consentire tentationi, non sentire tentationem, peccatum est 488. Tentationem temere provocare non licet 489. Quid in dubio an quis tentationi consenserit 489., quomodo pugnandum 490.

Theologi, eorum opera scripta in scientia theol. non praetereunda 15., eorum auctoritas et usus 17—18. Vid. *Scholastica.*

Theologia moralis, definitio et partitio 1., principium 2., formale 2—6; materiale 6. et seq. Theologia positiva, speculativa. Vid. *Scholastica, Casuistica, Mystica.* Comparatur ad ethicam philosophicam 38 et seq., ad ethicam protestanticam 41. et seq. Historia Theol. mor. 46—63.

Thomas Aquinas, summa ejus auctoritas 19—20.

Timor, gehennae et poenarum, motivum operandi 386—387., timor filialis, servilis, mundanus seu humanus 388—390. Lex vetus, lex timoris 194. — Donum timoris 448., quod disponit ad paupertatem spiritus 451.

Traditio sacra, ejus documenta, usus in Theol. mor. 10. et seq.

Traditio scientifica non praetermittenda et abrumpenda 28.

Tutiorismus absolutus seu Rigorismus, quid doceat 292., unde venerit 299., refutatur 316. Tutiorismus mitigatus, quid velit 292., falsus est 319.

Tutioristae et Probabiliorisate insigniores 300—302.

Tutius quando eligendum 277., 283., 301—312. 326.

Tyrannus regiminis et usurpationis, quid de obedientia 210. Sedis Apostolicae Decreta 211—212.

V.

Verum, quid et qua ratione differat a bono et pulchro 104—105.

Virtus definitur 398., est in potentia, hominem maxime assimilat Deo 390.

Virtutes ordinis naturalis: intellectuales, quoad earum indolem, numerum et connexionem 400 et seq.; earum pretium et duratio 402-405. Virtutes morales, earum indoles et causa efficiens 406. et seq., distinctio 409. Virtutes cardinales 412. et seq., comparantur bonis equis currus 416., angulis domus et fluminibus paradisi 417. Virtutes morales in medio consistunt 418. Earum connexio 420. et seq.; augmentum, diminutio et amissio 423. et seq.; earum diversa praestantia 426.

Virtutes ordinis supernaturalis: Virtus infusa, quid 427. Virtutes infusae sunt necessariae, aliae theologicae, aliae morales 428., infunduntur cum gratia 429., a gratia differunt 430. Virtutes theologicae, quid et quot sint 431., an in medio consistant 432. Virtutes morales infusae, quomodo se habeant ad acquisitas et theologicas 434. Connexio virtutum theologicarum et moralium 436. Diversa earum praestantia 437. et seq., earum duratio, incrementum et decrementum 443. et seq., earum relatio ad dona Spiritus sancti 446. et seq., ad beatitudines 450. Pulchritudo animae virtutibus ornatae 452—454.

Vis seu violentia, quid et quotuplex 368. Actus eliciti voluntatis cogi nequeunt 369. An actus ex violentia positi imputabiles 369. Violentiae injustae resisti debet ibid.

Vitium, definitio 498. Peccatum pejus est, quam vitium 499. Vitiorum unum initium, triplex fomentum, septiforme caput 500. Vitia capitalia 501. An vitia sint connexa 502. Epilogus ex s. Petro Damiani 503.

Voluntarium, notio et divisio 347. et seq. Consectaria 349.

Voluntas habet characterem moventis in homine 345., sed prima cogitatio intellectus est sine actu voluntatis 343. Nota 2., 354. Ejus objectum est bonum 343. Libera voluntas, vid. *Liberum arbitrium.*

THEOLOGIA MORALIS

AUCTORE

ERNESTO MÜLLER,

SUAE SANCTITATIS PRAELATO DOMESTICO, CANONICO ECCLESIAE METROPOLITANAE VINDOBONENSIS, SS. THEOLOGIAE DOCTORE, SEMINARII CLERIC. RECTORE, ET THEOLOGIAE MORALIS IN UNIVERSITATE VINDOBONENSI PROFESSORE EMERITO.

Tom. I. II. Editio 4. Anno 1883. 1884. Preis fl. 6.—.
Tom. III. Editio 3. Anno 1884. Preis fl. 3.— (sub prelo).

VIENNAE. MAYER & COMPAGNIE.

Jocham, Professor der Moraltheologie in Freysing, äusserte sich schon im Jahre 1868 in den „katholischen Literaturblättern der Sion" (Beilage zum Augsburger Pastoralblatte Nr. 49) über den damals in erster Auflage erschienenen 1. Band dieses Werkes:

„Was die Verarbeitung des Materiales anbelangt, so müssen wir hier vor Allem die präcise Bestimmtheit und Klarheit rühmen. Jede Doktrin ist so fasslich und anschaulich gegeben, dass gar nichts zu wünschen übrig bleibt. Die beigeführten Beispiele dienen ganz dazu, die Klarheit und Allgemeinverständlichkeit zu erhöhen. Ein zweiter Vorzug ist die so reiche Literatur, die hier an Ort und Stelle vortrefflich angezeigt und verwerthet ist. Von den frühesten Zeiten der Väter bis auf die Theologen der Neuzeit werden Zeugnisse aufgeführt zur Bekräftigung der vorgetragenen Lehre. Aber auch die Resultate der Forschungen unserer Gegner werden vorgetragen, um sie zu widerlegen. Damit ist der dritte Vorzug schon angedeutet, nämlich die Begründung dieser Lehre vom christlichen Leben in den Aussprüchen der heiligen Väter der frühesten Zeit und die Erläuterung derselben durch die grossen Theologen des Mittelalters mit fortwährender Rücksichtnahme auf die gegenwärtige Zeit und auf die Verirrungen derselben. Wir haben somit, was den Inhalt des Ganzen und die Behandlung des Einzelnen betrifft, nur unsere rühmende Anerkennung auszusprechen und das Buch allen Denjenigen zu empfehlen, die über dieses Fach gründliche Studien machen wollen."

In Nr. 1 derselben Blätter vom August des Jahres 1869 wiederholt derselbe Gelehrte bei Besprechung des 2. Bandes die eben angeführten Lobsprüche mit dem Beifügen:

„Man sieht es dem Werke an, dass ein ganzes Menschenleben darauf verwendet, und dass alles Studium und alle Lectüre auf diesen einen Punkt, auf die Lehre vom christlichen Leben, gerichtet wurde."

Dr. Scheeben, Professor in Köln, sagt in seiner diessbezüglichen Recension im literarischen Handweiser Nr. 79 vom Jahre 1869 über Plan, Inhalt und Form der zwei ersten Bände Folgendes:

„Wie der Verfasser im Plane die Einseitigkeit vermieden, so hat er auch in dem Aufwande der Mittel eine Allseitigkeit erstrebt, welche bei vielen neueren Moralisten vermisst wird, indem er nicht blos auf die neueren Bearbeitungen, sondern auch auf die gesammte patristische und scholastische Literatur zurückging, und dieselbe kraft eigenen, selbstständigen Studiums und mit klarem Verständnisse richtig zu verwerthen sich bemühte. Die Allseitigkeit ist der erste Vorzug des Werkes, aber sie hat der Gründlichkeit, Klarheit und Gediegenheit der Lehre keinen Abbruch gethan, vielmehr ihr Vorschub geleistet. Auch diese Eigenschaften, worauf es bei einem Moralwerke so sehr ankommt, besitzt das Werk in hohem Grade; sie beweisen, dass der Verfasser durch langjähriges Studium und Uebung in der Lehre wie in der Praxis sich mit seinem Gegenstande ganz vertraut gemacht, und mit inniger Liebe zur Kirche unverwandten Blickes das im Auge behalten hat, was auf diesem Gebiete nach ihrem Sinne und zum Besten ihrer Gläubigen gelehrt und geleistet werden muss. — Die Citationen der einschlägigen Literatur sind nicht so obenhin zusammengerafft, sondern beruhen auf sehr ausgedehnter und mit Takt gehandhabter Kenntniss der Literatur, wie auch die Texte durchgängig sehr treffend und belehrend sind. Das Latein des Verfassers ist gefällig und leicht verständlich."

Angermayer, Professor der Moraltheologie in Linz, sagt in der „Linzer theologischen praktischen Quartalschrift" Jahrgang 1869, 3. Heft, zum Lobe dieses Werkes unter anderem Folgendes:

„Ueberall leuchtet hervor, mit welcher Liebe und Sorgfalt der Verfasser zur Begründung seiner Propositionen ausser der heil. Schrift auch die Werke der Kirchenväter und theologischen Meister benützt und als seine sichern Führer den heil. Thomas und den heil. Alphons erwählt habe, um auf diese Weise dem Sinne der Kirche und der Auctorität der gefeierten Theologen conform zu sein." Ferner: „Nicht verschweigen dürfen wir, dass die den entsprechenden Partien beigegebenen Casus sehr geeignet sind, das Verständniss und den praktischen Gebrauch des Buches zu erleichtern, und den Werth desselben vortheilhaft zu erhöhen. Die Benützung der älteren und neueren einschlägigen Literatur zeigt ebenso von der Erudition und dem wahrhaften Bienenfleisse des Verfassers, wie von dem pietätvollen Geiste desselben . . . . Der aufmerksame Leser wird mit Liebe und Ehrfurcht für die Schriften der Kirchenväter und Scholastiker erfüllt und darin befestiget werden. Er wird in der einfachen Anordnung und in der mehr traditionell gehaltenen Behandlung leicht zurecht- und allenthalben grundhältige Aufklärung finden, ohne dass er deshalb auf etwas Wesentliches von den Resultaten wahrhaften Fortschrittes in der Wissenschaft verzichten müsste. Allenthalben zeigt sich der Eifer für die Heiligkeit des Gesetzes und der Ernst des Lebens gepaart mit dem sanften Geiste christlicher Milde."

Dr. Krückl, Professor der Moraltheologie an der Wiener Universität, gibt in der „Linzer theologischen praktischen Quartalschrift“ Jahrgang 1876, 3. Heft, eine sehr eingehende Recension des 3. Bandes, und hebt als besondere Vorzüge, welche dieses Buch werthvoll machen, hervor die leicht verständliche Sprache, deren sich der Verfasser bedient, die dogmatische Unterlage, auf welche er die moralischen Lehren stützt, und die Consequenz in Anwendung der Principien. Ueber das ganze Werk sagt er, „dass dasselbe unter den vielen Moraltheologien, welche in jüngster Zeit erschienen sind, ganz besonders hervorragt. Diese Moraltheologie, fährt er fort, ist nicht nur vollständig und wissenschaftlich, sondern auch — und darauf legen wir der Natur des Gegenstandes wegen, der diese Disciplin behandelt, ein besonderes Gewicht — praktisch, Eigenschaften, welche wir bei keinem anderen Werke dieses Faches vereinigt finden. Dem einen fehlt die Lehre von den Tugenden, dem anderen die Lehre von den Sacramenten, ganz oder theilweise, allen, die systematisch abgefasst sind, die praktische Richtung; Müller's Werk dagegen besitzt alles, was man von einer Moral, die für Theologen geschrieben ist, billig fordern kann.“

Dr. Pruner, Professor der Moraltheologie in Eichstätt, hat in seiner Moraltheologie S. 17 Freiburg 1875 dieser Theologia moralis das Zeugniss ausgestellt, dass „sie durch Vollständigkeit, Gelehrsamkeit und Gründlichkeit vor allen anderen sich auszeichnet.“ In der „Literarischen Rundschau“ Jahrgang 1876, Nr. 16, gibt derselbe Gelehrte über das ganze Werk, nachdem er einige Partien mit besonderem Lobe hervorgehoben, folgendes Urtheil ab:

„Das ganze Müller'sche Werk, wie es in der zweiten Auflage uns vorliegt, zeichnet sich aus durch klare und streng logische Anordnung bis in die kleinsten Theile. Seine Definitionen sind präcis, meist der Scholastik entnommen. Je nachdem der Gegenstand dogmatischer oder praktischer Natur ist, erst eines Beweises bedürftig oder von selbst einleuchtend, gegen Einwendungen von Gegnern sicher zu stellen oder unbestritten, wird er zergliedert in „propositiones“ mit gründlicher und ausführlicher Beweisführung und Widerlegung der Einwürfe, oder in „principia“ oder „regulae“ mit eingehender Darlegung der Voraussetzungen, unter welchen sie anzuwenden sind. Keine einigermassen belangreiche positive Entscheidung der Kirche, keines ihrer für die einzelnen Fragen wichtige Decret ist übersehen. Jedem Abschnitte ist ein ziemlich erschöpfendes Citat der bedeutenderen Autoren und Werke beigefügt, die für die erörterten Fragen vorzüglich zu Rathe gezogen werden können. Unter ihnen stehen in der Regel oben an: der heilige Thomas von Aquin, der heilige Bonaventura und der heilige Alphons von Liguori. Ein oder der andere Casus und eine bündige Erörterung der durch ihn veranlassten praktischen Fragen übt schliesslich in Anwendung der vorgetragenen Sätze auf das Leben und Handeln. Eine erwünschte Beigabe zu jedem Tractate sind die mehr ascetischen, meist den Schriften der Heiligen entlehnten Reflexionen, welche die wichtigeren Motive nahe legen für treue Befolgung der Normen des christlichen Tugendlebens, und dieses in seiner ganzen Schönheit und Liebenswürdigkeit und in seinen wohlthätigen Wirkungen für die Einzelnen und die Gesellschaft erkennen lassen. Durchweg sucht der Verfasser seine Gedanken möglichst in die Sprache der heiligen Väter und Lehrer der Kirche, so wie der Concilien zu kleiden. Bei seiner ungemeinen Erudition, von welcher jede Seite des Buches Zeugniss gibt, ist ihm dies in hohem Grade gelungen, und wurde dadurch dem Ganzen eine Lebendigkeit und Wärme eingehaucht, wie sie nur einer innig gläubigen und vom kirchlichen Geiste durch und durch erfüllten Seele entströmen kann. Mit heiliger Sorgfalt ist Müller bemüht, in allen Fragen, die er bespricht, möglichst den Geist und die Grundsätze der Kirche zur Geltung zu bringen. Wo die Kirche nicht entschieden hat, macht er durchweg das Urtheil des heil. Alphons, in so weit der heil. Lehrer sich in der Sache ausgesprochen, zu dem seinen. In einzelnen unwesentlichen Punkten liessen sich etwa bescheidene Bedenken erheben. Allein mir scheint der Kritiker in der Moral am wenigsten berechtigt, deswegen weil er in einer und der anderen offenen Frage sich ein bestimmtes Urtheil gebildet hat, von diesem seinen Standpunkte aus einen Autor zu censiren; sein Urtheil kann er ohne Anmassung nicht massgebend sein lassen.

Macht wohl keines der neueren Moralwerke dem Müller'schen Buche, was wissenschaftlichen Werth betrifft, den Vorrang streitig, so stellt es sich in Hinsicht auf Reichhaltigkeit des Inhaltes und praktische Brauchbarkeit jedem derselben, auch der Moraltheologie Scavini's würdig zur Seite.“

Jung, S. J., Professor der Moraltheologie in Innsbruck, hat in der „Zeitschrift für katholische Theologie“ Innsbruck 1881, V. Jahrgang, I. Heft, über die 3. Auflage dieses Moralwerkes folgende Recension gegeben:

„Das Wiener Provincialconcil vom Jahre 1858 verlangte bei der Behandlung der Moraltheologie vorzüglich die Berücksichtigung folgender drei Momente: 1. Dass der Stoff systematisch behandelt werde. 2. Dass auf vollständige Ausrottung der jetzt herrschenden, dem christlichen Leben Verderben drohenden Irrthümer hingearbeitet werde. 3. Dass auch die Casuistik überall ihre volle Berücksichtigung finde. Diese drei Momente in einem Werke zu vereinigen, ist sicher keine leichte Aufgabe; der Hochwürdigste Herr Verfasser, Msgr. Müller hat sich derselben unterzogen, und sie, ich sage es mit vollster Ueberzeugung, nicht blos gelöst, sondern vollkommen gelöst. Jeder, der das Werk liest, dessen sind wir sicher, wird dasselbe bezeugen. Was insbesondere den ersten Punkt, die systematische Behandlung des Stoffes, betrifft, zeichnet sich das vorliegende Werk sehr vortheilhaft vor vielen andern dadurch aus, dass es das System auf eine durchaus natürliche, ungezwungene Weise aufbaut.

Im I. Buche handelt der Verfasser von der moralischen Güte der Handlungen im allgemeinen und zwar 1. Von dem Fundamente des moralisch Guten (von dem letzten Zwecke des Menschen, von der natürlichen oder übernatürlichen Ordnung und ihren gegenseitigen Beziehungen). 2. Von dem moralisch Guten und dem moralisch Bösen seiner Natur nach betrachtet. 3. Von den Principien des moralisch Guten (von dem Gesetze, dem Gewissen und der Freiheit). 4. Von der verschiedenen Art und Weise, wie das moralisch Gute oder moralisch Böse in dem Menschen sich verwirklichet. (Von den menschlichen Handlungen, ihrer Zurechnung und Moralität; von den natürlichen und übernatürlichen Tugenden und ihren Gegensätzen). Das II. Buch handelt von den christlichen Tugenden und den ihnen entgegengesetzten Sünden im Einzelnen. Zuerst ist von den allgemeinen christlichen Tugenden, nämlich von den theologischen und Cardinaltugenden die Rede. Dann wird übergegangen auf die besonderen Pflichten einzelner Stände, auf die Pflichten der Cleriker und Ordenspersonen, der Eheleute, Eltern und Kinder, der Dienstboten und Herrschaften, der Richter und Angeklagten, der Advokaten und Zeugen. Im III. Buche behandelt der Verfasser die Hilfsmittel sich vor der Sünde zu bewahren, sowie die Tugenden zu erlangen und sich darin zu vervollkommnen. Vorerst zeigt er im Allgemeinen auf eine vortreffliche Weise, wie Christus der Urheber und Vollender aller Tugend, das Haupt der Kirche ist, von dem alle Gnaden ausgehen und auf die Glieder der Kirche überströmen, spricht dann von der Vermittelung der Gnaden durch die seligste Jungfrau und zeigt, wie Himmel und Erde zur Rettung und Heiligung des Menschen beitragen, wie aber auch der Mensch nothwendig mitwirken müsse. Er bespricht dann weiter im Einzelnen die Mittel zur Heiligung des Menschen: die Gnade und die Wahrheit Christi; und die mannigfaltige Art und Weise ihrer Zumittelung.

Referent hält diese Moraltheologie für eine ausgezeichnete Leistung. Sie vereiniget alle Vorzüge, die man an einem Werke dieser Art zu finden wünscht, in einem seltenen Grade und erweist sich auf den ersten Blick als die reife Frucht vieljährigen Studiums verbunden mit praktischer Seelsorge, Gebet und Betrachtung. Von dem ersten zeigt die durchaus wissenschaftliche Haltung und die grosse Erudition, von den letztern die weise Berücksichtigung der praktischen Bedürfnisse, sowie jener salbungsvolle Geist, der das ganze durchweht, jene Liebe zur heiligen Kirche und jene Sehnsucht, allen durch das Blut Christi erkauften Seelen je nach ihren Verhältnissen die geeignete Hilfe zu verschaffen, die wie ein rother Faden durch das Werk sich hindurchzieht und sozusagen auf jeder Seite sichtbar wird. Der Lehrinhalt ruht durchweg auf fester dogmatischer Grundlage. Die Entscheidung der Kirche und in zweifelhaften Fällen die durch die Aussprüche der Päpste getragene Auctorität des heil. Thomas und des heil. Alphons sind die ständigen sichern Führer. Die patristische und scholastische Literatur ist in der ausgiebigsten, zweckentsprechendsten, selbständigsten Weise verwerthet. Wie Geist und Herz erfrischend sind, jene schönen Stellen der hh. Väter und anderer hh. Lehrer, die der Verfasser theils im Verlaufe der Erörterung, theils am Ende des Abschnittes als sogenannte Recollectio beifügt. Dabei vergisst der Verfasser nicht, auf die Gegenwart gebührende Rücksicht zu nehmen, die falschen Anschauungen zu beleuchten und die Einwürfe der Gegner in sehr befriedigender Weise zu widerlegen. Die Beweisführung ist eben so bündig als triftig. Nebstdem muss die Reichhaltigkeit des Inhaltes und die Allseitigkeit der Behandlung rühmlichst hervorgehoben werden. Ich erinnere nur beispielsweise an den ausgezeichneten Tractat de virtutibus. Wie sind da alle theologischen und moralischen Tugenden mit ihren Abstufungen vollständig berücksichtigt und nach ihrer dogmatischen, moralischen und ascetischen Seite vortrefflich beleuchtet; was die hh. Väter, was die Kirchenlehrer, was die grossen Theologen darüber gelehrt haben, finden wir da kurz beisammen; auch die Gegner älterer und neuerer Zeit finden eine gründliche Abfertigung. Namentlich hat mich die wahrhaft schöne Abhandlung über die Andacht zum göttlichen Herzen Jesu und zum heil. Herzen Mariä angesprochen. Wissenschaftlich behandelt wie hier dürfte die Frage kaum in einem neuern Moral- oder Pastoral-Werke vorkommen.

Die Casus, die der Verfasser den theoretischen Erörterungen beifügt, sind sehr geeignet, die praktische Anwendung der Lehre zu erleichtern. Es muss auch rühmend hervorgehoben werden, dass für jene, die in irgend einer Frage noch näheren Aufschluss sich verschaffen wollen, am Ende eines jeden Abschnittes ein Verzeichniss der diesbezüglichen Literatur beigefügt ist. Nicht minder willkommen muss man es finden, dass uns die Einleitung mit den besten Werken bekannt macht, die besonders die Casuistik und Mystik (Ascese) vorzüglich gepflegt und gefördert haben. Hier kann ich nicht umhin, zu erwähnen, dass M. dem heil. Ignatius von Loyola mit Rücksicht auf sein Exercitienbüchlein einen wohlverdienten Ehrenplatz unter den Mystikern einräumt. Wir glauben, dass dieses Büchlein, das vom heiligen Stuhle eine ganz aussergewöhnliche, auf alles Einzelne sich erstreckende Approbation erhalten, nicht blos zum Behufe der gewöhnlichen „geistlichen Uebungen", sondern überhaupt für die Seelenleitung von grosser Bedeutung ist, namentlich wegen der klassischen Regeln über die Unterscheidung der Geister, über die Standeswahl, die Zeichen des Berufes u. s. w.

Zum Schlusse wollen wir noch besonders aufmerksam machen auf die Vorzüge der Darstellung, durch die Müller's Werk sich auszeichnet, nämlich eine ungewöhnliche Klarheit, Verständlichkeit und Präcision. Auch sei noch erwähnt, dass Papst Leo XIII. in seiner lobenden Anerkennung des Werkes insbesondere das hervorhebt, dass der Verfasser in seinen Doctrinen so treu dem heil. Thomas und dem heil. Alphons gefolgt, die er die post sanctos Patres probatissimos doctores nennt. Das herrliche Werk sei hiemit nicht blos den Studierenden der Theologie, sondern allen Priestern auf das wärmste empfohlen."

Mayer & Compagnie,
Stadt, Singerstrasse Nr. 7.

Typis Rudolphi Brzezowsky & Filiorum, Viennae.